B I B L I O T H E C A

SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM

T E V B N E R I A N A

IOANNIS CHRISTOPHORI CALVETI STELLAE

DE REBVS INDICIS

AD PHILIPPVM CATHOLICVM HISPANIARVM ET INDIARVM REGEM

LIBRI SEPTEM

EDIDIT

JUAN J. MARTOS



STVTGARDIAE ET LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI MCMXCVIII

Gedruckt mit Unterstützung der Förderungs-
und Beihilfefonds Wissenschaft der VG WORT GmbH,
Goethestraße 49, 80336 München

Die Deutsche Bibliothek – CIP-Einheitsaufnahme

Calvete de Estrella, Juan Christoval:
[De rebus indicis ad Philippum Catholicum Hispaniarum et Indiarum
Regem libri septem]
Ioannis Christophori Calveti Stellae De rebus indicis ad Philippum
Catholicum Hispaniarum et Indiarum Regem libri septem /
ed. Juan J. Martos. –
Stutgardiae ; Lipsiae : Teubner, 1998
(Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana)
ISBN 3-8154-1129-7

Printed in Germany
Gesamtherstellung: Druckhaus „Thomas Müntzer“ GmbH, Bad Langensalza

PRAEFATIO

Exeunte xui saeculo Petrus Castrus Quinnonius, qui archiepiscopus fuit primum Granatensis deinde Hispalensis, Ioanni Christophoro Calueto Stellae[1], quem ad uiros illustres celebrandos semper expeditum esse cognouerat, mandauit ut res a patre suo, Christophoro Vacca Castro, in Indis gestas non solum memoriae Latine traderet, uerum etiam eum laudibus maximis extolleret. duo inde opera, *Vaccaeis* et *De rebus Indicis*, de eadem re orta sunt; neutrum uero eo tempore in lucem prolatum. et quamuis saeculo xuiii ad utrumque edendum uiri quidam de his studiis optime meriti adnixi sint, *Vaccaeis* tantum promulgata est[2]. tandem operis *De rebus Indicis* editionem principem anno mdccccl J. López de Toro parum feliciter curauit.

Quod ad textum constituendum attinet, codices tres exstant qui *De rebus Indicis* libros seruarunt:

1 Cum ad institutum meum non pertineret Calueti uitam et opera persequi, lege sis quae López de Toro et Díaz Gito in editionibus Caluetianis fuse disseruerunt et libros ab eis laudatos: J. López de Toro, *Juan Cristóbal Calvete de Estrella. De rebus Indicis. Estudio, notas y traducción de*, ii uol., Madrid, 1950, i, lxxiii–lxxuii; M. A. Díaz Gito, *La Vaccaeis de Juan Cristóbal Calvete de Estrella*, Cádiz, 1991, ix–xxxix.

2 cf. López de Toro op. cit. i, xi–xxi.

S = codex Granatensis Sacromontanus Bibliothecae[3] Collegii Sacri Montis, saeculi xui exeuntis, chartaceus formae quartae. olim duo saltem uolumina praesto erant, sed nunc secundum tantum exstat, quod librum uii, cui numerus ui perperam adscribitur, ff. 289–555 continet. ipse scriba, ut uidetur, errores correxit. inscriptiones in tergo habet 'De Bello Peruano' et 'Calueti Stellae tom. II'.

P = codex Matritensis, 'Biblioteca de Palacio', 2652, 2653, chartaceus in folio: uoluminibus duobus constat, quorum primum libros i–ui ff. 1–363 continet, alterum librum uii, quem item ui nominat, ff. 1–164. textum totum hic codex unus seruat, anno mdcclxx, ut uidetur, exscriptus[4], ut in lucem prodiret. eodem quo exaratus est tempore ipse scriba correxit.

A = codex Matritensis, Bibl. Regiae Historiae Academiae 9–29–4/5881, chartaceus formae quartae: saeculo xuiii exeunte uel ineunte xix, ut uidetur, exaratus[5], continet libros i–ui, ff. 1–705. correctionibus caret.

Codicum adfinitates satis constare arbitror: locum principem ueterrimus S tenet; scilicet librarius qui et codicem *Vaccaeidos* Sacromontanum exarauit ipsius Calueti iussu ex eius autographo pulcherrimis litteris etiam hoc

3 in qua nec libros in ordine dispositos nec plerosque codices manu scriptos in indice inuenias. ceterum gratias hic ago J. López Ramírez et J. Sánchez Ocaña qui comiter, quamquam bibliotheca erat clausa, potestatem et libri requirendi et, cum eum repperi, imaginem phototypicam obtinendi mihi fecerunt.

4 cf. López de Toro op. cit. xiu–xuiii et xxu–xxui.

5 Bibliothecae Regiae Academiae indices xix saeculum notant; cf. contra López de Toro op. laud. xix–xxi et xxuii–xxuiii.

opus descripsit. Matritenses (**P** et **A**) ex hoc orti nullius pretii fuissent, si Sacromontanus integer exstitisset, sed ad libros i–ui edendos maximi momenti sunt. neuter ex altero transcriptus est; modo **P**, modo **A** praestat. quod cum manifeste pateat, mihi et omnibus quicumque hos contulerunt mirum uidetur si López de Toro **A** ex **P** descriptum existimat, praesertim cum codicem Academiae saeculo xuii exscriptum, Palatinum xuiii asseueraret[6]. codex enim **A**, quamuis lacunosus et neglegenter scriptus, praeter ea quae a codice **P** omissa nobis unus tradit[7] ueras lectiones adseruat in his paucis locis quos e multitudine elegi:

1.2.2 incognitae **A** : cognitae **P**; 1.27.1 serendis **A** : ferendis **P**; 1.31.2 quoad **A** : quod **P**; 2.22.1 aduecta **A** : aducta **P**; 2.24.5 ligneae **A** : tinere **P**; 2.29.5 credunt **A** : crederent **P**; 2.33.1 iniectum **A** : in iutum **P**; 3.28.1 abiectis **A** : obiectis **P**; 3.38.3 tecturum **A** : lecturum **P**; 3.40.1 eum **A** : cum **P**; 3.42.5 militibusque **A** : militibus **P**; 4.13.2 omni **A** : amni **P**; 4.25.2 interfuisse **A** : iter fuisse **P**; 4.51.1 clarissima **A** : charissima **P**; 5.9.8 alter **A** : aliter **P**; 5.49.1 centum *ante* in Pizarrum **A** : caeterum **P**; 5.59.3 ausurum **A** : usurum **P**; 6.12.4 facturum **A** : futurum **P**; 6.46.3 amicis **A** : admisis **P**; 6.52.7 per uastas **A** : peruastatas **P**; 6.118.4 ut **A** : in **P**

6 cf. López de Toro, op. cit. xui.

7 cf. 1.25.3; 1.26.3; 2.29.2; 2.30.6; 2.39.7; 2.43.4; 3.30.3; 3.38.2; 3.46.3; 4.7.1; 4.29.5; 4.37.2; 4.39.5; 4.47.27; 4.47.28; 4.47.30; 4.59.1; 5.1.1; 5.4.9; 5.10.1; 5.10.2; 5.23.2; 5.31.3; 5.31.5; 5.32.4; 5.34.2; 5.54.3; 5.68.1; 5.68.3; 5.69.1; 5.79.1; 6.4.6; 6.4.8; 6.6.4; 6.19.2; 6.22.3; 6.29.1; 6.29.3; 6.42.5; 6.48.4; 6.48.7; 6.48.9; 6.49.2; 6.51.2; 6.52.4; 6.60.3; 6.67.2; 6.71.2; 6.77.2; 6.89.4; 6.90.8; 6.101.1; 6.102.1; 6.102.5; 6.109.2; 6.115.8, sed praesertim 1.1.2; 4.16.4; 4.30.2–3; 4.47.6; 4.47.20; 4.52.2; 5.35.2; 5.46.1; 5.56.2; 5.64.3 et 6.110.3, ubi lacunae maximae in **P** reperiuntur.

Ceterum, cum **A** interdum a Sacromontano maxime abhorreat, codex **P** fidem maiorem plerumque retinet. confer haec quae selegi exempla:

> 1.13.1 iuga **P** : fuga **A**; 1.39.1 amnis **P** : animis **A**; 1.42.1 tam **P** : eum **A**; 2.1.3 etiam **P** : esse **A**; 2.9.1 scriptorum **P** : scripto **A**; 2.16.2 permeare **P** : per me a te **A**; 3.11.5 uentum **P** : uersum **A**; 3.38.5 secreto **P** : neto **A**; 3.50.7 hastis **P** : hostis **A**; 4.11.4 poenas **P** : pomas **A**; 4.16.1 ex Perura **P** : Peruram **A**; 4.38.2 satis **P** : factis **A**; 5.20.5 numero **P** : puniero **A**; 5.23.4 ne **P** : sane **A**; 5.39.1 muneri **P** : numeri **A**; 5.54.3 anni M.D.XLI. **P** : ann. M.D.X.I.I. **A**; 6.6.2 assensu **P** : ascensu **A**; 6.48.8 egens **P** : agens **A**; 6.54.5 nominantur **P** : numerantur **A**; 6.58.4 certatim **P** : certamen **A**; 6.121.1 os **P** : eos **A**

etiam pro permultis Academiae codicis lacunis **P** uerum tradit[8]. ad hunc autem perpendendum testis optimus est liber uii, qui Sacromontano conferri potest. manifeste enim apparet codicis **P** scribam uoces aliquando transposuisse[9], corruptelas atque errores, licet plerosque ipse correxerit, iniecisse[10], nonnulla omisis-

8 e.g. 1.9.2; 1.10.1; 1.12.4; 1.22.1; 1.23.4; 1.24.3–25.4; 1.38.1; 2.14.2; 2.24.2; 2.26.7; 2.31.1; 3.27.1; 3.39.4; 3.48.7; 3.49.2; 4.4.4; 4.14.1–2; 4.25.4; 4.32.8; 4.44.5; 4.47.3; 5.8.5; 5.14.4; 5.25.2; 5.34.2; 5.64.6; 5.68.5; 5.80.5; 6.2.2; 6.5.4; 6.7.4–8.1; 6.8.1; 6.10.1; 6.21.3; 6.48.1; 6.54.4; 6.56.3; 6.65.2; 6.67.3–4; 6.84.2; 6.93.3; 6.96.4; 6.106.4; 6.120.1; 6.123.2.

9 cf. e.g. 7.5.4.; 13.1; 13.22; 14.2; 25.8; 46.4; 61.11; 72.18; 74.2; 77.4; 82.3; 86.1; 90.6; 98.1; 101.11; 135.1; 140.6; 161.2.

10 cf. e.g. 7.5.2; 6.1; 7.3; 10.1; 12.11; 13.4; 13.29; 13.31; 13.37; 13.41; 14.10; 14.17; 19.26; 16.1; 18.6; 20.5; 22.5; 25.11; 25.36; 28.2; 30.1; 38.2; 41.2; 46.5; 49.5; 60.5; 60.25; 67.3; 72.13; 78.1; 86.6; 88.1; 90.1; 92.3; 94.7; 95.5; 98.3; 105.3; 106.2; 109.5; 124.4; 140.8; 140.15; 141.2; 144.3; 146.3; 146.5; 153.1.

se[11], nec tamen codicem tam uilem esse ut librorum i–ui textum restituere desperemus. ad quos edendos cum testimonia duorum codicum allata sint, affirmare ausim pleraque menda grauiora et insanabilia ab ipso Sacromontano orta esse et loca nunc corrupta uel dubia omnino explicari non posse, etiamsi alterum eius uolumen inuentum sit.

Editio princeps haud magno in pretio haberi potest. criticis adnotationibus caret et supra modum typographicis erroribus inquinata est, ita ut persaepe incertum sit cui corruptelae et menda attribuenda sint. sed cum multis uitiis referta sit, omnium maximum esse hoc uidetur: López de Toro tantum Academiae codicem plerumque legit atque errores etiam manifestos et lacunas ex eo descripsit. quod ut perspicias, haec exempla profero:

1.12.4 campestres et montanos Indos sint commercia, non sunt stratae tritaeque inter *om.* **A** *To.*; 1.29.3 ite **P** : he **A** : haec *To.*; 2.21.1 oues **P** : ores **A** *To.*; 2.31.1 et in regis uelut unici exempli mores formare *om.* **A** *To.*; 3.11.2 in altum **P** : maltum **A** : multum *To.*; 3.24.2 leuibusque **P** : lercibusque **A** *To.*; 3.48.7 diruunt et refodiunt, corpora extrahunt *om.* **A** *To.*; 4.25.4 data. huc ex ciuitate Regia Gomezius Tordoia cum ducentis militibus *om.* **A** *To.*; 4.41.5 erepturos **P** : ecepturos **A** : excepturos *To.*; 4.47.3 quo me uertam? ad quem confugiam *om.* **A** *To.*; 5.13.5 pomiferarum **P**² *ut uid.* : *nescio quid ante* ferarum *in* **P** : mistiferarum **A** : mixti ferarum *To.*; 5.17.4 (facile ueniam dedit) *post* motus **A** *To.* (*scilicet librarius quae iam antea scripserat iterauit et, cum animaduertisset, parenthesin posuit*); 5.82.4 munita **P** : munita *uel* minuta **A** : minuta *To.*; 6.7.4–6.8.1 pontifice Hispalensi

11 cf. e.g. 7.1.5; 5.4; 13.4; 13.13; 43.2; 60.3; 63.12; 80.4; 81.4; 94.5; 121.6; 130.3; 131.4; 134.2; 139.4; 140.3; 143.2.

et senatus Indici principe et summo Indiarum praefecto, subscriptum, a regio secretoque Caesaris sigillo munitum. quod sane a Garsia Loaysa cardinale *om.* **A** *To.*; 6.36.2 praeterea **P** : prepterea **A** : propterea *To.*

nonnulla etiam loca optime emendauit[12], plura quae corrigenda erant intacta reliquit[13], multa procul dubio retinenda correctionibus uanis uel falsis deprauauit[14].

Huius editionis rationem quam breuissime exponam. codicum omnium imagines phototypicas et Sacromontanum ipsum contuli. in **apparatu critico** instruendo hoc quaesiui, ut semper ante oculos habeas lectiones codicum discrepantes, quamuis multae ad textum constituendum parui uel minimi pretii sint[15]. orthographiae uarietates omisi, quarum plurimas in codicibus **P** et **A** reperias, nisi cum uel Hispanis uel Indicis nominibus insunt. **ut ad textum transeam**, capita et sectiones instauraui et numeraui, interpunctionem fere denuo statui, denique omnibus neruis contendi ut Calueti historiam castigatam et dignam, quam legere posset quicumque res Indicas persequi uellet, redderem. nam in locis corruptis medendis et in obscurioribus explicandis operam quam maximam nauaui.

Quod ad rem orthographicam attinet, aperte uidetur formas in codice praecipue Sacromontano scriptas, qui-

12 cf. e.g. 1.44.1; 2.24.1; 2.24.3; 3.4.2; 4.2.1; 5.9.7; 6.66.2; 7.60.17.

13 cf. e.g. 1.37.3; 2.37.8; 3.47.5; 4.12.3; 5.43.1; 6.71.4; 7.97.9.

14 cf. e.g. 1.44.1; 2.17.3; 2.19.2; 3.8.2; 4.41.4; 5.67.1; 6.83.2; 7.76.2.

15 in libro uii lectiones codicis **P** omnino inutiles modo in apparatu critico recepi, ut quae fides ei in ceteris habenda sit aestimetur.

bus Caluetus usus est, haud longe abesse ab illis, quas exempli gratia Cicero scripsit. adhibita uero in codicibus *caeterum, tentare, pene* et nonnulla eius modi alia, quae tacitus correxi, quamquam satis scio haec frequentissime eius saeculi auctores praetulisse. uoces omnes ad unam normam redigere conatus sum. qui labor paene desperandus fuit, cum Indiarum nomina exaequare conabar, siquidem sescenties *Hinga* uel *Iupanguis* et totiens *Hynga* et *Hyupanguis* in codicibus occurrunt[16]. nec dubitandum est quin in opere tam longo ipse Caluetus modo *Lopezius* et *portus Bonae Venturae* modo *Lopaeus* et *portus Bonae Fortunae*, ut *Guaninga, Guamanga, Goamanga* praetermittam, scripserit. ad ea edenda hanc regulam secutus sum: ex nominum formis leuissime inter se discrepantibus unam in contextum admisi, reliquas adnotaui; sin omnino diuersae sunt, lectorem admonui et codicum formas retinui.

Pauca de fontibus et de titulo agere opus est. cum codex **A** –et olim **S**, ut uidetur– indicem adhiberet 'De rebus Indicis libri xx', quaerendum est utrum 'opus affectum' (quod in codice Matritensi re uera affecto quidam adnotauit) hoc sit an Caluetus in septem tantum libros historiam eius totam distribuerit, quamuis fortas-

16 cum haec nomina quam plurimis corruptelis foedata essent, ea cum illis quae Caluetus uel scriptores alii, quorum opera ipsum legisse satis constat, in Hispano sermone exhibuerunt conferre semper intendi et, si quid mendosum uisum est, correxi. ne suspectas uoces aliquas habeas, admoneam Caluetum semper litteram Hispanam ç, quam hodie *z* scribunt, in Latinum *c* uertere, cf. e.g. 5.79.1 Guanca ... Colacam et Cieza 383b *Guamza* ... *Colaza* (scilicet *Guamça* ... *Colaça* saec. xui)

se plura scribere primum cogitauisset. hoc López de Toro ideo asseuerat, quia nihil ad Vaccam Castrum laudandum uel ad eius facta purganda in opere quale nunc habemus desideratur. nec ab eius sententia dissentio. nam etiam in *Vaccaeide* quae Castrus gessit tantum usque eo referuntur, quoad Cuschum ingressus est.

Maximi momenti esse fontes Hispanos, unde res ad suum opus conficiendum Caluetus detraxit, agnoscere iam López de Toro sibi persuasum habuit, sed, cum multa animaduertisset, nonnulla etiam neglexit. qua de causa monendus sis ne quae uir doctus de hac re inconsulte coniecerit probata credas, quoad accuratius ea conquisita sint[17]. sunt autem fontes, quos Caluetus in Latinum sermonem ex Hispano saepe ad uerbum expressit, praesertim tres: López de Gómara, F., *Primera parte de la Historia general de las Indias*; Cieza de León, P., *La crónica del Perú*; Zárate, A., *Historia del descubrimiento y conquista del Perú*. quos auctores omnes in hoc opere citantur. capita nonnulla sui ipsius libri *Rebelión de Pizarro en el Perú y vida de Don Pedro Gasca* atque edicta et acta iudiciaria inseruit, quorum nonnulla inuenias in Cieza de León, P., *La Guerra de Chupas* et García, C., *Vida de D. Cristóbal Vaca de Castro*.

17 is enim coniecturam fecit Caluetum fortasse historiam F. L. Gomarensis ab ipso auctore ex Hispana lingua in Latinam uersam, cum hic iam de uita decesserat, casu nactum tamquam a se ipso elaboratam prodire uoluisse; quamobrem libros *De rebus Indicis* priores maxime cum Gomarensi opere congruere (cf. López de Toro op. cit. i, xxuiii–lxui et praesertim xliu–xluiii). quam coniecturam etiam Díaz Gito probat, op. laud. xxxiu–xxxu.

Reliquum est ut gratias multis agam. ex quibus commemorare uelim Annam Pérez Vega, cuius singulari benignitati et peritiae quantum debeam difficile est dictu, F. Socas et imprimis Antonium Ramírez de Verger, studiorum meorum auctorem et fautorem, qui me consilio suo in hac editione instruenda quam maxime adiuuit. animo etiam gratissimo libet mihi nominare uirum doctissimum I. A. Richmond, qui hanc praefationem beneuolentissime lima persecutus est.

I. M.

Scribebam Hispali
mense Februario a.S. mdcccclxxxxuiii

CONSPECTVS LIBRORVM

ACOSTA, J., Historia natural y moral de las Indias, Madrid 1986.
ANTONIO, N., Bibliotheca Hispana Noua, I–II, Matriti 1783.
BORREGÁN, A., Crónica de la conquista del Perú, Sevilla 1948.
BOYD-BOWMAN, P., Índice geo-biográfico de cuarenta mil pobladores españoles de América en el siglo XVI (1493–1519), México 1985.
– Índice geo-biográfico de cincuenta y seis mil pobladores españoles de América en el siglo XVI (1520–1539), México 1968.
BUSTO, J., Diccionario histórico-biográfico de los conquistadores del Perú, I–II, Lima 1986–1987.
CALVETE DE ESTRELLA, J. C., Rebelión de Pizarro en el Perú y vida de Don Pedro Gasca, B.A.E. 167–168, Madrid 1964–1965.
– De Aphrodisio expugnato, quod uulgo Africam uocant, commentarius, Antuerpiae 1551.
– Vaccaeis, ed. J. López de Toro, Madrid 1947.
– De Rebus Indicis, I–II, ed. J. López de Toro, Madrid 1950.
– El felicíssimo viaje del Príncipe Don Felipe, Amberes 1552.
Cartas de Indias, Madrid 1877.
CIEZA DE LEÓN, P., Crónica del Perú, B.A.E. 26, Madrid 1947.
– La guerra de Quito, Madrid 1985.
– Descubrimiento y conquista del Perú, Madrid 1986.
– Del señorío de los Incas, Buenos Aires 1943.
– La guerra de Salinas, Madrid 1985.
– La guerra de Chupas, Madrid 1985.
COCHRANE, E., Historians and Historiography in the Italian Renaissance, Chicago 1981.
COROMINAS, J., PASCUAL, J. A., Diccionario Crítico Eti-

mológico Castellano e Hispánico, I–VI, Madrid 1987–1991.
COVARRUBIAS, S., Tesoro de la Lengua Castellana o Española, Barcelona 1987.
CUNEO VIDAL, R., Vida del conquistador del Perú don Francisco Pizarro y de sus hermanos Hernando, Juan y Gonzalo Pizarro y Francisco Martín de Alcántara, Barcelona s.a.
DÍAZ GITO, M. A., La Vaccaeis de Juan Cristóbal Calvete de Estrella, Cádiz 1991 (Diss.).
– Un caso de falseamiento de la verdad histórica en la Vaccaeis de Calvete de Estrella, Humanismo Latino y Descubrimiento, Sevilla 1992, 121–130.
Diccionario de la lengua castellana compuesto por la Real Academia Española, Madrid 1783.
DV CANGE, Glossarium mediae et infimae latinitatis, Graz 1954.
ESTEVE BARBA, F., Historiografía indiana, Madrid[2] 1992.
FERNÁNDEZ, D., Primera y segunda parte de la historia del Perú, B.A.E. 164–165, Madrid 1963.
FERNÁNDEZ ÁLVAREZ, M., La España del emperador Carlos V (1500–1558; 1517–1556), Madrid 1966.
FERNÁNDEZ DE OVIEDO Y VALDÉS, G., General y natural Historia de las Indias, B.A.E. 117–121, Madrid 1959.
– Sumario de la Natural Historia de las Indias, B.A.E. 22, Madrid 1946.
GARCÍA, C., Vida de D. Cristóbal Vaca de Castro, presidente y gobernador del Perú, Madrid 1957.
GARCILASO DE LA VEGA, Comentarios reales, Lima 1985.
GIL, J., Mitos y utopías del Descubrimiento, I Colón y su tiempo, Madrid 1989.
– Historiografía española sobre el descubrimiento y descubrimientos, Revista de Indias 49, 1989, 779–816.
GIL, J., VARELA, C., Cartas de particulares a Colón y relaciones coetáneas, Madrid 1984.
GIL, L., Panorama social del humanismo español. Madrid[2] 1997.
GUTIÉRREZ DE SANTA CLARA, P., Quinquenarios,

B.A.E. 165–167, Madrid 1963–1964.
HEREDIA BARNUEVO, D. N., Mystico Ramillete, Granada 1741.
HERRERA Y TORDESILLAS, A., Historia general de los hechos de los castellanos en las islas y tierra firme del Mar Océano, I–V, Madrid 1726.
IJSEWIJN, J., Companion to Neo-Latin Studies, Leuven[2] 1990.
JEREZ, F., Conquista del Perú, B.A.E. 26, Madrid 1947.
LAS CASAS, B., Apologética Historia, B.A.E. 105–106, Madrid 1958.
LEONARD, I. A., Los libros del conquistador, México 1979.
LÓPEZ DE VELASCO, J., Geografía y descripción universal de las Indias, B.A.E. 248, Madrid 1971.
LÓPEZ DE GOMARA, F., Primera parte de la Historia general de las Indias, B.A.E. 22, Madrid 1946.
MARINEVS SICVLVS, L., De rebus Hispaniae memorabilibus libri XXII, Hispaniae Illustratae I, Francofurti 1603.
MARTOS, J., Notas textuales al De rebus Indicis de Juan Cristóbal Calvete de Estrella, Humanismo y Descubrimiento, Sevilla 1992, 113–120.
MENDIBURU, M., Diccionario histórico biográfico del Perú, I–XII, Lima 1931–1934.
MORALES PADRÓN, F., Historia del descubrimiento y conquista de América, Madrid 1990.
MURILLO VELARDE, P., Geographia de América. Granada 1990.
ORTELIVS, A., Synonymia Geographica, Antuerpiae 1578.
– Theatrum orbis terrarum, Antuerpiae 1584.
PÉREZ DE TUDELA, J., Observaciones generales sobre las guerras civiles del Perú, Madrid 1963.
PIZARRO, P., Relación del descubrimiento y coquista de los reinos del Perú, B.A.E. 168, Madrid 1965.
PORRAS BARRENECHEA, R., Los cronistas del Perú (1528–1650), Lima 1962.
RAMÍREZ DE VERGER, A., J. Ginés de Sepúlveda: Historia del Nuevo Mundo, Madrid 1987.
– Observaciones textuales al De Orbe Nouo de J. Ginés de Sepúlveda, Habis 23, 1992, 287–295.

– Juan Ginés de Sepúlveda: De Orbe Nouo (Historia y problemas del texto), Humanismo Latino y Descubrimiento, Sevilla 1992, 81–91.

Relación de las cosas del Perú desde 1543 hasta la muerte de Gonzalo Pizarro, B.A.E. 168, Madrid 1965.

RODRÍGUEZ, M., El descubrimiento del Marañón, Madrid 1990.

RONDELETIUS, G., Libri de piscibus marinis, in quibus uerae piscium effigies expressae sunt, Lugduni 1554.

RVELLIVS, I., De natura stirpium libri tres, Basileae 1543.

SEPÚLVEDA, Io. G., De Orbe Nouo, ed. Ramírez de Verger, Lipsiae 1992.

SILVA, J. F. V., Elogio de Vaca de Castro por Antonio de Herrera, Madrid s.a.

VIFORCOS MARINAS, M. I., PANIAGUA PÉREZ, J., El leonés don Cristóbal Vaca de Castro, gobernador y organizador del Perú. León 1991.

ZÁRATE, A., Historia del descubrimiento y conquista de la provincia del Perú y de las guerras y cosas señaladas en ella, hasta el vencimiento de Gonzalo Pizarro y de sus secuaces, que en ella se rebelaron contra Su Majestad, B.A.E. 26, Madrid 1947.

SIGLA LIBRORVM QVI IN APPARATV CRITICO LAVDANTVR

Calu. = Caluetus Stella, Ioannes Christophorus *siue* Caluete de Estrella, Juan Cristóbal,
- *Gasca* = Rebelión de Pizarro en el Perú y vida de Don Pedro Gasca.
- *Aphr.* = De Aphrodisio expugnato.
- *Vacc.* = Vaccaeis (codex manu scriptus, Salmanticae 1590)

Cieza = Cieza de León, P., La cronica del Perú.
Cieza[2] = Cieza de León, P., La guerra de Chupas.
D.R.A.E = Diccionario de la Real Academia Española.
Gómara = López de Gómara, F.
Oviedo[1] = Fernández de Oviedo y Valdés, G., Sumario de la Natural Historia de las Indias.
Oviedo[2] = Fernández de Oviedo y Valdés, G., General y natural Historia de las Indias.

Cetera sigla et pleniores tituli in librorum conspectu inuenientur.

SIGLA


S = cod. Granatensis Sacromontanus, saec. xui
 S^2 = correctiones codicis S

P = cod. Matritensis 'Biblioteca de Palacio' 2652–2653, 1770
 P^2 = correctiones codicis **P**

A = cod. Matritensis, Bibl. Regiae Historiae Academiae 9–29–4/5881. saec. xuiii uel xix

To. = editio princeps a J. López de Toro curata, Madrid mdccccl

STEMMA CODICVM



IOANNIS CHRISTOPHORI CALVETI STELLAE

DE REBVS INDICIS

LIBRI VII

LIBER PRIMVS

Florebant in Hispania belli domique res, magnisque incrementis sub Catholicis regibus Ferdinando et Isabella augebantur. nec parum ingentes Hispanorum animos uirtus et felicitas maximorum regum incitabant. tanta erat rerum gestarum gloria, tanta uirium ac roboris apud omnes gentes opinio et existimatio, tot tantaeque in Italia et Africa atque in ipsa etiam Hispania uictoriae partae atque adeo regum potentia creuerat et nomen famaque per terrarum orbem uiguerat ut nemo ea tempestate principum esset qui cum eis iure aequari conferrique posset. iam reges, Mauris tandem ex Baetica prouincia pulsis, Illiberim recipere, iam Gallos ex Italia eicere, iam Africae oram subigere, Oceanum temptare ac demum in animis agitare, cum magnitudinem fortissimae gentis Hispania capere non posset, quaerendas esse alias et quidem incognitas terras, in quas nullae Europae Africaeque gentes, nulla umquam arma penetrassent; aperiendum eum Oceanum, in quo Atlantidem insulam longe omnium maximam et potentissimam undis submersam fuisse accepissent; nec dubium esse quin Hispani, traiecto eo Oceano, alias insulas atque prouincias inuenirent aliamque caeli faciem uiderent ignotas-

1 2 3

Inscriptiones: Ioannis Christophori Calueti Stellae De rebus Indicis ad Philipum Catholicum Hispaniarum et Indiarum Regem Libri Viginti A : Christophori Caluete Stellae De rebus Indicis Libri Sex P

1 1 Catholicis A : Catholicus P | erat *om.* A | posset *correxi* : posse PA || 2 Mauris P : Maurium A | quas A : qua P | Africaeque gentes, nulla unquam arma *om.* P | undis P : unde A || 3 nec A : ne P

que stellas nec umquam a se uisas conspicerent; satis superque nomen Hispanum per Europam, Africam et Asiam clarum nobileque bello esse; traiciendum iam in alterum nouum et ignotum orbem, ut ea ex re laudem aeternumque decus referrent, unde aurum, argentum et gemmas reportarent et, quod longe maius et pulchrius tantisque animis et uirtute Hispanorum dignius esset, tropaea per nouas et inauditas terras ponerent, signa regia proferrent atque imprimis sacrosanctam religionem augerent atque propagarent; nec uirtutis Hispanorum esse id experiri aggredique non audere, quod Carthaginienses tanta olim gloria temptassent et Romani ciuilibus districti bellis intemptatum reliquissent.

2 Non defuit tantis regum conatibus fortuna; nam cum ipsi haec secum cogitarent Illiberimque tunc oppugnarent, Christophorus Columbus Ligur commodum in castra uenit, ut regum fauore atque ope nouas et incompertas terras quaereret atque exploraret. in id totus ipse mente atque animo insistebat diesque et noctes apud eos agere non cessabat, ut eam rem susciperent atque se duce aggrederentur, quam ne temptare quidem Britanniae Lusitaniaeque reges ausi fuissent: magna inde nominis, famae, imperii et religionis futura incrementa; se ex ueteri rerum memoria plane compertum habere alias insulas aliasque continentis regiones ultra immensum inexploratumque illum Oceanum auro, ar-
2 gento, gemmis et odoribus abundantissimas esse. 'iam ultra' inquit, 'Fortunatas insulas a Ioanne Bethanchoro equite Gallo, Catharina regina Ioannis secundi matre permittente, repertas dicionique Hispanae a uobis addi-

2 2 Ioannis A : Ioannes P

tas imperium protendite. hoc Lusitanus iam fecit, quippe qui Hesperidas insulas contra promunturium Viride atque extremum illud Aethiopiae, cui Bonae Spei nomen est inditum, est praetergressus. an uos a Lusitano, quem armis uestra regna inuadentem reppulistis hac re uinci patiemini? percurrat ille Africae, Aethiopiae Indiaeque oram ultra Sinas; uos insulas continentisque incognitae regiones imperio Hispaniae adiicite. neque enim ambigo, si tres naues instructae armis, commeatibus et militibus Hispanis mihi attribuantur, quin faustis auspiciis uestris ea in alterum orbem nauigatio prosperum successum sit habitura.'

Traxit Columbus facile reges in suam sententiam, 3 quamquam non defuerunt qui Liguri non esse credendum asseuerarent. itaque finito Baetico Illiberitanoque bello, quod octingentos amplius annos durauerat, ne qua prolatandi imperii augendaeque religionis occasio umquam deesset, Indicum est secutum. nam reges animi constantia orationeque Columbi adducti tres naues omni commeatuum et armorum genere parari et instrui atque in eas ducentos uiginti Hispanos imponi imperant. his Columbum praeficiunt, qui, priusquam ex Hi- 2 spalensi portu (is est in litore Baetico contra Gades) solueret, rem diuinam facere iubet precarique, quod de quaerendis nouis terris reges in animis haberent, ut ea

ille P[2]A : illae P | oram A : ora P | continentisque A : continentis P | incognitae A : cognitae P | si tres P : sities A | naues P : nauem A

3 1 occassio P : quessio A | indicum (*scilicet* bellum; *cf.* Baetico ... bello) PA : indicium *To.* | commeatuum P : -atum A | instrui A (*cf. e.g. 1.30.1, 1.50.2*) : institui P

res regi reginaeque, senatui populoque Hispano bene ac feliciter eueniret; laeta omnia renuntiarentur, termini 3 imperii prorogarentur et religio amplificaretur. solutis religione animis, Columbus praetoriam nauem conscendit et aliis Martinum et Franciscum Pinzones fratres praeficit ac circiter kalendas Septembris ex eo portu egressus in insulam Gomeram, quae una est ex Fortu- 4 natis, uenit. is annus erat a Christo nato supra millesimum et quadringentesimum nonagesimus secundus, Illiberi recepta atque Nouo Orbe inuento, plane felix atque memorandus. at Columbus cum aquationem fecisset, inter occidentem solem atque meridiem cursum direxit.

4 Erat is Columbus in Arbizolo Liguriae uico aspero atque ignobili iuxta Sauonam natus, statura procera, facie oblonga colore subrubro, iuxta laboris atque famis patiens magnumque disciplinae naualis usum habebat. nam puer cum Genuensium classe, qui maria et terras comercii lucrique causa percurrere solent, in Syriam nauigauerat, insulas, litora, sinus, emporia portusque conclusi maris lustrauerat atque ea longo usu edoctus, notatis caeli terraeque partibus, in nauigatorias mem- 2 branas rettulerat. fama est eum Olissiponem atque inde in Maderam insulam, quae a lignorum copia nomen accepit dicionisque est Lusitanae, uenisse atque ibi, cum aliquamdiu ducta uxore consedisset, ut sunt uariae

4 nonagesimus P : nonagessimum A

4 1 iuxta P : iusta A | subrubro *uel* subrubio P : subrubio A | Emporia P : Temporia A || 2 Maderam P[2] : Maederam P : Mederam A | ditionisque P : dictionisque A | uenisse P : uenisset A

mortalium res, nauclerum quemdam cum tribus sociis hospitio excepisse, qui se, cum in Aethiopiam nauigarent, ubi maximus Preteiannes Aethiopum Abissinorumque rex imperat, euro aduerso flante per immensum inexploratumque Oceanum ad occasum et in ignotas et numquam a se uisas ac ne auditas quidem terras delatos assererent, atque inde, consumptis aliis sociis, longiore usos nauigatione in eam insulam ita morbo fameque confectos rediisse, ut intra paucos dies ipsi obierint; Columbum uero ea quae a nauiculario 3 acceperat quaeque in commentariis eius inuenerat mente reposuisse. qui, ut erat acri uiuidoque ingenio praeditus, intellexit eas terras nouas esse Indias et longe alias ab Aethiopicis, quae magni Preteiannis Abissinorum regis imperio parent atque etiam ab illis, unde Lusitani piper, zingiber, cinnamomum, caryophyllos nucesque myristicas aduehendas curant. sed nauiculator iniquo 4 fato sublatus tantae rei a se casu inuentae commodis praemiisque, ut decuit, gaudere fruique non potuit nec, quod nomen eius inuidia siue fortunae potius iniuria suppressum fuerit, debita laude celebrari. Hispanum fuisse constat et, quod magis ueri simile uidetur, Lusitanum non Baeticum aut Cantabrum.

At Columbus, nauiculario cum sociis defuncto, in **5** Hispaniam traicit. quod ab eo acceperat cum Ioanne Ruizio Franciscano communicat. qui, ut erat uir caelestium rerum atque naturae capax, quae Columbus rettulit cum iis maxime congruere ostendit quae grauissi-

fameque P : famaeque A : famaque *corr. To.* | rediisse *post* paucos *transposuit* A

5 1 ostendit P : obstenditur A

mi auctores memoriae tradidissent ac se pro certo habere ipsum, si a Fortunatis insulis ad occasum nauigarit, eas insulas atque terras quas nauicularius prodidisset inuenturum. hortatur ut rem suscipiat omnibus saeculis memorabilem futuram atque cuncta quae Thebanus 2 Hercules gessisset obscura facturam. nec multis opus erat adhortationibus. nam Columbus nihil non mouerat et temptauerat ut eam rem, quam semper summe concupierat, exsequi aliquando posset. ceterum cum infirmae tenuesque eius opes et facultates essent nec uires ad id sufficerent, quod iam statutum cum animo et deliberatum habebat, Bartholomaeum Columbum fratrem in Britanniam misit, ipse in Lusitaniam contendit. sed cum id ex sententia non succederet, neque enim Britannus et Lusitanus induci potuere ut fidem ei haberent, ad Ferdinandum et Isabellam, sicuti supra demonstra- 3 tum est, sub finem Illiberitani belli se contulit. qua tandem re, eo bello finito, a regibus impetrata, eo per uastissimi Oceani fluctus a Fortunatis insulis cursum tenuit quo nauicularius se percurrisse ei rettulerat.

6 Et cum longius per ingentem intemptatumque Oceanum processisset nec usquam terrae apparerent, parum afuit quin ab indignantibus sociis opprimeretur, quod existimarent se a uano Ligure deceptos ipsumque imposuisse regibus: uana esse omnia quae de nouis ad occidentem solem terris praedixisset; satius esse, antequam nautica cibaria deficerent, in Hispaniam regredi, ne in

nauigarit A : nauigart*** P || 2 Columbus P : Columbo A | tenuesque *corr. To.* : tenuisque PA | statutum P : secutum A || 3 se percurrisse A : percurrisse se P

6 1 usquam P : usque A | nouis P : nobis A

uasto illo intemptatoque pelago fame aut naufragio perirent. ille socios blandis uerbis delenit sacramentique 2 militaris admonet: cauerent ne in proditionis poenam in Hispania subirent; indignum uirtute animisque Hispanorum esse ab ea re, quam tanta laude iniissent, inani mortis timore desistere; quin firmis persisterent animis; nihil sine summis laboribus uitaeque periculis dignum aeternitate comparari posse; meminerint se Hispanos esse atque ipsos a regibus prae ceteris delectos, maioremque infamiae et dedecoris notam eos quam alios subituros, nisi eam rem tanta gloria coeptam ad optatum finem perducerent.

Vixdum Columbus socios confirmarat ut in officio 7 manerent, cum deuolantes aues conspexit. omen laetus accipit speique plenus affirmat non procul eas terras abesse, unde aues illae euolassent. nec ea res Columbum fefellit; nam eo die sub secundam noctis uigiliam unus atque item alter nauta lumina prospicit ac, cum illuxisset, 'terram, terram' primus omnium Rodericus Triana conclamat. quae uox laetitiae plena animos om- 2 nium plane consternatos erexit atque mutauit. nam qui probris maledictisque Columbum incessebant, ueniam orare, magnis laudibus in caelum extollere, Hercule Liberoque Patre celebriorem futurum praedicare ac more nautico canentes Deo optimo maximo gratias agere. Columbus gaudio perfusus iam terram cernit et, ut in conspectu insulae fuit, precatus Deum uti bono regum Hispaniae, populi, plebis suoque Indiam uiderit praetoriam nauem in eam dirigit aliasque duas, quas Pinzones agebant, se consequi iubet. qui statim ut insulam tenuit,

2 comparari P : comparare A

e naui primus descendit et, quod faustum felixque sit,
3 terram complexus atque exosculatus 'teneo te,' inquit, 'India, et possessionem huius terrae et Indiarum et Noui Orbis, quem ego auspiciis Ferdinandi et Isabellae Hispaniarum regum primus inueni, a summo Deo traditam nomine ipsorum regum accipio. et precor quaesoque te, maxime Deus, aeque ea omnia regi reginaeque et reipublicae Hispanae bene uertas, bonis auctibus augeas, signa regia ita in dies attollas atque per incognitas prouincias, populos et gentes extendas ut hae exploratae et ab Hispanis subactae religionem cultumque tuum diuinum suscipiant atque colant; ac me etiam me iuues et qui meum imperium terra, mari amnibusque sequuntur eos saluos incolumesque et spoliis ornatos mecum domos reduces sistas.'

8 Erat ea insula Guanahanis, una ex Lucaiis, quas supra quadringentas inter Floridam et Cubam positas esse dicunt. ab ea Columbus, cum precatus fuisset, in Haetin, quam Hispaniolam cognominauit, secundissimis euris est prouectus et, cum praetoria nauis impegisset, milites propere in terram exposuit nihilque praeter nauem
2 iacturae fecit. Indi primo conspectu nauium deinde tumultu in terram egredientium territi ad montes fugiunt pernicitateque omnes praeter unam mulierem euadunt. hanc Columbus munusculis ornatam dimittit; ea suis munuscula monstrat; illi benignitate aduenarum ducti in litora redeunt nostrisque aurum, panes, aues quas uocant gallipauos offerunt. signis ueluti muti rem inter

7 3 aeque P : aequae A | religionem *correxi* : religione PA
8 1 pr(a)ecatus PA : profectus *scr. To.* | impegisset P : inspexisset A

se agunt; neutri alteros intellegunt; neque enim ulli inter ipsos interpretes erant. Columbus Guacanacarem 3 eius insulae regem ad colloquium euocat et cum eo, datis acceptisque donis, societatem iniit atque in eo portu in quo nauem amisit et quem Regium nominauit, permittente rege et iuuantibus incolis, castellum ex lignis congestaque terra erexit. ibi Rodericum Aranam 4 cum triginta octo militibus, ut insulam exploraret, mores ritusque gentis cognosceret linguamque perdisceret, relinquit. aurum quod a Guacanacare dono acceperat et quadraginta psittacos et complures gallipauones miliumque Indicum et alia argumenti miraculique gratia in duas naues imponit, commendatisque regi Hispanis quos castelli praesidio relinquebat, in Hispaniam proficiscitur atque in eum portum unde egressus fuerat quinquaginta dierum nauigatione reuertitur.

Inde Barcinonem, ubi per id tempus reges erant, tri- 9 umphantis more peruenit. nam undique omnes spectatum Noui Orbis inuentorem et quae ex eo ipse adducebat in uias prodibant. erant cunctis admirationi cum alia non modo in Hispania non uisa sed ne audita quidem tum praecipue sex Indi imberbes, criniti, colore pallido, auro experforatis auribus labiisque dependente. hos Columbus et complures psittacos uirides, rubros, 2 luteos et uersicolores et gallipauos atque alia praeter aurum noua atque incognita regibus obtulit. illi Columbum benigne excipiunt ac praeter morem maiestatem-

4 Aranam P : Arana A | linguamque P : linguaque A | Indicum P : Indiam A

9 1 more P : morae A || 2 Columbus et complures psittacos uirides, rubros *om.* A | aurum P : auium A | maiestatemque P : maiestateque A

que Hispaniae regum coram se sedere iubent eumque non minore laetitia quam admiratione quae inuenisset 3 quaeque uidisset referentem audiunt. qui cum ab Alexandro sexto pontifice maximo impetrassent ut quidquid terrarum, maris et continentis Hispani ad occidentem solem inuenirent atque subigerent dicioni imperioque Hispaniae cederet, Columbum amplissimis honoribus et muneribus atque titulis ornatum cum septemdecim Liburnicarum classe in Indiam remiserunt.

10 Is diuersa usus nauigatione propriusque ad aequatorem quam antea fecerat accedens Anthropophagorum, quos Canibales uocant, litora percurrit; Guacanam, quam Guadalupeam appellauit, Cubam, Iamaicam atque alias insulas explorauit in Hispaniolamque rediit. ceterum, cum Hispanos quos castelli praesidio reliquerat ab insulanis, quod nimis licenter turpiterque uiuerent feminisque uim inferrent, interfectos comperisset, arcem in Cibai fodinis condidit eique Petrum Margari- 2 tum equitem Gerundensem praeficit. nec diu postea illic moratus Hispaniam repetiuit atque aliis duabus expeditionibus, ut leuiter quod a Columbo gestum est perstringam, neque enim instituti nostri est res eius omnes persequi, quod ab aliis iam sint traditae, uniuersam illam terrarum Oceanique oram, quam Pariae Darienaeque regionis dicunt, ipse inuenit atque peragrauit, columnamque marmoream in eo posuit promunturio quod inde nomen traxit, atque in eam urbem postea

3 quicquid P : quidquid A | cederet P : crederet A
10 1 Guacanam *correxi coll. Gómara 181a* : Gucauam PA | Cubam, Iamaicam atque alias insulas explorauit *om.* A || 2 uniuersam illam P : uniuersa ilam A

abiit quae Nomen Dei uocatur. erit haud dubie hoc Columbi monumentum per terrarum orbem in omne aeuum non minus celebre quam Abyla et Calpe, laborum Herculis metae. quid enim ille uir, immortalibus litterarum monumentis celebrandus ac non modo ueterum more inter suos marmorea aereaque statua, sed inter Hispanos etiam aurea donandus, non temptauit atque exsecutus est? quippe qui unius nauicularii Lusitani dicto rem omnibus saeculis admirandam aggredi ausus fuit, quod, si suopte ipse ingenio atque ausu fecit, sicuti plerisque placere uideo, dignissimus certe est qui annua perpetuaque memoria solemni statoque die ab Hispanis celebretur, quibus intemptatum illum Oceanum primus aperuit et alterum terrarum orbem inuenit lustrandumque ipsis reliquit. 3

11 Multi enim ex Hispanis uel aemulatione laudis uel spe quaestus adducti, relicto natali solo, partim sub ipso Columbo duce, primo Noui Orbis repertore, partim sub aliis praefectis et his quidem Hispanis, uno aut altero excepto, Hispaniolam, Cubam, Iucatanam, Nouam Hispaniam, Guatimalam, Nicaraguam atque cum freto Magallanico Argenteoque flumine Peruranas Cuschanasque prouincias propriis sumptibus, immensis laboribus, incredibilem famem sitimque tolerantes, nullum periculum uitaeque discrimen recusantes imperio Hispano adiecerunt. nec cessant umquam regia signa pro-

3 temptauit] tentauit P : tentabit A | unius P : unus A | fuit A : *nescio quid post* fu *in* P : fuerit *leg. To.*

11 1 Iucatanam *scripsi, cf. Cieza 354a et Martos 114–115* : Lucatanam A (*cf. e.g. 2.7.1, ubi* Lauam *pro* Iauam *scr.*) : Lircatanam P

tendere religionemque Christianam augere atque pro-
2 pagare. et quamquam multi clari et illustres duces post Columbum, qui tot maria tantasque terras perlustrauit, exstitere, qui complures inuenere atque illustrauere prouincias, tamen citra iniuriam Hispanorum qui Indias subegerunt, hoc dictum uelim, nemo cum Ferdinando Cortesio siue animi magnitudine et integritate siue rerum gestarum gloria aequari conferrique potest; Themistitanam illam urbem expugnauit, Motezumam regem proelio cepit Mexicanasque prouincias, quae in Nouam Hispaniam abierunt, multis magnisque deductis coloniis subegit.

12 Sed quid post Cortesium abunde a Francisco Lopezio Gomarensi, uti par erat, celebratum Baschum Nunium Balboam non efferret? is enim cum Darienae regionis litora percurreret, inita cum Careta et Comogro regulis societate, intellexit a Panquiaco Comogri filio, cui Carolo postea nomen fuit, trans montium cacumina quae manu ipse monstrabat austrinum esse mare, sed ad eam rem aggrediendam opus esse mille Hispanis armatis et totidem Indis, quod Balboa iter per feras indomitasque gentes, quae isthmum illum tenebant, qui duo
2 ingentia dirimeret maria, esset facturus. erexit non demisit animum Balboa Panquiaci dictis. nam in Darienem reuersus non cunctandum amplius sibi ratus, ne quis eam laudem praeriperet, ducentis circiter militibus in nauigium et decem cumbas impositis ad Caretam nauigat. ibi nauigium et cumbas relinquit, acceptisque a

2 inuenere P : inuenire A | Indias P : Indie A | quae A : que P

12 1 manu P : in anu A

Careta ducentis Indis qui sarcinas umeris ferrent, uiam monstrarent securibusque aperirent, pedibus iter fecit atque in Ponchae regionem cum agmine uenit. qui cum 3 Hispanorum audito nomine territus fugisset, a Caretanis delenitus rediit et cum Balboa foedus fecit Indosque dedit qui eum ad montes quos indicarat Panquiacus ducerent. itaque Balboa inde profectus, praeeuntibus Caretanis et Ponchensibus, qui per inaccessos saltus inuiosque anfractus uiam ferro sternebant, iter ad montes instructo agmine direxit. neque enim aliter procedi 4 poterat, propterea quod, cum rara aut nulla potius inter campestres et montanos Indos sint commercia, non sunt stratae tritaeque inter ipsos uiae, sed notis occultisque errant semitis aliique aliis insidiantes se mutuo capiunt atque interficiunt.

Ceterum Balboa immenso cum labore et fame incre- **13** dibili horridos illos montes Indorum opera atque ductu superauit agmenque pontibus ex sublicis uirgultisque factis flumina traduxit et Torrecham Quarechae regulum, qui primus ex montanis cum magna armatorum manu occurrerat, commissa pugna cum sescentis Indis interfecit, captisque in ea parci iussit, quod se imperata facturos promitterent, ideoque in ea regione saucios infirmosque milites reliquit; neque enim omnes tam diuturnum laborem famemque per aspera iuga densissima-

2 aperirent P : aperiens A || 3 direxit P : dixerit A || 4 nulla P : nullo A : nullae *corr. To.* | inter P : iter A | campestres et montanos Indos sint commercia, non sunt stratae tritaeque inter *om.* A | stratae *correxi* : stractae P | aliique P : aliisque A

13 1 Quarechae P (*cf. Gómara 193b*) : Guarechae A *To.* | regulum P^2 : regulii PA | famemque P : famaeque A | iuga P : fuga A

2 que nemora perferre poterant. inde Balboa, Ponchensibus domum dimissis, cum septuaginta robustissimis militibus Caretanisque et Quarechanis, qui uiae duces essent, excelsum montem, e cuius cacumine prospectus in austrinum erat pelagus, conscendit. et cum fere iam ad culmen uentum esset, agmen consistere iubet, ipse solus praecurrit uerticemque primus occupat et conuersus ad meridiem mare prospicit supplexque pronis genibus Deo optimo maximo, quod se tanto beneficio tantaque laude dignum fecerit, gratias agit sociosque
3 manu innuens arcessit. illi propere accurrunt. 'en,' inquit, 'socii, mare austrinum a nobis tanto labore quaesitum et optatum ac tandem repertum, unde praeter immortalem gloriam quam ex tanta re nobis comparauimus regem nostrum rempublicamque Hispanam perpetuo hoc beneficio deuinximus. quin spero, subactis his terris quas ad dextram laeuamque despicitis, uos locupletissimos omnium qui in Indias transierunt in patriam redituros. persistite mecum et labores famemque et sitim fortibus, ut hactenus fecistis, animis
4 perferte iniquamque superate fortunam.' milites ducem amplectuntur, mare prospectant et se in omnes casus uitaeque discrimina firmos fortesque futuros respondent, demirantibusque Indis, tumulos in possessionis speciem e congestis undique lapidibus erigunt, detractoque cortice in arborum truncis nomen Ferdinandi Catholici Hispaniae regis inscribunt. is dies erat ad sep-

2 Quarechanis P : Guare- A || 3 en P : et A | comparauimus P : comparabimus A | famemque P : famesque A | iniquamque superate P : umquamque superase A

timum kalendas Octobris eius anni Christi qui fuit supra millesimum et quingentesimum decimus tertius.

14 Balboa, confirmatis militibus, e monte instructo agmine descendit. Chiapem regulum cum montanorum copiis transitum impedientem proelio uincit et fugat captosque, ut clementiae famam inter barbaros sibi compararet, dimitti iubet Quarechanosque cum his ad Chiapem mittit, a quibus facile est inductus ut ad Balboam ueniret foedusque cum eo iceret, quod uideret Hispanos inuictos esse uiros Torrechamque cum sescentis hominibus ab eis occisum audiret. is Hispanos 2 in ingentem duxit sinum, cui Diuo Michaeli nomen fuit, quod ille dies ei sacer esset, quo Balboa, praesente Chiape cum multis Indis, possessionem eius austrini maris et insularum adiacentiumque terrarum apprehendit atque occupauit. nec diu hic cunctatus, ut oram illam exploraret, cum octoginta Hispanis (nam alii quos ipse in Quarecha reliquerat iam uenerant) nouem cumbis, quas Chiapes paratas habebat, ingentem fluuium transiit. Quoqueram et Tamacum proelio uictos in amicitiam recepit atque ducente Chiape in eius dicionem est regressus.

15 Inde pedestri itinere per uastas solitudines et paludes arduaque iuga tigribus leonibus et serpentibus referta, cum breuissimum per isthum quaereret transitum, deprehendit sinum Diui Michaelis et Vrabanum non amplius quam centum milibus passuum inter se distare. in eo itinere Pacram tyrannum cum tribus equitibus, quod

14 1 Quarechanosque *correxi* : Guare- A : quare cahanosque P || 2 Hispanis A : Hispanie P | (nam ... uenerant) *sic distinxi* | Quarecha reliquerat P : Guarechaceli quaerat A

infanda uteretur Venere, exussit aliosque regulos metu perterritos facile in amicitiam traxit foedusque cum eis 2 iunxit. tandem ad Carolum Panquiacum, qui Comogri regionem defuncto patre tenebat, agmine labore inediaque paene confecto peruenit. is ducem et milites amplexus ita benigne hospitio excepit atque tractauit ut om- 3 nes paucis diebus pristinas uires reciperent. Balboa, Quarechanis abire iussis acceptisque ab amico regulo aureis donis, sicuti ab aliis fecerat, pro aereis, per Ponchae dicionem iter fecit, relictisque in Coiba Caretanis, in Antiquam Darienis urbem milites incolumes, ne uno quidem desiderato, auroque et margaritis onustos, magnis rebus tam breui tempore tantaque cum laude et nominis claritate gestis, reduxit, ut qui mensibus ferme quinque austrinum mare repererit, tot regulos gentesque partim armis uicerit, cum numquam ipse pugnando uictus ac ne uulneratus quidem fuerit, partim in amicitiam receperit omnesque Hispaniae regi conciliarit.

16 Sed iure Ferdinandum Magallanem Lusitanum rettulerim, qui ex sua illa tam longa difficilique in Moluccas nauigatione inclutum aeternumque nomen reliquit. is namque auspicio Caroli principis, qui Ferdinando auo defuncto in Hispaniae Siciliaeque regna successerat, quinque nauium classe a Baetis ostio soluit, Fortunatas Hesperidasque insulas percurrit; inde cursum inter austrum et occidentem dirigens in Americae oram quae in ortum spectat Pariaeque est obuersa eo traiecit animo, ut sinum quaereret, quo utrimque Oceano illac irrum-

15 3 Quarechanis P : guare- A *To.* | aureis donis ... pro aereis] *cf. Il. 6.236*

16 1 Austrum P : Augustium A | illac P : illas A

pente traiectus in Noui Orbis terras esset, ut qui, quantum animi coniectura colligere poterat, rationem ex naturae lege duceret, qua omnem terram circumfluente Oceano uariis ambiri sinibus certo sciebat. itaque Magallanes aequatorem promunturiumque Augustini ac Capricorni lineam praeteruectus sinus, portus amniumque ostia diligenter explorauit. sed sinum quem tam auide quaerebat, quamquam longius quam Americus Vesputius, qui ea litora lustrauerat, iam processerat, inuenire non potuit. nam praetergressus promunturium Mariae et Paranaguaci ingentis fluuii ostia, quem Argenteum appellant, in sinum portumque Iuliani peruenit, cum rigida iam in ea regione, sole Aquilonem subeunte, hiems esset niualesque dies. incolebant eam homines immani statura instar gigantum, uerticibus tonsis, pedibus ita longis et deformibus ut ab Hispanis Patagones sint uocati. pellibus uestiuntur. uenatione praecipue gaudent; uulpes, capras et alias feras et struthocamelos sagittis per siluas persequuntur. 2 3

17 Magallanes Hispanos in terram egressos sub casis tentoriolisque ex ramis uirgultisque aedificatis habuit. uerum nec ea adhibita ope nec ignibus factis ingentem frigoris uim quae insecuta est arcere poterant; nihil caloris inierat; niue geluque omnia rigebant magnumque terrorem nostris adiiciebant, praesertim cum iam fame deficerent (parcissime enim nautica inter ipsos cibaria distribuebantur) nonnullique interirent. itaque plerique 2

2 quamquam P : quamque A | fluuii P : fluuiis A | regione P : regio A | hiems *scr. To.* : hynis P : hienis A || 3 immani P : inimani A | precipue P : precipuae A

17 1 (parcissime ... distribuebantur) *sic distinxi*

Magallanem per praefectos nauium orare ut inde in Hispaniam regrederetur: sinum quem ipse quaereret nusquam reperiri posse; multo longius ipsum quam neminem Hispanorum progressum ac plus laudis, gloriae,
3 famae, nominis ea ex re adeptum clamare. ille, cum pigritiam et desperationem in omnium uultu eminere uideret, eos delenit atque hortatur ut frigus famemque perferrent: non enim se dubitare, cum idoneam nactus ad nauigandum esset tempestatem, quin sinum inueniret: non decere uiros fortes praesertim Hispanos inglorios ignobilesque re infecta in patriam redire; iam uer appetere, interim frigus sagisque et magnibus ignibus
4 arceri posse, famem uero piscatu uenatuque depelli. milites et nautae magis indignari ac propalam dicere Lusitanum, quod solum exilii causa uertisset, uelle eos, ut gratiam apud regem suum iniret, frigore et fame necare.

18 Iam res ad dissidium defectionemque spectabat. nam, frigore simul cum fame in dies ingruente, omnes instare et urgere ut in Hispaniam redirent non cessabant. Magallanes cum nihil militum audaciae concedendum esse duceret, unum atque alterum, ut animaduerteret in eos, comprehendit statimque, quod illi facto tumultu in naues confugerent, ipsos dimisit atque cum his, quibus fama uirtus et labor potiora carioraque erant quam luxus ignauia et otium et qui se ducem sequebantur, in praetoriam nauem in omnem euentum paratus se recepit, utpote qui timeret ne se aut in litore desererent aut

2 reperiri P : receperiri A | ipsum quam P : ipsumque A || 3 frigus P : frigius A | nactus P : natus A | *post* inueniret *sic distinxi* || 4 suum iniret P : suam miret A

18 1 fame P : famae A | audatiae P : audatiaeque A

illata ui classem occuparent. tres ab eo naues desciuerunt, ex quibus una, cum ea nocte insciis nautis se forte in praetoriam inferret, sine certamine fuit capta. reliquae duae insequenti die se Magallani tradidere, qui immanitate quadam supplicium de Ludouico Mendozia et Gaspare Casato atque aliis sumpsit Ioannemque Carthaginensem et sacerdotem quemdam, propterea quod auctores suasoresque dissidii defectionisque fuissent, in terram exposuit, ut ibi uel fame interirent uel a gigantibus occiderentur. 2

Tumulto ita compresso, ex eo portu cum classe profectus exquisite eam oram legendo ad promunturium Crucis unam nauem turbine in rupes abreptam atque confractam, uiris atque rebus saluis, amisit. quare non solum omnes territi sed animis etiam consternati plane fuere. ad haec caelum caligine tenebrisque obductum et mare uentis agitatum atque turbatum et terra gelu glacieque concreta terrorem augebant. Magallanes, quamquam eo casu perturbatus, socios hortatur ut se erigant atque confirment animumque et spem habeant: nam se cum maxima spe tum maiore etiam animo sperare quam primum sinum, quem tanto cum omnium labore et uitae discrimine quaerebat, inuenturum, quo transmitti in eum Oceanum possit, in quo insulae essent Moluccae ad aequatorem sitae. **19** 2

Et cum iam ad aliud promunturium uenisset, quod duabus et quinquaginta partibus et semisse ab aequatore abesse deprehendit, summam ipse in spem uenit eum esse sinum tam diu a se quaesitum, propterea quod **20**

19 2 quamquam P : quamque A
20 1 eum esse P : cum esse A

Oceanum in eum irrumpentem uideret. itaque tres naues ad uisendum eum praemittit et ut quinto die redirent ad promunturium illud imperat. is dies erat diuae Vrsulae festus anni MDXX, unde promunturio no-
2 men Virginum a Magallane est inditum. qui, cum duae naues in promunturium rediissent nec illa cui praeerat Aluarus Mezquita Lusitanus usquam appareret, audacter in sinum, sequentibus aliis duabus nauibus, est ingressus. nauis uero Mezquitae cum in promunturium Virginum ex sinu uenisset, non inuentis ibi aliis nauibus, signum tormentis naualibus et ignibus factis dedit, sed nihil proderat; iam enim Magallanes multo longius
3 processerat quam quisque audire aut uidere posset. ceterum cum Mezquita et Stephanus Gomezius nauicularius inter se contenderent, ille ut Magallanem sequerentur, hic ut in Hispaniam redirent, crescente cum contentione ira ad manus uentum est. Gomezius Mezquitam grauiter uulnerat eumque in uincula conicit atque post octauum mensem ex quo ex promunturio Virginum soluerat in Hispaniam est reuersus.

21 At Magallanes non minore periculo quam labore post septimum et uicesimum diem fretum traiecit atque in apertissimum illum ad occidentem Oceanum egressus laetitia expleri non poterat, gaudio exsultabat, faucibus illis inuentis a se atque nominatis, per quas aditus ab uno ad alterum mare austrinum pateret. sperabat se, Moluccis quas inquirebat repertis, magnis honoribus et

Magallane P : Magdalenae A || 2 audacter P : auda iter A || 3 Gomezius *correxi, cf. e.g. 4.7.4, 4.44.5* : Gomecius PA | inter se A : interese P | Gomezius *correxi* : Gomecius PA

21 1 quam P : que A | fretum P : festum A

titulis a Caesare decoratum iri. sunt hae fauces profunditate prope immensa. protenduntur ab ortu ad occasum milia passuum quingenta, ab austro uero ad aquilonem plus minusue octo milia patent. fluctus crescunt potius quam decrescunt atque in austrum decurrunt. frequentes sed paruae sunt in eo freto insulae et portus abundant ballaenis et uitulis aliisque beluis marinis. rupes utrimque caelo prope immissae perpetuisque niuibus obductae praesertim ad laeuam, quod ea plaga magis quam dextera uertici austrino sit propinqua. ora sterilis atque rigens est cedrisque et aliis proceris arboribus plena atque uariis feris et struthocamelis et aliis auibus ignotis referta. 2 3

22 Ceterum Magallanes simul atque fauces est transuectus, uela ad dexteram deflectens proras ad aequatorem obuertit, sub quo Moluccas esse sitas acceperat. nihil terrarum per quadraginta dies uisum est. iam omnes fame siti morbisque laborabant; nam et oryza aqua tantum marina elixa uescebantur et foetidissimam bibebant aquam atque ita affecti erant ut, tumescentibus in dies gingiuis, nihil iam mandere sed ne aquam quidem gustare possent. sed haec mala, quamquam iam uiginti homines perierant, firmissimis ferebant animis. iam Capricorni lineam praetergressi ad duas insulas, quas Magallanes, quod desertae incultaeque essent, Infortunatas uocauit, omni commeatu fere consumpto uentum est. inde lenissimis prouecti uentis aequatorem transeunt et 2 3

2 hae A : haec P
22 1 sub quo Moluccas esse sitas acceperat *om.* A | 2 laborabant P : laborant A | quamquam P : quamque A || 3 infortunatas A : infortunatae P

Cuschana Peruranaque regna ad dexteram relinquunt et alterum Pariae litus, quod in occasum uergit. hoc Baschus Nunius Vrabanum isthmum, sicuti supra dictum est, transcendens Hispanis demonstrauerat, unde tot 4 intestina bella caedes latrociniaque sunt secuta. iam uigiliis inedia et morbis paene confecti erant, cum Inuaganam magnam et opulentam insulam appulerunt. hic cibo potioneque famem et sitim depulerunt atque inde, receptis uiribus commeatuque accepto, pelagus illud multis magnisque insulis plenum sulcantes ad Subutham tandem peruenerunt.

23 Ea insula non minor est Britannia. abundat auro, saccharo, zingibere et palmis. incolae plerique nudi incedunt, corpora et capillos oleo quodam inungunt, uinum album ex oryza confectum ad ebrietatem usque bibunt. 2 Magallanes, permittente Hamabare eius insulae rege, descensiones in terram facit atque cum eo amicitiam foedusque coniungit. is Magallani Moluccas insulas pretiosissimis odoribus insignes, quas tam diu inquirendo ipse per tot maria inuenire non potuit, digitis ubi sub 3 aequatore essent indicauit. sed frustra; neque enim eas Magallanes adiit; siquidem facto cum Massanae insulae regulo foedere, legatos ad Cilapulapum Mauthanae insulae regem misit, ut Carolum Hispaniarum regem maximum Christianorum imperatorem agnosceret ipsique pro imperii societatisque iure aromata aliaque dona mitteret. is negat se Caesari, quem numquam uidisset, 4 obsecuturum. Magallanes cum quadraginta Hispanis in

Pariae P : pari A | 4 Inuaganam *correxi, cf. Gómara 215a* : in Vaguanam PA | potioneque P : potioque A

23 2 insignes P : insignis A || 3 agnosceret A : agnoscere P

Mauthanam, quae sedecim milibus passuum aberat a Subutha, transit et, cum Mauthani imperata facere nollent, Bulaiam uicum exussit. quo grauiter indignati insulani de uindicta per Zulam praecipuae post regem auctoritatis et potentiae equitem cogitant. is Magallani capras quasdam ueniam precatus dono clam dedit: quod tantum ducem tam uili munere donaret, se non audere metu Cilapulapi, qui pacem concordiamque impediret, aliud facere. orat ut aut ipse cum ualida Hispanorum manu atque ea quidem bene armata confestim rediret aut eos mitteret, quibus, Cilapulapo interfecto, insulam traderet. Magallanes, non intellecta fraude, statim ut in Subutham 5 est reuersus, sexaginta Hispanos in tres scaphas tormentis et commeatibus instructas imponit et cum sescentis Subuthanis, quos triginta cumbis, quas ipsi iuncos appellant, Hamabar rex ducebat, Mauthanam repetit.

Hoc enim illi fatale erat ut Moluccas insulas e limine **24** uideret, non attingeret. at uero mihi haec curiose indaganti pauci ex his occurrunt qui in Indiis praefecti ducesque fuere qui non aduersam malignamque sint fortunam experti. nam et Magallanes cum se delusum a Zula 2 aegre ferret et Cilapulapum nolle cum eo in foedus amicitiamque uenire sciret, ex scaphis cum quinquaginta Hispanis in aquam, Subuthanis ipsum sequentibus, desiliit; neque enim scaphae et cumbae applicari orae

4 Mauthanam quae sedecim milibus passuum aberat a Subutha transit et cum *om.* A | Mauthanam *correxi, cf. 1.23.3* : Mautham P | Mauthani A : Mautha P | Bulaiam *correxi, cf. Gómara 215b* : Bubaiam PA | praecipuae *correxi* : praecipue PA || 5 appellant P : apellas A | Mauthanam *correxi, cf. 1.23.3* : Mautham PA | repetit A : repertiit P

poterant, quod scopulis preaerupta confragosaque esset. itaque ipse, ut commodius scopulos subiret, tormentis hostes, qui non procul a litore aberant, propelli summouerique iussit. sed illi acie instructa ad tria milia suo loco, donec tormentis agi desitum est, nullo detrimento
3 accepto, constitere. deinde magnis clamoribus sublatis hinc Cilapulapus, illinc Zula, ut aditum in insulam prohiberent, ad litus concurrere; nostri, qui iam ex fluctibus per scopulos euaserant, in eos irruunt et, cum tormentis manualibus uti non possent, propterea quod tormentarius puluis aquis esset corruptus, destrictis gladiis comminus rem gerunt. hostes saxa praepilatasque hastas coniciunt et sagittas ueneno illitas in Hispanorum crura, quod ea non essent ocreis munita, dirigunt.
4 acerrime utrimque dimicatum est. Magallanes, cum iam uim atque impetum hostium milites sustinere non possent, ut pugnando se in scaphas et cumbas recipiant imperat. Mauthani instant atque urgent et ex Hispanis octo interficiunt et uiginti sauciunt. multi ex hostibus cecidere, multi etiam ex Subuthanis, qui strenue pugnarunt, occisi fuerunt. at Magallanes, casside saxis hastarumque ictibus fracta et capite deiecta, altero crure atque ore sagittis traiecto, fortissime dimicans occubuit.
5 uir certe meliore fortuna atque fato dignus, qui, inuentis faucibus et Moluccis fere aditis, ea gloria et praemiis sicuti sperabat frui non potuit. is dies erat ad quintum kalendas Maii anni MDXXI. in Magallanis locum Ioannes Serranus suffectus nihilo felicior eo fuit.

24 2 desitum P : delictum A || 3 destrictis *correxi hic et tacite posthac semper* : districtis *codd. et To. semper*
24.3-**25**.4 ocreis munita ... absorbuit, multi a *om.* A

Iam Columbus, tantis rebus gestis, incognito Oceano 25
traiecto atque Nouo Orbe inuento, inuidia non caruit, siquidem delatus, quod nimis serie aspereque imperaret, cum Bartholomaeo et Didaco fratribus suis in uincula a Francisco Bobadilla Hispaniolae praefecto coniectus et in Hispaniam missus causam pro se dicere est coactus, sed beneficio maximi gratissimique regis Ferdinandi Catholici absolutus tranquillissime consenuit Pintiaeque obiit. multos mare absorbuit, multi a Canibalibus capti 2 deuoratique sunt. at Cortesius aduersariorum improbitate in Hispaniam arcessitus amplissimas illas aedes suas et plane marmoreas atque regias quas in Themistitana urbe exaedificandas curauerat uidere numquam potuit. iam uero Baschus Nunius laudem quam ex austrino 3 mari reperto sibi comparauerat infami turpique uitae exitu obscurauit. nam a Petro Aria Darienis praefecto socero suo affectati imperii damnatus securi est percussus. quin ipse non infausto modo sibi omine austrinum reperit pelagus uiamque ad Perurana Cuschanaque regna subigenda demonstrauit, sed saeuam etiam iniquamque fortunam quasi hereditario iure cum aliis Hispanis tum praesertim Didaco Almagro et Francisco Pizarro reliquit. qui, cum societatem inter se iniissent, 4 magnis rebus in austrino mari et Perura gestis, infelici fato perierunt. nec dubium est, si Franciscus Pizarrus ea qua debuit fide societatem seruasset, quin unus esset qui rerum gestarum magnitudine Ferdinandum Cortesium, si non superare, certe aequare potuisset. is uero 5

25 2 Themisthitana P : Themithitana A | 3 Bascus P : Blascus A | socero P : saccero A | ad. *om.* P || 4 quin A : qui P

Pizarrus, ut erat animo elato atque excelso, in Indias traiecit ibique sub uno atque altero praefecto sed praecipue sub Alfonso Hoieda meruit. a quo Vrabae cum praesidio relictus magnum uirtutis specimen dedit Panamamque post multos et uarios labores se recepit.

26 Ea ciuitas a Petro Aria Abulensi, cum eam prouinciam quam Terram Firmam siue Auream Castellam cognominant Caroli Caesaris et Hispaniarum regis nomine obtineret, in litore austrini maris fuit condita. distat a Nomine Dei, quod in Oceano positum est septentrio- 2 nali, duo et septuaginta milia passuum. eam pestilenti loco sitam ferunt. hoc uapores efficere qui e proxima urbi palude a sole excitantur incolae arbitrantur. neque enim grauitatem caeli corporibus sustinere possunt neque interdiu audent e tectis propter solis ardorem exire, qui, cum oritur, nullas per urbem, quod ea ab ortu ad occasum sit posita, umbras facit. itaque qui in sole ambulant nec capitis periculo prouident aut grauibus et 3 diuturnis afficiuntur morbis aut statim absumuntur. ceterum ea ciuitas breui in magnas creuit opes seu mercatorum frequentia et commercio seu marinis terrestribusque fructibus. nam merces quae classibus ab Hispania in Nomen Dei transuehuntur partim Chiagro flumine, partim ab eo terrestri uiginti milium passuum itinere Panamam importantur atque inde aliis nauibus in Peruram exportantur. quae subinde auro argentoque onustae reuertuntur et ad anconem, quem flectens se

5 excelso P : exceso A | Panamamque *correxi* : Panamanique PA : Panamaeque *corr. To.*

26 1 quam Terram Firmam *om.* A | Caesaris P : Cesari A || 3 ciuitas A : ciuitae P | nauibus *om.* P

ora non procul ab urbe facit, appulsae portum Panamensem, crescente maris aestu, qui illic maxime feruet, intrant et ab eo ingens illius metalli pondus eodem itinere et flumine ad Nomen Dei transmittitur indeque in naues impositum in Hispaniam defertur.

Ager pascendis armentis et suibus quam frumentis **27** serendis est utilior; milium enim tantum seritur atque id ne alendis quidem incolis sufficit, sed aliunde aduehitur. arbores, quarum mira est uarietas et luxuries atque in his peregrinae citrus et ficus et aliae quae illic abunde proueniunt uberes edunt fructus. siluae feris et uolucri- 2 bus abundant et fluuii auro, piscibus et crocodilis, qui lacerti et caimanes uocantur. est et magna gallipauonum aliarumque auium altilium et bubulae et suillae et ferinae carnis copia. et quamquam insalubris est Panama, dioecesim tamen et iuridicum habet conuentum. aditus ianuaque est Perurae; hinc in eam atque Nicaraguam nauigatur, hinc primi duces, primae naues, commeatus, equi, arma et milites prodierunt qui Peruram explorarunt atque subegerunt.

Nam cum Franciscus Pizarrus Panamam uenisset, **28** consuetudinem amicitiamque cum Didaco Almagro iunxit. pares erant animis, pares fortuna: ille, Consaluo Pizarro patre, qui ordines in bello Nauariensi duxerat, Trugilli ex concubina natus; hic Nigrone Hispalensi militiae Calatrauae equite ex concubina etiam Almagri, unde cognomen fuit illi inditum, ortus, quamquam non

27 1 serendis A : ferendis P || 2 Syluae ... abundant P : Silus ... abundant A : Tellus ... abundat *scr. To.*

28 1 Trugilli *correxi, cf. e.g. 1.39.1 et passim in libro quarto* : Truxilli PA

desunt qui affirment ipsum Malagoni ignotis parentibus ignotoque genere editum ad templique fores expositum fuisse. patientia etiam in perferendis uigiliis et laboribus par, cibi potionisque parcissimi. uterque ad uitae usque exitum, quamquam ex concubinis Indicis liberos susci-
2 peret, caelebs mansit. qui, cum eos ingenii morumque similitudo ad amicitiam illexisset et attraxisset, locupletissimi omnium eius prouinciae facti sunt societatemque cum Ferdinando Luchio sacerdote inierunt, qui diuitiis auctoritateque post pontificem plurimum inter Panamenses pollebat Tabogamque insulam possidebat.

29 Is Pizarrum et Almagrum adhortari non desinit ut aliquid tantis animis et uirtute dignum suscipiant atque aggrediantur, quo nomen famamque prorogent et diuitias augeant ac suo labore, opera et studio de Caesare
2 Hispaniaque bene mereantur. 'an' inquit, 'uos Cortesius, qui tantum terrarum tractum Hispaniae imperio adiecit, ignauo sinit otio torpere, non somnos adimit? frustra profecto Balboa Vrabanum transcendit isthmum et australem Oceanum primus demonstrauit, si inani quodam mortis horrore ne temptare quidem austrinos fluctus audemus. iam ille, nisi iniquo fuisset fato sublatus, animo destinauerat Nicaraguam explorare oramque il-
3 lam lustrare. uobis aliam uiam censeo temptandam. ite

affirment P : afirmant A | Malagoni P (*cf. Zárate 463a*) : Malugoni A | uigiliis P : iugiliis A | susciperet *correxi* : suscipere PA || 2 authoritateque P : -tesque A | Tabogamque *correxi, cf. Gómara 224a* : Taboganique PA

29 2 tractum A : actum P | adimit P : admiti A | *post* audemus *sic distinxi* : *signum interrogationis scr.* PA | fato P : facto A || 3 ite P : he A, *unde* haec *scr. To.* | fallit A : ffalti P

per austrinos fluctus orientem uersus atque ultra aequatorem nouas quaerite terras, siquidem spero uos ibi ingentem auri, argenti gemmarumque copiam reperturos. quin, si placet, societatem ineamus, tantam rem communi sumptu aggrediamur; quidquid inde emolumenti eueniret nos inter nos partiamur. neque enim dubito, nisi me opinio fallit, quin magnum simus lucrum cum laude et nominis celebritate facturi.'

30 Facile hoc Luchius persuasit. rem iure iurando sanciunt atque ita inter se constituunt, ut Luchius res quas Panamae ipsi habebant augendas amplificandasque curaret, Almagrus naues pararet et cibariis, armis et militibus instrueret, Pizarrus litus maris austrini in ortum percurreret atque exploraret et ut Almagrus quam celerrime fieri posset ipsum consequeretur. his rebus sic inter ipsos constitutis, ad sua quisque munia obeunda animum intendit. 2 Almagrus nauem unam commeatibus, armis et aliis rebus instruit atque in eam centum et quattuordecim milites Hispanos imponit. eam nauem Pizarrus conscendit et, Petro Aria, eius prouincia praefecto, permittente, (erat is Christi annus millesimus quingentesimus uicesimus quintus) e Panamensium portu soluit cursumque in exortum dirigit oramque Oceani austrini legendo descensiones in eum portum et ostium Peruri fluuii facit, a quo amplissimis illis regnis nomen est inditum.

31 Is amnis e proximis iugis per regionem sui nominis paruam et infecundam in pelagus decurrit abestque a

30 1 res A : Rex P | Almagrus naues P : Almagi naues A, *unde* Almagri naues *To.* | instrueret A : instruere P | consequeretur P : -rentur A || 2 (erat ... quintus) *parenth. statui*
31 1 amnis P : animis A | abestque A : abesque P

Panama milia passuum ducenta. inde Pizarrus, cum nulla auri argentique, quod potissimum omnes sitiebant, signa apparerent, tantundem spatii progressus in eam partem descendit quam auro abundare a Peruranis acceperat. incolae armati ad litus concurrunt nostrosque acriter propellunt ipsumque imprimis Pizarrum grauiter uulnerant. qui, amissis aliquot militibus, cum tantam hostium uim sustinere non posset, se in nauem cum reliquis recepit atque in Chinchamam parum a Panama
2 distantem est regressus. interim Almagrus cum una naui rebus omnibus instructa et septuaginta Hispanis impositis in eum amnem qui nomen Sancti Ioannis habuit atque inde in eam regionem uenerat, a qua Pizarrus cum detrimento fuerat reiectus. quo Indi superbi insolentesque facti in Almagrum, qui cum parte militum e naui descenderat, impetum fecerunt. et quamquam strenue ab Hispanis repressi sunt, non tamen destitere usque eo uociferantes in eos lapides telaque uenenata conicere, atque eo magis quod uicum suum a nostris crematum, unde mansit ei nomen, cernerent, quoad Almagrus, altero iam oculo in pugna amisso, compluribus ex suis occisis, nauem repetere fuit coactus. qui cum existimaret Pizarrum Panamam rediisse, eo nauem direxit Chinchamamque, ubi erat ipse, tenuit.

32 Pizarrus et milites magna cum laetitia Almagrum excipiunt, communicatisque consiliis, naues coniungunt

posset *correxi* : possit PA | Chinchamam *correxi, cf. Zárate 463a et Gómara 224b* : Sichamam P : Crachamam A || 2 quoad A : quod P | compluribus A : cum pluribus P | existimaret A : -mare P | Chinchamamque *correxi, cf. app. crit. ad 1.31.1* : Cuicha- P : Cracha- A : Cincha- *corr. To.*

commeatibusque et ducentis Hispanis e Panama eductis supplent. inde egressi uela in orientem solem faciunt euroque aduerso, qui acerbissime pelagus illud infestat, per multos dies summo cum labore nauigantes in eam regionem appulerunt quam ferae saeuaeque gentes tuguria super altissimis arboribus ueluti uolucrum nidos exstructa inhabitantes tenebant. nam tota illa ora magnis frequentibusque fluuiis, qui ex montibus in mare dilabuntur, et paludibus atque aestuariis est referta et continuis prope cadentibus pluuiis horrida et limosa atque adeo sterilis ut praeter poma quaedam amari salsique saporis, quae arbores mangles nomine dictae ferunt, nulla alia sint alimenta. hae arbores fronde sunt breui et peruirenti atque ita procerae, rectae et solidae ut perinde ex iis atque ex abietibus mali antemnaeque fiant. iam fames, morbus et bellum multos ex Hispanis absumpserant, propterea quod Indi passim per litora armati occurrerent, excessum aditumque in terram prohiberent audacterque oram illam tutarentur nostrosque probris et contumeliis uexarent: eos solum mutasse, per alienas terras diuagari gentemque ignauam et barbatam ex marinaque spuma procreatam esse, colore prae inedia pallido, in aquis uitam degere nec agriculturam curare ac non nisi rapto uiuere assuetam. 2 3

33 Ceterum, cum eam regionem iam relinquerent famesque maxime urgeret, quippe qui, consumptis iam nauticis cibariis, pomis amaris piscibusque tantum uescebantur, Almagrus Panamam est reuersus. inde octoginta milites Hispanici generis et commeatuum copiam adu-

32 2 mangles *correxi* : manglies PA || 3 excessum A : excensum P | marinaque PA : maximaque *scr. To.*

exit, quibus omnium animos erexit atque refecit et paratiores firmioresque ad cetera pericula subeunda reddi-
2 dit. uentum est ad Catameziam fertilem regionem et auro smaragdisque adundantem, quae res Hispanos plurimum recreauit atque confirmauit. erant eius regionis incolae cultu et moribus paulo ornatiores: clauiculos aureos multa arte genis inserunt, smaragdos et alias gemmas e naribus, labiis auribusque perforatis dependentes gestant. quo spectaculo Hispani sic laeti fuerunt ut tot laborum quot pertulerant obliti se plane beatos, quod in tam opulentam peruenissent regionem, praedi-
3 carent. sed non multum ea laetitia perfrui licuit; nam confluente cum armis ex diuersis locis Indorum ad litus multitudine, Hispani naues conscenderunt, quod, plerisque fame proeliisque absumptis, pauci atque hi prorsus infirmis exhaustisque adeo uiribus essent ut non modo tantum hostium numerum et impetum non repellere, sed ne perferre quidem possent.

34 Itaque cum longius progredi non esset uisum, Almagrus Panamam contendit, ut inde ualidam Hispanorum et seruorum manum et ingentem alimentorum uim deuehendam curaret. Pizarrus in insulam paruam et incultam, quae nomen Galli accepit, ut ibi eum spectaret,
2 se contulit. non deerant qui durum imperium et tantos labores ferre non possent et uanam inutilemque eam expeditionem dicerent terramque illam exsecrarentur

33 1 reddidit P : reddit A || 2 genis inserunt P (*cf. Zárate 464a et Gómara 225a*) : gemis inferunt A : gemmis inserunt *corr. To.* | et alias P : alios A || 3 perfrui P : perflui A | exhaustisque *scripsi* : inexhaustique PA | quidem P : quisdem A
34 1 eum *om.* A

seque sub Almagri Pizarrique imperio captiuos factos palam clamarent, quando neminem ipsi abire sed ne ad amicos quidem aut cognatos scribere permitterent. Pizarrus, quoad potuit, tumultum reprimere, blandissimis sermonibus eos delenire, ingentibus promissis detinere curauit. sed nec ita ipse, quamquam summam adhibuit 3 operam, cauere potuit quin Petrus Riuius Cordubensis, qui in locum Petri Ariae successerat, certior Antonii Quadrati litteris fieret. omnes, paucis exceptis, a praefecto petebant ut eos a saeuissimo Pizarri Almagrique iugo eriperet potestatemque Panamam redeundi edicto regio faceret; neque enim decere Hispanos, qui sine ullo fructu tot tantosque labores essent perpessi, fame ducumque saeuitia perire; reliquos iam periisse; se nisi, quam primum miseris subueniat, statim in ea Galli insula deserta perituros. nec iniuriis infamibusque rhythmis Hispanicis qui uulgati sunt ab aliis abstinebant: 4 Almagrum Panamam ideo profectum ut milites Hispanos conduceret eosque ad carnificem mitteret; lanium uero in ea insula mansisse, ut labore inediaque ipsos necaret.

35 Riuius Ioannem Tafurium cum mandatis et edicto in insulam Galli misit, quo grauissime cauebat ne quem inuitum Pizarrus detineret. iam Almagro, qui in urbem uenerat, reditum interdixerat ac ne quis cum ea naui iret quam cum cibariorum copia ipse ad Pizarrum remittebat. nec facile dictu est quanto cum gaudio Tafurius 2 fuerit exceptus. trahebat omnes Aureae Castellae et Pa-

2 sermonibus P : sermonibusque A || 4 carnificem A (*de sensu cf. Gómara 225a*) : carnificinam P *fort. recte* | mansisse P : manssiset A

35 2 Tafurius P (*cf. 1.35.1*) : Tafuri A | Aureae *scripsi, cf. 1.26.1 et Martos 115* : Muriae A : Mariae P

namae urbis amor atque desiderium. non enim amplius tam longam atque infructuosam nauigationem ferre poterant, praesertim cum iam non sperarent se smaragdis et auro, cui maxime inhiabant, potituros. itaque Tafurium Panamam reuertentem omnes praeter paucos quosdam
3 sunt secuti. fuit hoc Almagro et Luchio aeque permolestum ac Pizarro, sed nec hoc animum Pizarri fregit nec ab instituta re dimouit, etiamsi ipse fere ab omnibus se destitutum uideret.

36 Itaque cum tredecim sociis excellenti uirtute atque animi constantia, qui in fide manserant, relicta Galli insula, in aliam interuallo uiginti quattuor milium a continenti distantem traiecit. eam insulam propter repentinas et assiduas tempestates cum magno fragore et tonitribus incultam nec ampliorem circuitu octo milibus esse tradunt. montosa est et satis amoena. fontes undique scatent et plurimi aquae dulcis riui per eam decurrunt. multae et uariae aues per siluas et feles nigris maculis pardorum in modum distinctae et longissimae serpentes cernuntur.
2 eam Pizarrus Gorgona appellauit uel ab fontium riuorumque susurris et alitum garritibus uel quod Gorgonas incoluisse Gorgadas insulas contra promunturium Hesperion Ceras in mari Aethiopico positas audiisset.

37 At uero socii Pizarri non minus quam Minyae Thessali Iasonis, quos Graecia carminibus suis in caelum extulit, digni sunt qui perpetuis historiarum monumentis commendentur, ut qui sua uirtute et labore et animorum firmitudine fecerint ut ditissima Perurae Cuschique regna in ius, dicionem imperiumque Hispanum ue-
2 nirent. inuidi plane atque ingrati hominis nec Hispani

37 2 hominis A : -nes P

esset fortium constantiumque uirorum ita nomina supprimere, ut nauicularii illius Lusitani, qui primus Indias casu iniquaque fortuna inuenit auctorque ut eas quaereret Columbo fuit. socii autem Pizarri quorum nomina 3 ad nos tantum peruenerunt hi fuere: Bartholomaeus Ruizius Mogerensis, Nicolaus Ribera [Vitigudinensis] Olueranus, Petrus Candia Cretensis, Ioannes Turrius, Alfonsus Brizenus Beneuentanus, Christophorus Peralta Baeciensis, Alfonsus Trugillanus, Franciscus Collarensis, Alfonsus Molina Vbedensis, qui in Gorgone cum Pizarro fortissime perstiterunt cancris, astacis et colubris, donec nauis quam Almagrus cum commeatibus remittebat in eam insulam est appulsa, uescentes.

38 Tunc enim nouis ex ea cibis eductis corpora curare, uires colligere, animos recipere omni studio contenderunt. nec diutius illic commorati nauem conscenderunt. 2 'et quoniam,' inquit Pizarrus, 'socii, fortunam iniquam sustinuistis, famem et sitim tolerastis, Indos inhospitales atque feros fortiter reppulistis et, quod posteri magis admirabuntur, soli nullis periculis fracti, nullo mortis pauore territi mecum permansistis, incumbite,

autorque P : auctosque A || 3 autem P : aut A | Vitigudinensis *seclusi. Vitigudinensis enim alter Nicolaus Ribera fuit, qui Hispane 'el Mozo' appellabatur; hic Hispane 'el Viejo' dictus Olueranus erat, cf. Zárate 464a et Mendiburu s.u. 'Rivera, Nicolás'* | Olueranus P : Olueram A : Oluera *corr. To.* | Trugillanus *correxi, cf. e.g. 1.39.1* : Truxillanus P : Truxiblanus A | fortissimae perstiterunt A : fortissime prestiterunt P | astacis et colubris *scripsi, cf. 1.45.3, Gómara 225b, Zárate 464a et Martos 115–116* : astaracis et cobibris PA *To.*

38 1 nouis P : nobis A | contenderunt ... nauem *om.* A || 2 incumbite A : incubite P

quaeso, in id, quod tanta cum laude uos exsequi uideo, ac me duce rem tantis animis dignam et cunctis saeculis memorandam ad finem usque optatum perducite. quin insolentem istam fortunam aduersosque uentos atque 3 undas tanto impetu recurrentes superate. audentibus aderit Deus multoque amplioribus praemiis quam putatis quot quantas aerumnas tulistis rependet. quin ipse spero, modo ut hactenus fecistis perseueretis, me amplissima uobis munera daturum. iam beatas uideor ui- 4 dere terras auro argento gemmisque abundantes. hic finis praemiumque erit laborum et quod coniunctis uiribus et consiliis quadriennio iam ferme exacto, cum longe plures essemus, assequi non potuimus, nunc uobiscum, qui numero multo quidem estis inferiores sed uirtute longe aliis superiores, non dubito me id duodecim dierum nauigatione consecuturum.' laetis haec omnes animis accipiunt ac se quocumque duceret paratos sequi respondent.

39 Inde aduersis uentis undisque magno impetu inter ipsas recurrentibus nauigantes tandem ad insulam paruam peruentum est. eam Pizarrus Argenteam uocauit, quod ibi scyphos, lances aliaque uasa argentea et armillas inauresque aureas et uestes laneas uariisque coloribus intextas inuenisset. qua ex re omnes magnam in spem reperiendae terrae quam quaerebant adducti sunt, paululumque deinde a malis respirare coeperunt et in Motupiam prouecti, quae inter Piuram et Trugillum ex-

4 quocumque P : quorumque A

39 1 uariisque A : pariisque *uel* bariisque P | coeperunt *corr. To.* : ceperunt PA | Motupiam A (*cf. e. g. Zárate 464a et Gómara 225b*) : Motapiam P

tenditur, ad ostium Pochei amnis, quem Chiram siue Maicabilcam cognominant, eo tempore descenderunt, quo Guainacapa, Cuschani imperii maximus rex, relicto Guascare filio herede, decesserat. ab eo fluuio, captis 2 aliquot pecudibus lanigeris, ut recenti carne uescerentur, et Indis, quibus pro interpretibus uterentur, ad Tumbezium flumen regressi sunt.

Hic Pizarrus Petrum Candiam speculandi causa in **40** terram exponi iubet. is arcem et regiam principum Cuschi auro argentoque nitentem, quae haud procul a mari ad ripam Tumbezii erat exstructa, speculatus in nauem propere, ne ab Indis occideretur, se recepit ac uix quae uidisset prae laetitia referre potuit: inuentas esse iam terras, quas tanto cum labore uitaeque discrimine quattuor annis quaesiuissent; eas auro, argento gemmisque et omni rerum copia abundare. uera ne proderet omnes 2 rogare, neque enim fides statim est habita, donec Candia id ipsum multo plus esse quam rettulerat sacramento asseueraret. dici non potest quanto gaudio cum alios tum praecipue Pizarrum ea res affecerit. iam se felices et beatos uocare qui eam terram explorassent, quam longe omnium ditissimam uel ex una arce regiaque uixdum satis cognita existimabant. Pizarrus omnes amplecti, laudibus in caelum ferre, fidem animorumque constantiam praedicare, uidebat enim id quod immensis prope laboribus

quem Chiram P : quimchiram A | Guainacapa Cuschani P : Goicainacapa cuscam A || 2 Tumbezium *correxi, cf. e.g. 1.40.1, 3.4.1* : -etium PA

40 1 exponi P : -nit A | Tumbezii P : Tumbecii A | speculatus P : speculataque A | tanto P : tantum A || 2 laboribus P : laboribusque A

sumptibusque et uitae periculis inquisiuissent ad optatum finem, inuentis a se eius Indiae ditissimae terris, 3 esse perductum. itaque non amplius cunctandum ratus Panamam redire statuit atque inde, ne quis eam laudem praeriperet locumque praeoccuparet, in Hispaniam traicere, ut a Caesare eam prouinciam, quam ipse explorasset, cum imperio obtineret.

41 Ceterum re pro tempore dissimulata, neque enim cuique animum suum aperuit, conuocatis sociis, 'uidetis' inquit, 'amplissima haec regna metallis auri argentique, ut Candia asseruit, refertissima. ea lustrare et subigere oportet, ut tandem ex tantis laboribus quot 2 mecum pertulistis aliquem capiatis fructum. sed maioribus opus est uiribus; multo enim pauciores quam res tanta exigit numero sumus atque adeo exhausti omniumque rerum egeni, ut si quid laude dignum temptare uelimus, efficere non possimus. itaque Panamam e uestigio redeundum censeo, ut mature quod facto opus est decernamus atque id sub imperio et nomine Caroli Caesaris celeriter exsequamur, cuius felicibus auspiciis austrinum Oceanum sulcauimus beatasque ac plane aureas has prouincias explorauimus.'

42 Et quamquam plerique Pizarro assentiebantur, non tamen defuere in tam exiguo numero (tanta erat auri sitis) qui aliter sentirent: satius esse in terram desilire, arcem atque regiam inuadere et diripere: 'an aliis tantum auri argentique pondus relinquemus, fructumque tam diu quaesitum et a nobis inuentum illi intercipiant? hoc 2 praemium sit laboris uel uitae finis.' Pizarrus iram com-

41 2 felicibus P : felicis A | beatasque P : -tosque A
42 1 tam P : eum A, *unde* eo *To.* | (tanta ... sitis) *sic distinxi*

pescere, cupiditatem reprimere ac magnis promissis, ne quid temptarent noui, suadere conatus, cum ex naui quosdam profugisse comperisset, ancoras soluit ac remenso mari Panamam est reuersus. incertum est consi- 3 lione Pizarri illi se substraxerint, ut dum ipse iret ac rediret terram explorarent, linguam perdiscerent, mores ritusque gentis cognoscerent, an auri argentique fama ducti ipsum deseruerint. utcumque sit, constat eos ab Indis interfectos meritasque auaritiae ac perfidiae poenas dedisse. tres tantum aut quattuor fuisse atque ideo nomina ipsorum incognita quidam sunt auctores.

Pizarrus statim ut Panamam rediit, quae ad Chiram **43** et Tumbezium fluuios explorasset et Candia in arce regiaque principum Cuschi uidisset Almagro et Luchio exposuit: magna inde commoda futura et quae in exploranda austrini maris ora impendissent ingenti cum faenore reciperaturos, persisterent modo in ea quam inierant societate; sed maioribus eam rem uiribus, si Caesar permitteret, aggrediendam idque ab ipso impetrari quam celerrime fieri posset oportere. illi quae de Per- 2 uranis referebat prouinciis summa cum admiratione audiunt et uehementer probant ut ad Caesarem eat. qui cum ingentes per quattuor ferme annos in exquirendis per austrinum mare terris sumptus fecissent, ad inopiam redacti uix mille nummos aureos mutuo acceptos Pizarro in uiaticum numerare potuerunt.

Is ad Caesarem, qui tunc erat in Hispania, proficisci- **44** tur. magnas iam ille res in Italia per legatos gesserat.

3 meritasque P : -tosque A | quidam *scripsi, cf. e.g. 5.83.3* : quidem PA

43 1 faenore P : sonore A

nam et ab his Franciscus Galliarum rex, exercitu eius ad Ticinum fuso, captus est et in Hispaniam perductus. Roma etiam, illa totius terrarum orbis princeps, expugnata et direpta. Galli, Lautrecho nobilissimo eorum
2 duce Neapoli peste absumpto, tota ex Italia pulsi. quae res apud omnes gentes atque nationes nomen Caroli magnum inuictumque faciebat famaque tantarum rerum uniuersum orbem peruaserat. quin et felicitas eius nominis legatos, ubicumque gentium essent, protegebat prosperosque ipsorum successus reddebat. nam Ferdinandus Cortesius Mexicana regna subegerat et, cum Baschus Nunius Balboa sub Ferdinando rege ex Vrabani sinus isthmo primus mare austrinum inuenisset, Ferdinandus Magallanes Lusitanus portentosa quadam nauigatione per fauces a se repertas et nominatas uiam ad insulas Moluccas monstrauit ac demum Franciscus Pizarrus amplissima Perurae regna explorauit.

45 Qui cum Pintiam uenisset senatusque ei datus esset, sic est exorsus: 'felicitas inuictumque nomen tuum, Caesar, omnes ut aliquid audeant laude dignum incitat et incendit. quem enim non excitabunt atque inflamabunt facta tua? sed alii alia aggredi gaudent, ut famam extendant omneque in aeuum prorogent. ego uero animum semper eo intendi, quo principem patriamque
2 meam demererer. hic conatus, hoc studium ex eo tempore fuit quo in Indiam cum Alfonso Hoieda traieci, sub quo duce immensum prope spatium maris atque terrae peragraui. et cum Baschus Nunius Balboa pri-

44 1 perductus *corr. To.* : -tos PA || 2 successus A : successos P | Baschus *correxi* : Blaschus PA

45 1 omneque P : omnemque A || 2 Baschus *correxi* : Blaschus PA *To.*

mus austrinum mare ex praealti montis cacumine uidisset sociisque demonstrasset, in animum induxi illud explorare et nouas insulas et terras quaerere. itaque meo 3 sumptu nauem instruxi et cum delecta Hispanorum manu e Panamae portu solui oramque illam australis Oceani huc atque illuc nauigando percurri. cum Indis multis uariisque proeliis pugnando omnes fere socios amisi. erant per oram illam magna auri argentique signa; nam Indi, qui armati ad litus undique concurrebant, sane quam conspicui armillis et clauiculis inauribusque aureis et smaragdis e labiis auribusque perforatis dependentibus erant. ceterum cum circiter quadriennium per mare illud errarem nec socii laborem tam diuturnum et sine fructu ferre amplius possent, omnes, paucis exceptis, me deseruere. nec ideo ab incepto destiti, sed cum tredecim sociis in Gorgona insulam desertam transii, ubi cancris et serpentibus uescentes usque eo famem tolerauimus quoad a Panama nauis cum cibariis rediret. qua tuis tandem auspiciis licet adu- 4 ersis austris ad Chiram fluuium est peruentum et inde regressi ostium Tumbezii intrauimus, in cuius ripa arcem et regiam principum Cuschi auro et argento fulgentem conspeximus. quae una nobis manifesto argumento et indicio fuit eas terras totius Noui Orbis longe ditissimas esse; nec eas quas Columbus primus inuenit nec eas quas Cortesius subegit magnitudine et diuitiis cum his quas ego ingenti cum labore et uitae discrimine exploraui comparandas. ita enim affirmare ausim, nec 5

3 Panamae P : Panama A | diuturnum *scripsi, cf. e.g. 1.13.1* : diurnum PA *To.* || 4 longe P : longi A | Cortesius P : Lortesius A

ambigo quin multo plus auri, argenti, unionum et gemmarum ex Perura (sic enim eam prouinciam ab amne Peruro nominaui) quam ex aliis terris Indicis hactenus inuentis et lustratis aduehatur. atque eo magis id asseuerare non dubitarim, si ex instituto et more, quae tua est clementia, Caesar, mihi hanc prouinciam decreueris, sicuti aliis, qui suo periculo et sumptu nouas terras in-
6 quirunt et lustrant, decernere soles. hoc unum per tot tantisque laboribus quos pertuli ac pro immensis sumptibus quos feci ab Vrabano usque isthmo petitum oratumque uenio. spero enim cognatorum et amicorum ope, etiamsi ob aes alienum sim paene nexus, me eas terras sub felici nomine tuo subacturum Hispanoque imperio adiecturum ac tantum auri argentique pondus ex ea prouincia missurum quantum ex aliis Indiae terris in Hispaniam numquam fuerit deuectum.'

46 Audiuit Caesar maxima cum uoluptate et admiratione Pizarrum, et cum res in senatu acta probataque a cunctis esset, prouinciam quam ipse explorauerat, ut eam subigeret et cum imperio obtineret, Pizarro decreuit illustribusque etiam ipsum titulis et amplissimis
2 honoribus ornatum dimisit. is ex Trugillo, quod Scarabim fuisse aut Iulium Praesidium dicunt, et e Cacere siue Castris Caesaris, quam Casam Cereris propter imaginem eius diuae ibi inuentam et olim in honore habitam Marinaeus uocat, ualidam Hispanorum nobili-

5 unionum P : unionem A | sumptu A : -to P | 5 (sic ... nominaui) *parenth. statui* || 6 pertuli A : -lit P

46 2 Trugillo P : Truxi- A | Scarabim] *cf. Plin. Nat. 4.117* | e Cacere P : e Caesare A | Marinaeus] *cf. L. Marineus Siculus, De rebus Hispaniae memorabilibus, Hispaniae Illustratae, Francofurti MDCIII, p. 306*

um manum eduxit. in his erant Ferdinandus et Ioannes matre familias iusta orti et Consaluus concubina, Francisci Pizarri fratres, qui ex ea quae Franciscum Martinum Alcantarensem ex alio uiro habuerat natus est animique magnitudine et egregiis naturae fortunaeque commodis longe ceteris antecelluit. is simul atque Hi- 3 spalim uenit, naues conscendit et prospera usus nauigatione ad Nomen Dei applicuit, atque inde cum magna Hispanorum caterua Panamam est reuersus.

Iam Almagrus ex amicorum litteris intellexerat nul- **47** lam sui habitam rationem atque id ipsum ambitione et culpa Pizarri factum, qui nullam Caesari mentionem eius fecisset, sed omnia sibi perinde atribuisset ac si ipse laborum socius et sumptuum particeps numquam fuisset. quod si negaret, satis omnibus notum esse non modo eum tantam rem non aggressurum, sed ne temptaturum quidem fuisse, nisi nauibus, commeatibus et militibus ab Almagro et Luchio, qui iam decesserat, adiutus fuisset. 'quid,' inquit, 'Pizarre, praemii inde tuli? 2 alterum ipse oculum, cum te subsequerer, in proelio amisi. an ideo pedem rettuli et ab instituta re destiti? Panamam, urgente maxime omnes fame, redii; nauem licet omnibus exhaustus rebus, cum reditum Riuius praefectus impedisset, cum alimentis in Gorgona remisi. qua in Argenteam insulam prouectus ad Chiram et Tumbezium amnes penetrasti; ubi explorata principum Cuschi arce et regia compos uoti factus et Panamam reuersus, in Hispaniam transiisses, nisi mille nummis aureis, quos mutuo accepi, te iuuissem? at tu fide fracta 3

47 1 sumptuum *corr. To.* : sumptum PA || 2 fame P : fames A | transiisses P : -iisset A | iuuissem? *corr. To.* : iuuissem; P : iuuissent? A

societatem diremisti et sanctissimum amicitiae numen uiolasti, quippe nulla mei apud Caesarem mentione facta, in id tantum incubuisti ut prouinciam magnis laboribus et periculis communibusque impensis quaesitam et tandem inuentam tibi uni decerneret, ut certe Caesar decreuit. qui, ut est princeps summi animi et gratissimi, si uera in senatu ei rettulisses, aeque rationem mei ac tui habuisset.'

48 Pizarrus Almagrum lenire eique persuadere contendit se quaecumque in exquirendis Perurae prouinciis ambo gessissent Caesari exposuisse nihilque quod ad honorem commendationemque eius spectaret omisisse; ceterum Caesarem ex senatus consulto id tantum decreuisse ut nomine ipse regio eam prouinciam subigeret atque 2 gubernaret. 'quin, Almagre, ita statuo, ut communibus consiliis et imperiis rem geramus et prouinciam administremus. quod si hoc tibi minus placet sancte promitto doque fidem me a Caesare aliam pro te praefecturam impetraturum aut tibi hanc quam mihi Caesar decreuit, 3 cessurum.' sed nec ita Almagrus induci poterat ut iram poneret, animum leniret dictisque Pizarri acquiesceret: tanta erat indignatio et odium. ille nihilominus perseuerare, blandissimis uerbis placare, omnia dissimulare ac magna demum ipsi polliceri, utpote qui eius ope ad subigendam Peruram maxime indigeret; hic eo magis indignari, propalam queri ac ne a maledictis quidem temperare.

49 Quam rem cum alii fratres tum praesertim Ferdinandus Pizarrus iniquo ferebat animo Almagrumque in odium adducere conatus Franciscum hortatur ut tantam

3 nulla A : nullam P | decreuit A : -bit P
48 2 consiliis A : conciliis P

hominis insolentiam reprimat; neque enim amplius ferendas esse eius contumelias; nullum eum habere respectum honoris et muneris a Caesare merito collati; satius esse eum, si probris non abstineat, de medio tollere quam ferre se per hominum ora traduci. Pizarrus 2 fratres monet atque inhibet sed imprimis Ferdinandum, qui ingenii erat asperioris, ne quid in Almagrum temptarent: 'putatisne' inquit, 'sine Almagri ope nos quicquam laude dignum facturos? ille arma, equos, commeatus, naues et alia quae ad tam difficilem expeditionem erunt necessaria suppeditabit. itaque longe melius utiliusque erit eum nobis conciliare societatemque iam pridem initam confirmare. nihil nobis bellici est apparatus, nullae naues, nullae pecuniae, quae, ut probe scitis, belli sunt nerui. non uidetis nos omnium rerum esse egenos. quin, nisi propere hinc in prouinciam traiecerimus, fame morbisque absumemur.' sed nec sic ferox animus 3 Ferdinandi placari potuit. quae res inter ipsum et Almagrum perpetui odii causa fuit initiumque malorum quae inde orta infelicem exitum habuere.

50 Ceterum Almagrus partim promissis Pizarri adductus, partim amicorum precibus interuentuque et consilio Antonii Gamae iuris consulti, eius prouinciae praetoris, in gratiam cum Pizarro rediit societatemque antea initam sacramento reuocauit atque confirmauit magnumque auri et argenti pondus ei numerandum curauit. sed dum Pizarrus arma conquiri, equos emi, milites 2

49 1 probris P : probiis A || 2 quae ad P : qua ad A | traiecerimus *corr. To.* : traiic- PA || 3 animus P : animu A

50 1 interuentuque et consilio P : interuentumque e concilio A | Gamae P : Gama A

conscribi, commeatus expediri, naues parari et instrui imperat, res ipsa exigere uidetur ut situm statumque regionis, mores gentis, ritus sacrorum atque alia digna iucundaque narratu explicemus. sic enim facile intellegi poterit unde tot tantaque auri argentique pondera et gemmarum et unionum uis in Hispaniam fuerit aduecta.

2 pondera P : pondere A | aduecta P : adiecta A

LIBER SECVNDVS

Iam primum omnium satis constat ex immenso prope 1
terrarum tractu qui inter Perurum amnem Magallani-
cumque fretum iacet nauem quandam Gutterii Vargae
pontificis Placentini eam austrini maris oram quae ab
ipsis faucibus ad Chiliam protenditur percurrisse; reli-
quam deinde a Pizarro et Almagro praefectis explora-
tam fuisse; regionem uero ab ipso Peruro, qui ex proxi- 2
mis iugis in austrinum defluit pelagus, nomen accepisse,
sed eam proprie Peruram uocari quae ab urbe Quito ad
oppidum nomine Platam extenditur. nunc Perura ab
Vrabano portu, qui in prouincia est Carthaginiensi
haud procul a Dariene flumine uel a promunturio Mar-
moris, ubi insignis portus et ciuitas Nominis Dei est
sita, ad Magallanicas usque fauces longissime latissime-
que patet. Carolus imperator augustus Hispaniarum rex 3
eas etiam prouincias quae Noui Regni, Popaianae et
Chiliae appellantur praeter amplissima regna quae Li-
mam, ubi regius est conuentus, iura petunt praerogatiua
quadam quam Ioanni Samano Indiarum scribae conces-
sit sub Perura contineri iussit.

Ceterum Peruranae prouinciae a nullis umquam Eu- 2
ropae Africaeque gentibus cognitae sed ne auditae qui-
dem fuere, donec Hispani, Pizarro et Almagro duci-
bus, non modo eas explorauere, sed proprio etiam
sumptu, magno labore, multo sanguine fuso ac supra
quam credibilem est famem, sitim, frigus, aestum fe-
rentes imperio Hispaniae adiecere. quod et in aliis In- 2

1 2 longissime latissimeque P : longissimae latissimaeque A ||
3 etiam P : esse A

diae regionibus Hispani a se inuentis atque subactis fortiter strenueque pertulerunt; neque enim alia re a rege suo quam edictis quibusdam et praerogatiuis militaribus sunt adiuti, quibus duci tantum permissum erat ut eam quam subigeret prouinciam gubernaret. non naues, non pecunias, non uestimenta, non commeatus ipsis ut Columbo Liguri et Magallani Lusitano
3 reges decreuerunt: alter enim sumptu permissuque Ferdinandi regis in occasum Oceanum aperuit nouasque et incompertas terras primus inuenit; alter beneficio auspiciisque Caroli Caesaris uiam in Moluccas insulas odoribus insignes monstrauit. qua ex re Hispani non uirtutis solum animique constantia in indagandis terris incognitis sulcandisque intemptati Oceani fluctibus laudem sibi compararunt, sed studio etiam et fide in regem et pietate in patriam apud omnes gentes at-
4 que nationes nomen aeternum meruere. atqui certe ita nota est Hispanorum in nauigando uirtus et commoditas ut nulla iam sit Oceani ora quam ipsi non explorent et lustrent, ea dumtaxat excepta quae per septentrionem in Moscouiam defertur Oceanumque attingit, ubi maximi Scytharum principis, quem Canem appellant, imperium finit. et quamquam illuc qui piscaturam exercent iam perueniunt, tamen ab Hispanis commode adiri non potest, quod et ora illa remotissima sit et tempus ad nauigandum breuissimum. sed necdum ipsi ad illud Oceani austrini litus penetrarunt, quod quadraginta duabus partibus ultra Septem Ciuitates ad Sinarum usque regionem, quam Chinam uocant, ab aequatore distat.

2 2 ut *ante* eam P : ac A || 3 insignes P : insignis A

Vtcumque sit, eam famam et gloriam Hispani naui- **3**
gando sunt consecuti ut ambitum orbis cum aliis circumierint nauibus tum ea potissimum cui Victoriae nomen fuit. nam, Magallane a Mauthanis, sicuti supra demonstratum est, occiso, Serranus, qui in eius locum successerat, Hamabarem in Subutham est secutus ibique ipse naues reficere et commeatibus supplere, ut, simul ac milites saucii curarentur, in Moluccas ire pergerent, enixe contendit. erat inter saucios Enricus Indus, 2
Magallanis seruus, cuius fideli ipse opera dum uiueret usus fuerat. is cum indigne a Serrano tractari aegre ferret seque in libertatem etiam uindicare maxime cuperet, regem adit, ipsum monet ut sibi ab Hispanis caueat. 'compertum' inquit, 'plane, rex, habeo eos hoc inter se agere, ut tuis adiuti copiis Cilapulapum interficiant Mauthanamque diripiant; nisi anteuertis, te domo regnoque expellent. si mihi credis et te tuosque saluos fore cupis, gentem auaram et dominandi cupidam insidiis positis opprime.'

Facile rex ad patrandum facinus a perfido seruo est **4**
inductus. conuiuium magnifice et splendide apparat, centum milites armatos in loco secreto collocat, Serranum cum his quos secum ducere uellet ad conuiuium uocari iubet atque ei nuntiare se dona, quando iam abire in animo esset, quae Caesari deferret parata habere. is cum triginta Hispanis in regiam uenit. eos comiter et 2
iucunde rex excepit et una cum ipsis discubuit. iam in multum uini omnes processerant, cum rex, quem nihil

3 1 Mautanis P : Ṇautanis A
4 1 quae P : qua A | regiam *correxi* : regia PA || 2 omnes A : onus P

sancti mouit, non fides, non religio, non pietas continuerunt, signum dedit, quo armati ex insidiis in Hispanos irruunt, ius hospitii uiolant, sacras mensas hospitum sanguine cruentant, omnes praeter unum Serranum, cui
3 rex parci iussit, crudelissime obtruncant. totidem ex his qui uagabantur per urbem comprehendunt. reliqui ad naues confugiunt, sublatisque ancoris, perfidiam et immanitatem regis exsecrantes uela faciunt, Serranumque multum clamantem ut eum in nauem reciperent et diuos hominesque, quod tam dura et acerba uitae sorte premeretur, incusantem ueriti ne se quoque ut alios, captis nauibus, perfidus rex opprimeret in litore relinquunt et in insulam quae Cohol nomine dicitur descendunt.

5 Centum et quindecim homines erant, qui cum defendendis gubernandisque tribus nauibus non sufficerent, ex unius armamentis, materia et clauis, quae uetustate
2 paene iam erat corrupta, alias duas reficiunt. inde ad aequatorem, sub quo Moluccas sitas esse acceperant, propius accedere nituntur Calenamque et alias insulas praetergressi in Pornen ingentem et diuitem insulam delati benigne et liberaliter ab Siripada rege tractati fuere. ab ea tandem per Cimbubonem et Saranganam in Tidoram unam ex Moluccis mense Nouembri peruen-
3 tum est. complures sunt Moluccorum insulae, sed quinque tantum Tidora, Terenata, Matis, Matilis et Machiana Moluccae uocatae, quae praestantia et aromatum copia longe ceteris antecellunt.

3 clamantem P : lamantem A

5 1 ex A : et P || 2 propius A : proprius P | Calenamque] *suspectum, cf. Gómara 216b* | Pornen] *suspectum, cf. Gómara 216b* || 3 unam P : unas A

Almansor Tidorae rex Hispanos complectitur asserens se multo ante praesensisse et praedixisse (erat enim augiriorum et astrorum interpres) ipsos maximi Christianorum imperatoris nomine in eas insulas esse uenturos ideoque uelle Hispaniarum regi uectigal pendere et iure stipendii impositi, cum abituri essent, dona ad ipsum mittere. hoc Corala Terenatae et Luzfus Giloli reges, qui illuc uenerant, sancte pro more suo promittunt. Hispani sex ferme menses in Moluccis commorati, inita cum regibus societate, alia merce aromata permutarunt, collectisque ex arboribus cinnamomi, caryophylli nucisque myristicae surculis, quo maiorem certioremque testimonii fidem afferrent, in Hispaniam redire decreuerunt. ceterum, cum nauem praetoriam, cui nomen Trinitas fuit, reficere oporteret, ita ipsi inter se statuere, ut ea refecta Duardus Barbosa Lusitanus Magallanis socer per Nouae Hispaniae oram, quod breuior esset nauigatio, Panamam contenderet, Ioannes uero Sebastianus Canus Guetariensis cum Victoria naui, cui praeerat, alia in Hispaniam uia iret donaque regum ad Caesarem deuehenda curaret. sed Barbosa, cum nauem refecisset, e Tidora profectus in eam post quintum mensem, sociis praeter paucos quosdam consumptis et naui ita tempestatibus et uentis aduersis afflicta et mutilata ut nulli postea usui fuerit, rediit. Canus autem, acceptis donis quae Almansor et alii reges ad Caesarem

6 1 Almansor Tidorae P : Almansot Tidora A | (erat ... interpres) *sic distinxi* | uelle A : uelli P | *post* mittere *plene distinxit* P, *interrogationis signum* A | Terenatae *correxi, cf.* *2.5.3 et Gómara 218a* : Teratae PA || 2 myristicae *correxi* : -ca PA | redire P : -ret A

mittebant, ab ea insula mense Aprili nauem soluit intemptatoque Oceano cum quinquaginta Hispanis et decem Tidorensibus se commisit.

7 Timon et utramque Iauam transiit et Auream Chersonesum et Taprobanam, quae nunc Samotra nominatur, oramque sinus Gangetici, quam Lusitani praesidiis tenebant, percurrit. inde Calecuthum praeteruectus promunturium Bonae Spei transgreditur. ab eo cursum dextrorsum tenens litora Aethiopiae legit et ad Hesperidas insulas contra promunturium Hesperium, quod Viride nunc uocatur, sitas applicuit et in eam quam Diui Iacobi nomen accepit tredecim Hispanos, ut cibaria coemerent, cum scapha misit. 2 eos Lusitanus praefectus comprehendi iussit, quos postea Ioannes Lusitaniae rex dimitti imperauit. Canus ueritus ut praefectus nauem inuaderet, etiamsi rimis ea nimis fatisceret, in Hispaniam enauigauit, Hispalimque cum decem et octo tantum Hispanis semiuiuis (reliquos enim fames morbusque absumpserant) mense Nouembri peruenit.

8 Is annus erat Christi millesimus quingentesimus uicesimus secundus Rhodo a Turcis capta et reditu Caesaris ex Germania et Belgio in Hispaniam insignis. sed Canum Caesar eo libentius de Moluccis insulis in senatu referentem audiuit, quod ille eas ingenti odorum copia abundare longeque alia et commodiore uia quam

7 1 Timon] *dubitationem mouet, cf. Gómara 219a* | Iauam P : Lauam A | dextrorsum A : dextrorum P || 2 semiuiuis P : semiuireis A | (reliquos ... absumpserant) *sic distinxi* | morbusque A : morbosque P | Nouembri A : Nouembris P *fort. recte*

8 1 Turcis A : Turci P | ingenti odorum P : ingentis oderum A

Lusitanorum adiri posse ipsasque etiam et alias multo opulentiores sub ea regione positas constanter assereret, quae ex pontificio diplomate ad ipsum non ad Lusitaniae regem pertineret; id ipsum etiam Moluccarum reges, qui ei dona iure amicitiae stipendiique impositi mitterent, uelle sentire. Caesar munera regia et aromata et 2 surculos odoriferarum arborum et alia quae in testimonii fidem Canus attulit laeto ore accepit, Canumque ipsum honoribus et praemiis decorauit, insigniaque militaria ei tribuit ut mundum depictum in clipeo et super galeae cono eminentem cum hoc elogio PRIMVS CIRCVMDEDISTI ME et quidem merito gestaret, quippe qui ea naui Victoria, quam ueteres poetae longe dignius, si id tunc contigisset, quam Argon inter astra collocassent, uniuersum orbis terrae ambitum fuerit circumuectus. et profecto ea nauis Victoria in Hispalensium naualibus reponi atque in perpetuam tantae rei memoriam seruari et meruit et debuit.

Sed Hispanorum res partim principum culpa, partim 9 scriptorum inscitia in obscuro iacuere. et Cani quidem cursus maiorem in admirationem Graecos duxisset quam ea quae de Argonautis et Vlixe illi ipsi tradiderunt. non Hannonem Carthaginiensium ducem Graeci et Romani scriptores tantum extulissent, quod, florentibus Carthaginis opibus, peruectus a Gadibus ad Arabiae finem eam Oceani oram memoriae prodiderit, non Eudoxum Cyzicenum, quod Arabico sinu egressus Gades

Lusitanorum P : -tanium A | *post* posse *interrogationis signum scr.* A || 2 surculos P : sier- A | galeae A : galea P | uniuersum A : uniuersorum P

9 1 scriptorum P : scripto A | Arabiae P : Arabia A | Eudoxum A : Eudozum P | Cyzicenum P : Cizizenum A

2 usque fuerit delatus. nam et multo ante Eudoxum Hispanos in Aethiopiam comercii gratia nauigasse quidam sunt auctores et in Arabicum sinum eos peruenisse ex Hispaniensibus naufragiis cognitum est. at uero quae sacerdos Aegyptius apud Platonem Soloni narrat et quae de nautis a Dario missis Herodotus existimat et Cornelius Nepos de Indis Q. Metello Celeri Galliae proconsuli a Sueborum rege dono datis refert magna quidem admirandaque uidentur, sed cum his quae Hi-
3 spani lustrauerunt haudquaquam comparanda. illa enim de interiori tantum Oceano, quem Atlanticum et septentrionalem uocamus non de exteriori, quem austrinum appellant, produntur. is namque et ueteribus omnino incognitus fuit et Hispani summis cum laboribus et uitae periculis, cum iam biennium Vrabani sinus oram tenerent et incolerent, uoti tandem compotes facti Bascho Nunio Balboa duce inuenerunt et e praealto isthmi iugo prospexerunt, in cuius litore ad laeuam Peruranae Cuschanaeque regiones sunt positae longissimoque terrarum in austrum tractu excurrunt.

10 Ceterum eam partem quae Perura proprie dicitur amplius quam uicies centena milia passuum a septentrione in austrum extenditur. tres montium ordines uasti et inculti occupant. eadem autem regio ab occasu in exortum cum plurimum CCCC milia passuum cum minimum CLX patet, tantudemque spatii montes qui Andes nominantur a mari absunt densissimisque siluis sunt referti et

2 auctores] *cf. Plin Nat. 2.169* | Platonem] *cf. Pl. Ti. 21e–25d* | Cornelius Nepos] *cf. Plin. Nat. 2.170* || 3 Hispani *correxi* : Hispanis PA | Bascho *correxi* : Blasc(h)o PA
10 1 referti P : reperti A

assiduis imbribus obnoxii et eo altiores quo propius ad mare accedunt. alii uero, qui suis radicibus et brachiis planitiem contingunt perpetuisque niuibus sunt damnati, nunc XII, nunc XX, nunc L milibus passuum a mari distant. reliqui autem, qui harenis obducuntur, planitiem oramque maritimam tenent. at hi tres montium 2 tractus uastam et incultam Peruram faciunt eamque in montanam et planam prouincias et Andes distinguunt. magnae in ea et frequentes solitudines, montes excelsi, rigidi, umidi inhabitabilesque sunt. ceterum tam ex Andibus quam e niuosis aliisque iugis multae uariaeque ualles prodeunt atque hae quidem amoenae, apricae fertilesque sunt. nam ex fluuiis irrigantur qui per eas ex montibus in austrinum mare decurrunt nec niuibus, quae in excelsis cadunt locis, infestantur. non uento, non ardore, quod humiles imaeque sint atque utrimque collibus cinctae, aduruntur, sed temperie quadam uerna gaudent et fruuntur. ceterum Perura plana a Tumbezio 3 ultra Tarapacam ingentibus harenarum aceruis praeter ualles est obducta, in qua non pluit, non tonat, non fulgurat nec regio ipsa de caelo tangitur, non herbae, non arbores proueniunt nullique scaturriunt fontes.

Itaque, cum tanta sit caeli regionisque Peruranae uarietas ut in Andibus ferme semper pluat, in montanis ningat, in planis neutrum cotingat, reddendae nobis **11**

propius *correxi* : proprius PA | niuibus P² : nauibus PA || 2 e niuosis P : enircosis A | niuibus P : nubibus A | imaeque P : imoque A | utrimque P : utrique A | aduruntur P : aclaruntur A || 3 Tarapacam *correxi coll. Cieza 388a et Calu. Gasca 300a* : Taracapam PA

11 1 semper pluat P : sempe fluat A | ningat P : tringat A

erunt causae. etenim tam supremae diuersaeque sunt res Peruranae ut inter se congruere iis qui tantae diuersitatis causam ignorant non uideantur. quae si uetustis scriptoribus qui habitabiles terrae regiones tradiderunt nude simpliciterque relatae fuissent, summam certe in
2 admirationem uenissent. namque ora illa quae a portu Bonae Fortunae in austrum amplius tricies centena et quadraginta milia passuum protenditur frigoris est omnino expers; contra uero intus duplo longiore interuallo a Chilia ad Pastum oppidum, quod in finibus Popaianae prouinciae est positum, plus niuis et quidem perpetuae quam in montibus et iugis totius Europae conspicitur. illic enim, quamuis hibernis niuibus iuga oppleantur, tamen nisi in umbrosis et imis uentosisque locis, qua nec sol lustrat nec ipsae niues aestate liquescunt, uix in
3 annum durant sequentem. at in Peruranis montibus, qui praelongo iugique tractu a Noua Hispania ad Magallanicas usque procedunt fauces, adeo continentes niues cadunt, ut nix niuem attingat atque alia aliam consequatur semperque crescat nec usquam, nisi in aliquot iugis et collibus peruiis, minui uideatur. et Hercle in ipsis montium faucibus et radicibus tanta est uis frigoris, tam rigidus et acerbus algor ut carnes prae nimio rigore arescant potius quam foeteant.

12 Et, quod magis admirationem mouet, haec tanta caloris et frigoris differentia in eisdem caeli terraeque parti-

nude P : nudae A ‖ 2 in finibus A : infinibas P | umbrosis A (*cf. Calu. Gasca 298b–299a*) : imbrosis P | qua A : quae P | ipsae niues P : ipse niuis A : ipsa niues *malim* ‖ 3 nec A : ne P | usquam P : usque A | Hercle *legit To. in* P : Heride A | in ipsis P : mipsis A

bus contingit. nec adeo hoc mirum cuiquam uideri debet, siquidem, cum ora illa plana et maritima ita humilis depressaque sit ut mari subesse uideatur atque sub ea caeli parte posita qua solis orbita est comminus, uapore torretur. quod in montibus niuosis in eisdem caeli 2 terraeque partibus sitis longe secus est, qui adeo elati sunt ut altius quam unde imbres cadunt surgant. hoc uel ex uno deuersorio nomine Toca facile constat, quod in summo positum iugo LX milia passuum ab amne Sancta altitudine nubes excedit et id ipsum prae montium cacuminibus, qui recto itinere quadraginta tantum milibus distant, adeo inferius est ut ex eo tamquam e profundo puteo ea cacumina conspiciantur. in quibus propter immensam prope altitudinem et situm ultra aequatorem in austrum uergentem tam continens nouaque nix est quam ea quae cottidie decidit. ningit etiam 3 ad montium radices, sed nix propter caelestium aquarum frequentiam non ita ut in iugis candet. itaque in illis saltibus a kalendis Aprilibus ad Septembres, cum sol ad septentrionem subit, frigus impendet et quo magis abscedit ab austro eo acerbior est rigor et hibernum tempus aeque ac in Hispania mensibus Nouembri et Decembri frigidum diesque sereni et noctes gelu glacieque praeterquam in uallis infimis rigentes. iam uero, 4 sole ad austrum descendente, in niuosis illis iugis, quamquam nebulis obducuntur, non pluit, sed gelat et ipsis etiam radicibus ningit. quin et in montanis Cuschi

12 1 depressaque P : depressuque A | uapore A : -ris P || 2 Toca] *fort. corrigendum, cf. 6.83.2 et Calu. Gasca 299a* || 3 frequentiam P : frequaentium A | descendente *correxi, cf. e.g. Plin. Nat. 2.67* : descedente P : decedente A

iugis, quae longe a niuosis absunt, mensibus Maio et Iunio niues subinde cadunt. quod his saepe uidere contingit qui Cuscho eo tempore iter Limam faciunt. in bracchiis etiam et collibus qui e niuosis montibus
5 oriuntur eadem frigidissimi aeris uis sentitur. itaque altissima illa cacumina assiduis et nouis semper niuibus albicare certum est, nec uapore solis, qui cum montes illos lustrat, nullam aut exiguam tunc uim habet, solui nec aquis caelestibus, quae per id tempus sunt frequentes, tabidam fieri, sed aeque recentem niuem et candidam ac si tunc caderet ab his qui luminibus uigent conspici; conspici autem semper, quippe nix cottidie cadit
6 quae proximam reficit. ceterum in radicibus ea, quamuis toto fere anno decidat, aut solis ardore liquescit aut imbribus corrumpitur. in iugis autem Cuschi ad exiguum durat tempus.

13 Sunt et in Peruranis prouinciis alia quae, cum admirationem habeant, uix credibilia uidetur, siquidem in Perura plana, quae a Tumbezio flumine ad Tarapacam longissime excurrit seque alibi XII, alibi XVI, alibi XL milia passuum ad montanam extendit, numquam pluit.
2 neque enim ea terra, quod sub media caeli parte sita harenisque obducta sit, tantum umidae aut fumidae propter uapores caliginis exhalat quantum gignendis nubibus est necesse. itaque cum liquor eggredi in sublime aut aer cogi in liquorem non possit, nubes non gignuntur ac ne umido quidem caelo et caliginoso ita

4 aeris A : aereis P || 5 cacumina P : cacrimina A | frequentes P : frequenter A | aeque *correxi* : aequae P : equae A
13 1 cum A : eum P | Tarapacam *correxi, cf. app. crit. ad 2.10.3* : Taracapam PA

densantur ut emittendis aquis sufficiant, sed talis decidit ros qualis in Hispania sub Maii initium destillare solet.

14 Ceterum tum in planis tum in montanis locis eodem tempore atque sub eadem caeli terraeque plaga et segmentis mira est uarietas. nam ab ineunte Aprili ad Octobrem mensem ita in Perura plana nebulae solem obducunt ut ne per triduum quidem aut quadriduum nisi inclinato iam die cerni possit. 2 hoc solis in septentrionem discessu effici haud dubium est, qui tunc ab ea terra, quae, licet torrida sit, maxime tamen subsidit, uapores trahit, qui tantum in nebulas coacti terram reficiunt ipsumque solem obnubunt. 3 is in montanis et iugis excelsis, cum uapores, rigore geluque renitente, non excitet, nullis obtegitur nebulis, quas nec ardore nimio nec frigore maximo exsistere certum est. quo fit ut dies sint non pluuii sed sereni et noctes glacie rigidae. 4 reliquo autem semestri tempore mira in plana prouincia est serenitas: nulla caeli perturbatio, nullae nebulae exsistunt, nullae nubes subeunt. hoc solis in austrum accessu effici manifestum est, qui tunc eam regionem ita exurit ut nullae prope sursum ferantur exhalationes, nullos ipse ex ea terra trahat uapores ac, si quos traxerit, eos statim suis radiis absumit caelumque purum et serenum relinquit. 5 in montanis uero et altis iugis illum aeris rigorem ardore ipse suo uincit et glaciem liquefacit, eosque excitat uapores qui in nubes coacti faciunt ut de die pluat, de nocte autem ningat. 6 iam uero Andes, qui sub eisdem regionibus et segmentis atque niuo-

14 2 tunc ab ... sit *om.* A || 4 nulla P : nullo A | effici P : eficit A | prope A : propre P

si montes exsistunt longumque terrarum spatium occupant, assiduis, uno aut ad summum altero mense excepto, imbribus sunt expositi. tanta in his inest umoris uis ut nec frondes arboribus decidant nec herbae, ut in plana regione, quod solis efficit calor, arescant. nec parum niuosa iuga quae haud procul ab Andibus distant eam
7 umoris redundantiam augent. ceterum Andes ad iustam altitudinem surgunt: nec ita sublimes ut niuosi montes sunt nec sic humiles ut harenosi. itaque in illis sol frigidissimam aeris uim temperat, qui concretus in nubes cogitur umoremque, qui illic maximo redundat, colligens perpetuis prope imbribus usque adeo Andes auget ut ipsa arborum fruticum herbarumque uirentium densitas et luxuries quae in Andibus exsistit semperque crescit rorare aquis et scatere ex frondibus foliisque uideatur.

15 Satis ex his quae exposuimus constare arbitror quare hic imbres illic niues cadant et nec hoc nec illud in Perura plana contingat. quod omnino mirum uidetur, cum hinc mare illinc iuga niuosa, unde umor sursum trahi in nubesque cogi potest, eam regionem circumdent.
2 quidam hoc austro, qui eam prouinciam magno perflat impetu, assignant, ut qui umorem a mari montibusque, unde gignantur nubes, trahi colligique uetet. id ipsum ex eo apparere contendunt, quod, cum niuosi montes altitudine nubes excedant, interuallum utrimque inte-
3 riectum liberum clarumque sit. sed nec ipsi causas quas

7 humoremque ... redundat P : humoresque ... redundat A : humoresque ... redundant *To.* | prope A : propre P | crescit *correxi* : crecit P : erexit A

15 2 contendunt P : eo tendunt A

supra iam reddidimus afferunt nec fieri potest ut auster, qui nubilus est, uapores ne in caelo concrescant in nubes arceat. uerum hoc tum Perurae planae, quae torridae subest plagae, tum solis ardori tribuendum est, qui stato solum tempore eos a terra excitat uapores, qui uix in nebulas densari, non in nubes crassescere possunt. itaque, cum nubes quae emittendis sufficiant imbribus 4 non gignantur, relinquitur nec imbres in planam prouinciam cadere nec tonitrua nec fulgura nec fulmina edi posse.

Ceterum quamquam tanta est montium uastitas quae **16** Peruram desertam et sterilem reddere uidetur, tamen ipsa frequens et eximie fertilis et omnium opulentia rerum est referta. nam et ualles incoluntur et cum aliae tum praesertim irriguae amoenissimae et fecundissimae sunt et denis aut duodenis milibus passuum tantum latae riuisque plenae. incolae enim ex fluuiis qui per ual- 2 les e montibus in mare delabuntur aquam deriuant, magnaque arte et industria riuos nunc per iuga, nunc per plana, nunc per montium radices, nunc per ipsas amnium ripas et collium latera deducunt et flectunt atque reflectunt ac demum ipsos inter se recurrere aliosque super alios permeare faciunt. margines riuorum multis 3 uariisque herbis perpetuo uirent. milium Indicum in uallis bis anno seritur, metitur et seruatur. quin et in profundis imisque aruis in scrobium modum excauatis,

3 ne A : nec P | planae A : plana P | ardori P : ardore A | crassescere P : cre- A

16 1 eximie P : -miae A | tantum *scripsi* : tantae PA || 2 reflectunt P : reflertunt A | permeare P : per me a te A || 3 perpetuo P : -tuis A

quae ad manualis tormenti iactum a mari distant, ad aquae libramentum sementem Indi faciunt ingentemque milii copiam, quod marinus ille umor in ea penetret arua, colligunt. quae, cum inculta relinquuntur, multo gramine (tanta est terrae fertilitas) uestiuntur.

17 Radicem nomine hyucham serunt, ex qua panem et potionem ut ex milio conficiunt, et batatas habent dulces, quae sapore nuces castaneas reddunt, et papas tubera referentes et herbas quasdam edules et radices non insipidas, sed imprimis fructus quos pepinos uocant 2 odore et sapore suauissimo. ripae utrimque fluminum platanis et arboribus fructiferis sunt refertae. nobilissimae ex his sunt quae ab Indis nominantur guaiaui, caymiti, paltae, guaui, aguacates, guanauani et molles, quae fronde et flore et fructu longe a peregrinis diffe- 3 runt. mollium duplex genus, alterum procerum, alterum est humile, fronde breui, odore faeniculi, ex quarum bacis uinum mel et acetum conficitur. cortex aqua coctus doloribus tibiarum et pedum medetur.

18 In uallibus praeter milium, batatas et radices, quibus Indi uescuntur, herbam nomine coccam serunt, quam pluris ac milium faciunt. eam quocumque tendant ore

copiam P : opiam A | relinquuntur *corr. F. Socas me teste, cf. Calu. Gasca 301a* : -quantur *corr. To.* : -quatur PA | (tanta ... fertilitas) *sic distinxi*

17 1 hyucham *correxi, cf. Cieza 417b* : hyulcam PA || 2 aguacates *correxi, cf. Cieza 450b* : aguazates PA | guanauani *correxi, cf. Cieza 418a* : guauaiaui PA || 3 mollium PA (*i.e.* molles *genetiuo casu, cf. Cieza 450b et Martos 116*) : milium *perperam corr. To.* | faeniculi *correxi* : faeniculo PA | baccis P : haccis A

18 1 batatas P : batato A

circumagunt, quod famem sitimque ea depelli credant. caule et folio similis est myrto uel, ut aliis placet, nauteae coriariorum herbae. est inter medicas alia herba flore luteo et caule et folio non dissimilis apio. ulcera et pustulas curat, membra uero sana usque ad ossa corrodit. itaque affectis membris prodest, sanis autem plurimum obest. in uallibus etiam planae prouinciae gossypion seritur 2 uario colore; nam et candidum et luteum et purpureum et uiride etiam ac nigrum suapte natura illic prouenit. siluae uallium peramoenae sunt; eas amnes umore suo, etiamsi a ripis procul distent, fecundas reddunt.

Multae sunt in his siliquae, unde etiam panis fit; mul- **19** tae et uariae uolucres et in his palumbes, turtures, perdices, anseres, coturnices, phasiani et pauones et auicula quaedam instar cicadae pulchritudine et plumarum uarietate sane quam admirabillis. multae etiam lusciniae et psittaci et ardeae candidae et uenetae et iynges. sunt et 2 pulcherrimae aquilae et accipitres et id genus aliae aues uersicolores et otides. quin et in maritimis et montanis locis sunt aurae uolucres, quae et alcatraces cognominantur, et eiusdem generis sed magnitudine praestantes condores; illae gallinis, hae grypis sunt similes, quarum

ea depelli *scripsi coll. 3.52.4* : eaque pelli PA | caule A : caulae P | est *ante* inter *corr. To.* : es A : et P || 2 gossypion *hic et posthac semper tacite correxi, cf. Plin. Nat. 19.14* : gossopium PA | luteum P : luterim A

19 1 anseres *correxi* : ansares PA | sane quam *scripsi, cf. 1.45.3, 4.51.3, 5.4.4, 7.60.1, 7.135.3, 7.147.2* : saneque P : sanaeque A | psittaci et ardeae P : isitari et adeo A || 2 aurae PA (*nomen auis, cf. Cieza 452a et Martos 116*) : aureae *perperam corr. To.* | condores *correxi coll. Cieza 452a* : condones PA | hae A : haec P

foetidissima caro praesentissimum edentibus est uenenum.

20 Errant in siluis planae et montanae Perurae cerui, dammae, cuniculi, uulpes et uiuerrae. in montibus uero leones, tigres, ursi nigri, simii et feles uarii coloris et in Andibus serpentes mirae horrendaeque magnitudinis 2 cernuntur. in uallibus etiam uulpeculae occurrunt longe aliae ac montanae atque ita astutae ut, etiamsi maxime caueatur, semper aliquid surripiant. fugientes grauem odorem emittunt et quidquid lotio inspergunt ablui 3 numquam potest. uiscacha animal est siluestre cauda uulpina, cetera lepus, carne suaui, e cuius pilis mollissimae fiunt uestes non minoris quam sericae aestimatae.

21 Sunt et lanigerae pecudes domesticae et siluestres, quas Hispani oues uocant, asellis Sardis paulo minores, amplius lateribus, longis tibiis, camelos capite et collo referunt. ex domesticis mares urcos feminas lamas Indi appellant. utile animal et ad domesticos usus natum; nam praeter lanam et carnem egregii saporis ferendis sarcinis seruit. lanigeri sunt paci, sed deformes et lamis 2 minores. ex siluestribus qui guanaci nominantur magnitudine et uelocitate urcos praestant, gregatim per siluas pascuntur ac mira pernicitate currunt. aliae uicuniae nomine dictae guanacis sunt minores et multo agiliores, quarum lanae ne Baeticis quidem aut Numantinis ce-

20 1 coloris *corr. To.* : -res PA || 2 occurrunt longe *scripsi* : occurrunt isse A : longe P : occurrunt ipsae *To.* || 3 cauda A : cada P

21 1 oues P : ores A | paci PA (*nomen animalis, cf. e.g. Gómara 276b et Martos 116–117)* : pauci *perperam scr. To.* || 2 praestant P : -tat A

dunt. et domesticarum quidem ouium ingens in Caxamalca et Chincha et aliis uallibus erat numerus. aestiua hibernaque ut in Hispania hi greges habent pascua. singulos tantum annos fetus nostris agnis similes edunt. pabuli magna est copia cum in fluminum ripis et siluis et agris ad maris oram herbidis tum maxime in collibus et iugis quibusdam ad confinia planae montanaeque regionis, in quibus tanta est herbarum luxuries, propterea quod multo rore qui nebulis decidit, quae illic sunt frequentes, consperguntur, ut alopecuros, cuius ibi maxima est uis, in ulnam surgat. 3 4

22 Lupum Perura non gignit nec canem habet nec ullum animal quod praeter oues, quas iam rettulimus, sarcinis ferendis sit utile, siquidem equi, boues et iumenta et oues et capras ut frumenta et legumina et aliae plantae ab Hispania post subactam eam prouinciam aduecta fuere. itaque pecora adeo breui coaluerunt ut pascua armentis et gregibus sint referta et ualles frumentis, leguminibus herbisque hortensibus et amnium ripae et riuorum margines peregrinis arboribus non secus ac uernaculis sed potissimum citris, ficis, malis cotoneis, Punicis et Persicis sunt consitae. uitium et harundinum, e quibus saccharon colligitur, ingens est iam prouentus. oliuae et glandiferae arbores nondum in Perura sunt uisae, sed haud dubium est quin, si illae in 2 3

3 Chincha *correxi, cf. e.g. 4.28.5, 4.35.2, Gómara 276b, Cieza 423b* : Chincho A : Chinch P | hibernaque A : Hybernamque P | annos] an nos P (*cf. Cieza 450b*) : amor A

22 1 aduecta A : aducta P || 2 coaluerunt P : coluerunt A | ripae P : ripa A | uernaculis A : uernacidis P | citris P : citus A || 3 uisae A : uiscae P

uallibus irriguis et hae in Cuschi et Collaiae serantur
4 montanis, proueniant. sunt praeterea in Perura complures fontes calidi et balneae. sunt et montes nigri, purpurei, uirides, lutei, crocei et uersicolores admodum conspicui, unde ea coloribus ueris et elegantibus abundat. fontem in Chincha ualle habet, in quo terra et lutum deiectum lapidescit et lapides in rupes abeunt, ut iam non adeo miremur quod de Surio Colchidis flumine et Silaro Italiae amne memoriae proditum est. nam et ultra Xauxam in Andibus fluuius est qui dulcibus aquis per glebas ramentaque salis decurrens nihil inde salsuginis trahit et lacus alibi fundo in candidum salem densato qui dulcibus perpetuisque aquis perfluit. et salis quidem sua sponte ex aquis prouenientis et natiui in Perura tanta est copia quanta in fluminibus salis ad Portas Caspias gignitur et in Oromeno Indiae Gangeticae monte et in Egelasta Citerioris Hispaniae oppido
5 renascens caeditur. iam uero praeter plumbum, ferrum, aes usque adeo Perura ferme tota auro et argento scatet ut ceteris totius terrarum orbis prouinciis longe multumque antecellat. quod abunde cum Quitia et Collaia regiones tum maxime Porcum et Potossium in Charcis
6 ditissima iuga demonstrarunt. ad haec plurimis et quidem uiridissimis smaragdis abundat et aliis nitidissimis

Collaiae *correxi, cf. e.g. 2.22.3, 2.22.5 et Cieza 451b* : Colaiae PA || 4 Chincha *correxi, cf. app. crit. ad 2.21.3* : Chinca PA | de Surio ... proditum est] *cf. Plin. Nat. 2.226* | salis P : sal A | Oromeno] *cf. Plin. Nat. 31.77* | Egelasta] *cf. Plin. Nat. 31.80* | caeditur P (*cf. Plin. Nat. 31.77*) : ceditur A || 5 praeter P : propter A | Collaia P : Colaia A | Porcum *correxi coll. e.g. 7.4.2* : Porcium PA || 6 nitidissimis *corr. To.* : nitissimis PA

gemmis. quin et margaritarum ingens uis in quibusdam eius insulis legitur, unde eis nomen. quae omnia suis referentur locis.

Gens una est Indi sed linguis et moribus diuersa, **23** aliis aliisque nuncupata nominibus. Peruram planam multae uariaeque gentes incoluere; nobilissimae omnium fuere Hingae. et hae quidem omnes cultu, religione et institutis a montanis differunt. ceterum cum Indi lit- 2 teris caruerint, quae res gestas in multa saecula custodiunt atque protendunt omnemque memoriam breuiter complectuntur, difficillimum certe est ea quae ipsi gesserunt cognoscere, sed imprimis origines eorum proximaque originibus. nam ea ita fabulis inuoluunt, ut uix 3 fidem capiant. ferunt enim ipsi, quod per manus traditum pro certo habent, Cononem Solis et Lunae filium immani horribilique statura et forma corporis sine ossibus, sine ulla membrorum compage ab septentrione in oram planam uenisse; cum pro sententia sua montes et iuga erexisset atque depressisset, itinera longa et breuia fecisse; Indos genuisse ipsosque herbis, radicibus, bacis pomisque siluestribus aluisse; ac demum Cononem iratum, quod indigenae ingrati beneficiique immemores fuissent, terram planam in harenarum tumulos conuer-

23 1 nuncupata *correxi, cf. Martos 117* : nuncapata A : nuncupat P | *post* nominibus *sic distinxi* | uariaeque A : uarieque P | hae A : haec P || 2 proxima P : proximae A || 3 certo *correxi* : certa PA | Cononem *correxi, cf. Gómara 233a* : Conomen A : Canonem P | uenisse P : Zenisse A | cum PA : eum *To.* | erexisset *uel* erexisse P : erexisse A *To.* | depressisset *correxi, cf. Gómara 233a et Martos 117–118* : depres(s)is(s)e PA *To.* | Cononem *correxi* : Conomem A : Canonem P | beneficiique A : benefiique P

tisse, nubes ne plueret abegisse, amnes tantum, quibus sitim leuarent et ualles rigarent, reliquisse, ideoque pro deo ab ipsis habitum nec amplius, cum Pachacama in
4 eam regionem appulisset, uisum. duplex exin fama est: alii Pachacamam Sole et Luna ortum tradunt mutauisse gentes illas a Conone factas in leones, tigres, ursos, simios, feles et psittacos, Indos qui nunc sunt generasse, caelum, mare et terram creasse, arbores plantasse et cultum agrorum inuenisse animosque gentis religione im-
5 buisse atque ita demum diuinos honores meruisse; alii asserunt Pachacamam mundi quidem creatorem fuisse (id enim ea uox significat), sed ipsum in exiguo admodum uasculo mare inclusisse, idque uni uiro et uni mulieri seruandum dedisse; eos uasculo fracto aquam sparsisse; indignatum Pachacamam, quod uasculum fregissent, ex ea quidem aqua iam sparsa mare tam immensum atque profundum fecisse; uerum, ut ceteris ipsi mortalibus exemplo essent, marem in simium, feminam uero in uulpem conuertisse atque ex illo simios, ex hac uulpes prodiisse indigenasque Pachacamam deinde coluisse eique templum erexisse.

24 Et Indi quidem planae prouinciae aeque ac serui regulis subiciuntur. fusci sunt coloris, rudes, sordidi, ignaui et imbelles. comam nutriunt et imberbes sunt. tunicis gossypinis uestiuntur. multi praepostera Venere miscentur. alii humanis carnibus uescuntur, alii omnia cum morte exstingui affirmant, alii animas numquam

plueret PA : -rent *To.* || 4 exin PA : enim *perperam scr. To.* | Conone *correxi* : Canone PA || 5 (id ... significat) *sic distinxi*

24 1 fusci *corr. To., cf. 6.57.2 et e.g. Cieza 453a* : fuci PA | nutriunt P : nutrirent A | affirmant P : affirmantur A

interituras. caeli et siderum motus obseruant et, cum 2 defectus solis et lunae uident, ingentes ululatus edunt, quod sole laborante omnia statim peritura existimant. et mundum aquis obrutum fuisse et rursus, procedente prius per uniuersam terram siccitate, absumptum iri affirmant. ideo reguli in horreis quae in altissimis habent iugis magnam milii copiam condendam curant. futura 3 partim ex Pachacamae oraculis, partim ex haruspicibus et coniectoribus inquirere scireque maxime student. sunt enim ipsi auspiciis, auguriis et ominibus dediti. prodigii loco ducunt mulierem geminos filios parere et monstri simile infantem tribus manibus aut pedibus nasci aut senos digitos in illis aut his habere idque parentes multo fletu et donis et sacrificiis expiare contendunt. ripas fluminum per ualles decurrentium incolunt, 4 sub arboribus degunt, cubilia harundinibus, iuncis, tiphis, uluis aliisque palustribus herbis sternunt. uxores quot alere possunt tot ducunt atque hae tunicis talaribus sine manicis ex gossypio induuntur. uictus panis et 5 potio ex milio confecta et radices et pisces et carnes ouillae et ferinae, arma sunt arcus, sagittae, hastae et iacula ex palmis et clauae et bipennes et spicula ex aere uel argento uel auro, thoraces gossypini et cassides aereae uel ligneae.

Valles suos quaeque principes habent, quos Perurani **25** patria lingua curacas, insulani uero caciques uocant. et

2 caeli et siderum motus obseruant *om.* A || 3 fletu *corr. To.* : flectu PA | auguriis P : augririis A | ominibus *scr. To., cf. Cieza 417b* : omnibus PA | aut *ante* his P : aret A || 4 iuncis P : iunctis A | hae A : haec P || 5 ouillae P : auilae A | thoraces A : thorases P | aereae P (*ut uid.*) : aerere A | ligneae A : tinere P

hi quidem tamdiu ualles in potestate habuerunt quamdiu in dicionem regum quos Hingas appellant non uenerunt. liberi principum parentibus succedunt, aliis ue-
2 ro fratrum filii. nullae litterae in Perura sunt inuentae. nullus aeris signati usus fuit. argentum, milium, uestes
3 et aliae res cum aliis commutant. numeris utuntur, quibus res insignes memoriaque dignas comprehendunt. eas per funiculos gossypinos, quos quippos nominant, uariisque distinctos nodulis in numeros digerunt, ab uno enim ad decem et inde ad centum et postea ad mille et decem milia atque ita deinceps progrediuntur. et res quas in multa protendi saecula uolunt in suos quasque funiculos eiusdem coloris atque ipsae sunt diuersis no-
4 dulis distribuunt. quos tanta industria et celeritate Indi quibus ea cura est delegata colligunt et expediunt ut, etiamsi res multis ante saeculis fuerit gesta, pulchre numerus conueniat. funiculi autem, quorum ingens erat numerus, in locis ad id ipsum destinatis reponebantur.

26 Praeterea planae regionis incolae solem, lunam, mare, terram et arbores et lapides et animalia quaedam et in his uulpem colunt, quam post Pachacamam in eius tem-
2 plo eximie religioseque uenerantur. exstant adhuc uestigia quaedam templi, quae maiestatem illius admirandi aedificii monstrant. id in ualle amoena et fecunda, quae nomen ab ipso Pachacama accepit, interuallo sedecim milium passuum a Lima super edito tumulo e terra ma-

25 1 potestate P : -tatae A | fratrum P : fratum A || 2 Perura P : -rae A || 3 ipsae] ipse P : ipsa A || 4 pulchre P : pulchrae A

26 1 preterea P : prepterea A | regionis P : religionis A || 2 ipso P : ipsa A | sedecim A : sedecem P | edito P : edicto A

nibus aggesta et laterculis crudis structo erat positum. parietes eius e lapide quadrato erecti multis undique 3 ianuis patebant et uariis horrendisque animalium figuris erant depicti. augebant magnitudinem et pulchritudinem templi amplissimae ad circuitum eius aedes constructae, in quas principes deuertebant, cum templum adirent aut sacerdotes, quos in summo habebant honore, consulere uellent. multi ex his templum inhabitant, 4 dona aurea et argentea quae Pachacamae a regulis et ab aliis tribuuntur sub terra defodiunt responsaque a numine data Indis reddunt. uxoribus, cum sacrificaturi sunt, abstinent inspectisque animalium extis et fibris futura praedicunt. nihil reguli, nisi prius consultis sacer- 5 dotibus, inire facereque audent, nec illi quicquam sine oraculo Pachacamae respondent. is antequam oracula ederet, se ueluti alter Proteus in tigrim, leonem, serpentem et alias animalium formas uertebat seque terribili infestoque uultu sacerdotibus, cum responsa poscerent, uidendum praebebat. qui cum iratum eum cernerent, multis purisque prius immolatis hostiis, humano sanguine placabant. is in adytis templi perobscuris et uariis 6 belluarum, auium, piscium figuris depictis statis praesertim solemnibusque diebus aut ludis, qui singulis annis magnificentissime apparati in eius honorem fiebant, responsa dabat. nam tunc ad eos spectandos undique ex uallibus reguli cum magna incolarum turba conueniebant donaque afferebant et per sacerdotes ad eam rem destinatos oracula petebant. hi insignem religionem prae 7

crudis P : exudis A || 4 Pachacamae *corr. To.* : Pachacama PA || 5 poscerent A : pascerent P | uidendum A : uidendis P || 6 magnificentissime P : -mae A

se ferebant et festis diebus coram populo sacrificaturi templum uelut numine correpti ingrediebantur et, tergis Pachacamae aduersis, oculis nunc in terram deiectis, nunc in ianuas templi intentis, retro ambulabant, donec ad puluinar, ubi aurea Pachacamae imago collocata erat, 8 uenirent. ibi, uictimis rite mactatis, ipsum precabantur ut laetos prosperosque succesus genti suae daret. qui, sacro confecto, oracula quae sacerdotes regulis plebique exponebant ex adytis dabat. quibus tantam fidem omnes habebant ut quidquid sacerdotes ex oraculis dicerent pro certo ducerent confestimque exsequi curarent.

27 Sacerdotibus autem et regulis tantum erat permissum circa templum in sepulcris condi. sepeliebantur uero reguli cum binis aut ternis uxoribus uiuis multoque auro et argento et armis et ornamentis, uasculis pane et potione refertis, quod existimarent animas non interire seque, statim atque obiissent, aliam uitam in amoenissimis locis uoluptatis plenam acturos; ideoque, ne quid ad ministerium illic deesset, uelle secum carissimas coniuges et ministros aliquot et pulcherrimas pretiosissi- 2 masque res habere. quo fiebat ut Pachacamae templum partim donis quae ab his afferebantur qui religionis causa illud inuisebant oraculaque petebant, partim ab illis qui ibi tumulis contegebantur longe fulgentissimum atque ditissimum esset, siquidem in imis summisque locis eius ingens uis auri et argenti pulcherrimarumque

7 aduersis ... Pachacamae *om.* A | aurea Pachacamae P : aurea eius *To.* || 8 precabantur P : precabuntur A | genti *corr. To.* : -tis PA | oracula quae P : oraculaque A

27 1 refertis *correxi* : refectis PA | preciossissimasque P : preciossimasque A || 2 atque ditissimum *om.* A

uestium erat condita. nec dubium est quin Pachacamae templum religione, oraculis, donis totius Perurae fuerit florentissimum.

28 Fusci sunt Indi montanae prouinciae et imberbes sicuti planae, sed ingenio, forma et uiribus praestant. capillos fundis constringunt, laneis uestibus induuntur, domos ex lateribus crudis et trabibus faciunt et sparto tegunt. 2 nulla in his religio, nullus deorum cultus inerat nec aliud esse quam nasci et mori et omnia cum morte finiri putare, multi humanis carnibus uesci, multi infanda libidine uti, matres, filias et sorores, prout cuique libitum erat, in uxores ducere, cum praefectis sub quorum imperio erant per colles et ualles discurrere, de finibus armis inter se contendere, alii alios e propriis sedibus pellere, eas occupare. 3 quin etiam ipsi uictores mutuis se caedibus et intestinis bellis conficiebant, donec penes unum aut alterum summa rerum esset aut uicti ad loca munita et in arcium modum longo conclusa muro, quorum adhuc in arduis iugis uestigia exstant, se reciperent.

29 Qui cum adeo inculte et horride uiuerent ferisque essent moribus, Iungas uallium et montanas Collaiae gentes in se concitarunt uniuersamque Peruram bellis ardere fecerunt. magnas ipsi et quidem funestas accepere et intulere clades. multa hominum milia interfecta, multae arces direptae et castella aequata solo fuere. 2 ceterum, cum agitatae nationes calamitoso et exitiabili

28 1 fusci *corr. To., cf. app. crit. ad 2.24.1* : fuci PA || 2 filias P : filios A | libitum P : habitum A || 3 ad P : act A

29 1 inculte P : -tae A | funestas *correxi* : funestes PA : funeste *To.* || 2 et *ante* exitiabili *om.* P

bello non absisterent nec montani ab armis discederent, Mangus Capa, qui et Capalla et Topa fuit cognominatus, uasto corpore, robusto animo et eximiis uiribus dux ex Titicacha Collaiae prouinciae lacu cum magnis
3 Hingarum copiis est egressus, ut eos adoriretur. is lacus nomen a templo Solis, quod in maxima eius insula conditum fuit, accepit, quod ibi primum Sol, cum Collae aliaeque gentes, quae ripis lacus undique insident, multis diebus obductae tenebris fuissent, fulgentissimis ipse
4 radiis apparuisset. habet is lacus in circuitu CCCXX milia passuum et complures et feraces insulas. nauigabilis et procellis, perinde ac si esset sinus maris, expositus, quamquam et aquarum est dulcium et ab austrino mari amplius ducentis et quadraginta milibus passuum
5 abest. multi et magni et parui amnes in eo influunt, sed unus tantum effluit et is quidem uno alueo lato et profundo elabitur in Aulagarum lacum multo minorem et CLX milibus passuum ab eo distantem ibique acceptus emoritur, demirantibus accolis quo se tanta aquarum uis diffundat. eam in cuniculos mergi subterque lapsam austrino mari infundi credunt; neque enim lacus usquam exundat nec ullum habet efluuium nec fundum eius, cum altitudine sit infinita, deprehendere quis potest.

30 At uero Mangus Capa, quem ideo Viracocham, hoc est ex spuma natum, uocarunt, quod eum e Titicacha, unde cum bellicosissimis Hingis prodiisset, ortum puta-

Capalla *correxi coll. Gómara 232a et Zárate 471a* : Capella PA | ex *scr. To., cf. 2.30.1, Gómara 232a et Zárate 471a* : et PA | Collaiae P : Colaiae A | quae *scr. To.* : que PA || 5 credunt A : crederent P | exundat A : extendat P

rent, montanos tot tantisque bellis, proeliis et calamitatibus iam fractos et afflictos aggressus facile perdomuit. Cuschum condidit, hoc sedem caputque imperii esse 2 uoluit, leges dedit, cultum deorum edocuit primusque Hinga, id est rex, fuit. nam hoc nomen dignitatis deinde non gentis fuit et ceteri principes qui post Mangum usque ad Atabalipam imperarunt uniuersamque Peruram subegerunt Hingae et Topae Hingae sunt cognominati. nobiles uero et primores gentis ringrii, id est 3 auriti, deinceps dicti, propterea quod aureos globulos auribus, ut hae magis paterent, insitos gestabant. Mangus 4 templum Soli Cuschi posuit et dedicauit, sacra instituit, sacerdotem maximum, quem nominauit uillaomam, creauit, huic alios adiecit. uirgines aetate, forma, genere florentes, quae mamaconae nuncupantur, Soli legit, ut assiduae templi antistites atque custodes essent. his praedia et greges de publico statuit. erant hae uirgines selectae et tanta morum et uirginitatis laude uenerabiles quanta Vestales fuisse Romanas traditum est. nam sicuti hae stupri compertae uiuae in terram defodiebantur, sic etiam illae cum stupratore uiuae comburebantur. rex 5 quamuis Solem pro deo coli seuerissime cauisset eumque imprimis ipse ueneraretur, tamen unum esse rerum conditorem animasque immortales affirmabat magnaque naturae arcana cognita habebat et, quo magis pietate omnium pectora imbueret, sacra ipse Solis obibat numenque caeleste rebus humanis interesse demonstrabat: 'quis enim' inquit, 'in caelum suspiciens deos esse non 6

30 3 ringrii *correxi, cf. Zárate 470a* : ringlii PA || 4 quae A : que P | assiduae A : assidue P | hae strupi A : haec stupri P || 5 seuerissime P : -ae A || 6 esse *ante* non *om.* P

sentiet, non colet, sed praecipue Solem ipsum siderum caelique rectorem et naturae regimen esse, lucem rebus ministrare, tenebras auferre, omnia cernere omniaque exaudire, fructus creare et conferre et animalia cuncta alere?'

31 Itaque montani a ui et armis ad religionem conuersi efferatos militia animos mitigare et in regis uelut unici exempli mores formare feritatemque in mansuetudinem traducere et deos uereri et Solem eximie colere coeperunt, iam desertos neglectosque agros exercere et in calidis temperatisque uallibus batatas et alias radices et coccam serere, mulieres etiam res domi forisque sedulo curare et in agrorum cultura labori strenue succedere 2 eoque maritos leuare. hae forma et cultu ornatiores sunt quam aliae Peruranae. tunicas fasciis reuinciunt, palliola in collum coniciunt fibulisque aureis uel argen- 3 teis subnectunt. et certe idem fere uestitus et ornatus omnibus est Indis, sed alii ab aliis capitis ornamentis distinguuntur. quidam enim fasciolis laneis uel gossypinis capillos coercent, quidam fundis luteis uel rubris uel croceis eos constringunt, alii discoloribus resticulis uel filis in nodum colligunt. itaque suis quisque insignibus 4 cuius sit prouinciae plane manifesteque apparet. his namque signis Iungae, qui tam planae quam montanae

sentiet ... colet PA : sentietur ... coletur *To.*

31 1 et in regis uelut unici exempli mores formare *om.* A | coeperunt P : ce- A | coccam *correxi, cf. 2.18.1* : coccham A : loceham P | forisque A : foresque P || 2 hae A : haec P || 3 discoloribus P : discolaribus A | plane manifesteque P : planae manifestaeque A || 4 planae quam montanae A : plane quam montanes P

Perurae temperatas inhabitant ualles, a Tallanibus et hi a Mochicis et Cannarii a Collis atque ita aliae gentes ab aliis in tam uasta imperii magnitudine discernuntur. in 5 niuosis autem iugis Indi faciem propter rigorem laneis sagis obnubunt et ignem, ubi lignis carent, e quibusdam glebis faciunt.

Templa, arces et palatia multo tempore et labore et **32** magno architectorum et operarum numero exstruunt. tumulum ex aggesta terra ad murum uel parietem adiungunt et quantum hic surgit tantum ille attollitur. saxa quadrata denum aut duodenum pedum humi serpentia ingenti bracchiorum ui e lapidicinis trahunt et, cum eo ubi opus fit perueniunt, tumulum subeuntes super imponunt et inde in murum uel parietem traducunt aliaque super alia apte collocant. neque enim aedificatio- 2 num machinas nec trocleas nec funes ductarios, quibus onera subleuentur et sublata deprimantur, habent. ea saxa ita calce aut alio bitumine coniungunt ut iuncturae uix cerni possint atque ea maiestate et pulchritudine Indi aedificia publica perficiunt ut in gente tam barbara miraculo sint. tale fuit Solis templum, talis arx Cuschi.

Indi pro fluminum natura pontes faciunt, siquidem **33** ex editissima amnis ripa, ubi tigna propter altitudinem aluei in flumen defigi non possunt, funem in alteram

Cannarii P, *cf. e.g. 3.1.4 et Cieza 399b* : Canarii A | uasta P : uasti A || 5 faciem A : fatiem P | lignis A : ligneis P | glebis P : globis A

32 1 ille *To.* : illae PA | brachiorum A : brachierum P | alia *corr. To.* : aliae A : *nescio quid post* ali *in* P || 2 subleuentur A : suble**ntur P | iuncturae P : -ra A | aedificia A : -fictia P | cuschi P : chuschi A

iniectum utrimque reuinciunt et hominem qui traiciendus est in canistrum uimineum, quod, ut firmius sit, ligneis ansis de fune pendet, imponunt canistrumque 2 alio fune pertrahentes eum in terram exponunt. in aliis uero fluuiis singulas sublicas suis inter se interuallis distantes infigunt et, tigillis bipedali latitudine super impositis, per eos pontes adeo angustos et nutantes, quales transmittendis gregibus super Tagum Hispaniae amnem 3 fiunt, intrepide et celeriter permeant et transeunt. quin et ingentia flumina propter latitudinem rapiditatemque et altitudinem pontibus iungunt. binas in utraque ripa pilas lapideas ex aduerso statuunt totidemque funes ex herba nomine magueia dicta tortos et cannabinis multo ualidiores distendunt, in pilis utrimque religant et uiminibus et uirgultis salignis, quae illic abunde proueniunt, in cratium modum intexunt. his pontibus utpote ceteris multo firmioribus duces quamuis titubantes exercitum 4 et omnem apparatum bellicum traducunt. lintribus etiam, quas ex singulis arboribus in falcis modum cauant canoasque uocant, flumina transeunt, sed subinde contigit eas deferri et deprimi et uectores demergi: tanta est amnium rapiditas.

34 Ceterum montani sub Mangi imperio atque institutis cultiores facti ita religionibus dediti fuere ut arbores etiam et lapillos, quos guacas appellant, praeter Solem colerent. ea uox fletum significat; nam flentes templa

33 1 iniectum A : in iutum P | pertrahentes A : petra- P || 2 gregibus A : gugibus P | amnem P : amne A || 3 rapiditatemque et altitudinem *om.* A | Magueia] *cf. Zárate 472a* | in pilis *corr. To.* : impilis PA | religant P : relingant A | cratium P : bratium A | traducunt. lintribus etiam *om.* A

ingrediuntur, in quibus eos lapillos habent. quos uelut Soli consecratos sacerdotibus tantum albis uestibus indutis et oculis auersis attingere fas erat. iam uero montani, frugibus et fructibus perceptis, arborem proceram caedunt et, ramis abscisis, in fundo defigunt et in cacumine duas statuas humana forma ornatas floribus collocant et per manipulos, praeeuntibus tibicinibus et iis qui tympana tundunt, undique prodeunt. primum uirgas quas manibus ferunt in statuas coniciunt, deinde sacerdotes Solis imaginem ad arborem ponunt, mactatoque uno Indo uel pecude, sanguine eam conspergunt. postea, corde intestinisque inspectis, quid laetum aut funestum sit futurum Indis praenuntiant. hi reliquum diei cum uxoribus et liberis saltando perpotandoque agunt. 2 3

35 Et in Indis quidem hereditario iure frater fratri heres succedit filiusque patri est heres secundus. eo namque defuncto, frater eius hereditatem adit, eamque morte filio fratris relinquit, cui alter minor natu succedit rursusque hereditate bona ad heredem secundum ueniunt. 2 nec aliter erat permissum idque Mangus rex instituit, qui tantum uoluit ut principum et nobilium liberi in imperium opesque paternas succederent.

36 Ceterum montani, cum iam persuasum haberent obeuntium animas non exstingui, sed aut in corpora redituras aut in amoenissima loca, ubi maximus esset cibi

34 1 attingere P : -ret A || 2 arborem proceram caedunt *om.* A | abscisis *correxi* : -cissis PA | defigunt P : defigiunt A | tympana P : -ae A || 3 reliquum P : reliquim A

35 1 fratri A : fratis P

36 1 maximus P : -mas A

potionisque et omnis uoluptatis apparatus et copia, transituras, faciendam ornandamque sepulturam eximie
2 curabant. uarii inter ipsos erant modi ritusque sepeliendi. alii e politissimis lapidibus opere fornicato sepulcra exstruunt. haec aditum ad ortum solis habent eumque sanguine agnorum et aliorum animalium inspergunt.
3 principem mortuum multos dies plangunt. feminae comam tondent et funebri cantu, turba tibicinum praeeunte, per ea efferunt loca quae uiuenti grata iucundaque fuere. deinde sedentem eum in sepulcro statuunt ibique tres aut quattuor eius uxores aetate formaque longe ceteris praestantes cum magna auri argentique ui et multo cibo potuque uiuas cum ipso
4 includunt. erat enim hoc per uniuersam Peruram solemne, ut cum regulis et primoribus gentis binas aut ternas coniuges et totidem ex domesticis et intimis familiaribus suis et arma et uestimenta, torques, monilia, inaures et armillas aureas et uasa argentea dapis potio-
5 nisque plena in sepulcris condi. sed cum plures singulis principibus et nobilibus essent nuptae, id decus magno certamine affectabant. laetum pulchrumque ducebant uincere simulque cum uiris sepeliri. aliae, quod uictae relictaeque essent, cum acerbissimis planctibus, procedente funere, sequebantur. nonnullae ad sepulcrum se capillis suspendebant et multi ex ministris se in foueis uiuos obrui perferebant, quippe qui crederent animas

ornandamque *scripsi, cf. Cieza 407b et Martos 118* : uenandamque PA || 3 efferunt A : affe- P | uiuenti A : uiuent P | eius uxores A : uxores eius P | uiuas *scripsi, cf. 2.27.1, 6.57.9, Martos 118 et Cieza 365b, 368a, 405a* : uinas PA : binas *To.* || 4 ut ... condi] *corrigere malim, sed haec scripsisse ipsum auctorem credo* || 5 uictae A : uitae P | perferebant] *an* praeferebant?

non emori easque non modo omnibus frui uoluptatibus, sed epulis etiam et suauissimis potionibus, quod summae ipsis foret iucunditati, expleri ac pro certo haberent animam reguli illac transituram atque in amoenissima ea uoluptatum loca ipsos secum deportaturam. funere facto et caesis prius hostiis, Sopaio, quem pro 6 deo habent et quicum sermones subinde conferunt eumque uelut Pachacamam uident se in horrendas uertentem figuras, litant ac deinde se cibo potuque ad crapulam usque ingurgitant. alii in fundis tumulos ex cae- 7 spitibus, aditu in orientem solem uergente, in turrium modum erigunt mireque in his imaginem et insignia reguli defuncti effingunt et ita eum collocant ut fistulis potio quam chicham uocant in eius os defluat, quam una cum epulis et uestimentis frequenter instaurare renouareque solent. alii principum et nobilium cadauera 8 urcorum pellibus inuoluunt ac mirum in modum effigies eorum extrinsecus exprimunt et effingunt et sub tectis reponunt. ea festis diebus lecticis per rura circumferunt et, mactatis uictimis, sanguine puerorum et uirginum ipsis sacrificant. quin etiam montani in excelsis 9 iugis humantur. ea loca ueluti sacra guacas appellant. ibi familiae suis quaeque eius artis quam quisque exercet sepulturas insignibus distinctas et signatas habent.

At Mangus Capa, cum montanos stipendiarios fecis- **37** set, moribus et institutis ornasset, leges dedisset et, ut cultum deorum susciperent, religionem induxisset Cuschumque et arcem et templum Solis condidisset, impe-

6 habent P : trabent A | quicum *correxi* : qui cum PA || 8 inuoluunt A : inuolunt P || 9 excelsis P : exelcis A | humantur A : hamantur P

2 rium Iupangui filio reliquit. is et ceteri principes qui usque ad Atabalipam Hingae fuere dicti ita fines imperii protulerunt atque propagarunt ut interuallo ferme passuum quinquagies et trecentum milium Chilia ab ortu et Pastum ab occasu et Maulius ab austro et Angasmaius ab aquilone termini fuerint. 3 nam Iupangues et alii Hingae qui post ipsum regnarunt cum magnis copiis in Peruram planam descenderunt eamque tandem post multa uariaque proelia et illatas ultro citroque clades uectigalem fecerunt et leges imposuerunt, quas uicti a uictoribus accipere sunt coacti. 4 sed imprimis Hingae imperarunt ut Solem colerent, aedes ei ponerent sacrariaque constituerint; qui secus facerent ultimo in eos supplicio animaduersum iri. quam rem cum miseri afflictique populi ferre non possent, quippe crudelissime necabantur, cum amplissimis auri et argenti donis templum Pachacamae adeunt eumque, sicuti solebant, per sacerdotes consulunt. is, quando aliter fieri non posset, ex adytis respondet ut Solem etiam colerent, quod ipsi deinceps fecere. 5 ceterum non ea religione, non iis caerimoniis, non tot tantisque sacrificiis Solem quot quantisque Pachacamam uenerati fuere. semper enim hunc in summo habuerunt honore, etiamsi Hingae, ut animos gentis ad Solis cultum magis mouerent, in ea Pachacamae ualle pulcherrimum Soli templum erexerint. sed nec id nec alia quae per uniuersam Peruram exaedificanda curauere cum Pachacamae templo aequari conferrique potuere. cuius maiestatem, religionem et oracula Hingae reueriti, quamuis alias aedes et sacella dirui mandassent, hoc ueluti sacrosanctum intactum praeter

37 4 populi P : popoli A || 5 non *ante* iis P : no A | reueriti P : reuerti A

morem institutumque suum reliquere. uerum ex Solis templis Cuschanum et religione et diuitiis longe fulgentissimum clarissimumque fuit. nam reges omni studio illud cultu, donis, sacerdotum numero et uirginum sacrarum frequentia, quod ea ciuitas princeps caputque Perurae totius esset et Hingarum regia, maxime expoliendum exornandumque curabant. erant parietes eius templi e politissimis quadratisque lapidibus constructi, e quibus aulaea ex aureo argenteoque filo pendebant. adytum non caelatum et laqueatum auro tantum sed parietibus totis laminis erat inauratum, in eo puluinar auro gemmisque nitens, in quo ingens Solis statua ex auro puro collocabatur. eam principes uirgines nocturnas inuicem uigilias agentes summa religione et caerimoniis ut Romanae Vestales ignem custodiebant et sub lucem ex adyto educebant et in templi maenianis contra orientem solem ponebant et, cum is iam occideret, in adytum reducebant et in puluinari reponebant. deinde cinerem ex uestibus albis et ossibus ouis albae spargentes Soli eo potu litabant, qui azua et chicha dicitur. 6 7 8

Is ex milio conficitur et haud absimilis est Aegyptio zytho. habent Indi in iugis et tumulis editis pilas quadratas fundo pertuso et lapillis, quas guacas appellant, **38**

reliquere P : relinquere *uel* reliquere A || 6 Cuschanum P : cuschacanum A | diuitiis A : diuiis P || 7 constructi P : -tae A | aureo argenteoque filo *correxi* : auro argenteoque filo P : aureo argenteoque filio A : aureo argentoque filis *To.* || 8 uigilias A : uigilas P | Maenianis PA : moeniis *perperam scr. To.* | azua *scripsi, cf. 3.16.6, Zárate 469b et 470b* : arica *uel* azica P : acica A : arica *leg. To.*

38 1 Egyptio P : Egyptis A | pertuso *corr. To.* : pertur(s)so PA | quas A : quos P

referto. in eas milium contusum et aquam caelestem uel e lacu coniciunt. ea per tubos fictiles e pilis in dolia sub
2 terra defosa defluit. quae cum efferuuerit, milium, quod in ipsis etiam est doliis, in liquorem resoluitur et potus uel albus uel ruber fit, quo se Indi obruere solent, ut qui in morem firmissimi praestantissimique uini inebriet.

39 Et milium quidem tanto consensu et religione de publico in praediis uirginum Solis serebatur ut, si forte Hinga in aruis adesset, primum sulcum faceret; sin autem abesset, is honor uni e regulis deferebatur qui cete-
2 ris auctoritate et diuitiis praestaret. in praediis autem siue urbanis siue rusticis aediculae erant cum horreis Soli dicatae. in his milium condebatur et tanta fide seruabatur ut ne granum quidem unum attingere nedum accipere quis auderet. quin si quod milii ex eo anno uirginibus superaret, Soli in horreis absumendum relin-
3 quebatur. sed et gregibus uirginum tam domesticis quam siluestribus ut Soli dedicatis usque adeo Indi religiose abstinebant ut quasdam earum pecudum etiam per imprudentiam interemisse capitale esset et, ubi morbo aut forte exstinctas inuenissent, solemne ducerent lanas intactis carnibus in aediculis Solis ad id ipsum destinatis ponere. hoc Hingas instituisse ferunt, ne ipsis, dum Peruram cum copiis peragrarent, carnes ad uescendum
4 deessent. errabant hi greges magno numero nullo custode per uirginum pascua et iuga et uallium siluas ingentesque ex his uirgines percipiebant fructus et lanas

coniiciunt P : conficiunt A
39 1 autoritate P : authorite A || 3 adeo P : artes A | religiose P : religiosae A

in aediculis Solis ita recondebant ut aut putrescerent aut Sol praeter eas quas conficiendis uestibus erant usui suo consumeret ardore. neque enim uirgines, sacrificiis 5 Soli factis, luxu et inertia, ut nunc pleraeque defluebant, sed lanificii quidem curam suscipiebant. colus et fusus cum stamine eas comitabantur; aliae lanas ex uicuniis carpere et pensa trahere, aliae uestes texere et conficere easque Hingae tamquam Solis filio mittere. non enim ipse aliis tunicis, non trabea, non clamyde, non togis pictis, nisi iis quas suis ipsae uirgines confecissent manibus induebatur. eas ex auro textili smaragdisque et 6 aliis gemmis intextis et inter se distinctis acu Phrygionium in modum faciebant. alias ex simplicibus natiuisque uicuniarum lanis, alias ex uariis auium plumis et purpureis luteisque et croceis intexebant. Indi enim coloribus 7 tum austeris, tum floridis abundant et scalpendo caelandoque auro et argento maxime excellunt. magnus est horum artificum in templis Solis et arcibus et regiis numerus ibique uasa et ornamenta omnis generis ex auro et argento ad templi cultum et ornatum et Hingarum usum faciunt. qui ita uirginum famae et pudicitiae pro- 8 spexerunt, ita eas coli ornarique ab omnibus uoluerunt ut eam quae stupri coram sacerdote Solis maximo conuicta esset, si sancte iuraret se a Sole grauidam factam, absolui iuberent.

5 lanificii P : -ciis A | comitabantur A : -tebantur P | ipse P : ipsae A | ipsae A : ipse P || 6 Phrygionium *correxi coll. Plin. Nat. 8.196* : -gionum A : -gianum P | natiuisque P : natuisque A || 7 tum *ante* austeriis P : cum A | et *ante* argento *om.* P | artificum A : -cium P || 8 stupri P : strupi A | sacerdote P : -doti A

40 Insigne ornamentumque capitis regii erat apex purpureus et diadema candidum, quo frons apice supereminente praecingebatur, tantaque eius insignis erat maiestas ut praefecti singulis filis purpureis uel candidis pro uindicta in gubernandis prouinciis quae sibi ab Hinga
2 decernabantur uterentur. quas in officio ita retinebant ut nullis copiis, si qua deficeret, ad recipiendam eam aut euertendam, sed apicis tantum regii filo opus esset, siquidem, eo conspecto, omnes sese ultro morti offerebant. tantum erat obsequium et obseruantia in princi-
3 pem. et sane Hingarum res praeclarae ingentesque fuere: multis et pulchris arcibus et templis Solis Peruranas prouincias ornauere, quas adeo prudenter et iuste tam bello quam pace gubernauere ut nullis principibus quorum res magnis sunt traditae uoluminibus cesserint; praefectos et duces ex his qui ceteris uirtute et scientia antecellerent militari eligebant; nihil sine senatu et eorum procerum consilio, qui magnum rerum domi foris-
4 que habuissent usum, faciebant. itaque eo ingenio et prudentia Hingae sine litteris praediti fuere (neque enim ullae in Perura hactenus sunt inuentae) ut tantam imperii molem arte magis quam armis condiderint et tam uarias gentes et nationes cultu et lingua moribusque dif-
5 ferentes sub potestate habuerint. rebelles seuerissime castigabant. colonias ex pacatis prouinciis in subactas regiones deducebant et gentes proxime a se deuictas cum uxoribus et liberis, quos mitimaes appellabant, in earum sedes et agros commigrare mandabant, ut alteri

40 2 filo A : filio P || 4 (neque ... inuentae) *sic distinxi* || 5 seuerissime P : -mae A | *post* castigabant *sic distinxi* | proxime P : -mae A | alteri *om.* A

alteros reprimerent et omnes in fide et officio manerent. quod ab Iupangue Hinga Guainacapae auo institutum tradunt, qui populos armis a se perdomitos in regionem aeque temperatam ac suam ipsorum, ne desiderio patriae tenerentur, demigrare subque praefecto eius prouinciae esse iussit, ut nullam rebellandi et indigenae et aduenae occasionem haberent. quin et Carolum Magnum, cum Saxones tandem subegisset, ne rebellionis ulla in posterum esset causa, duodecim milia Belgarum cum coniugibus et liberis in Saxoniam et totidem eius gentis in Belgium, commutatis sedibus, transtulisse sunt quidam auctores. 6 7

Ceterum cum Hingae moderate imperarent eaque in deducendis coloniis sollertia essent, firmum tranquillumque imperium habebant ac, ne quis ex regulis occasionem defectionis arriperet discordiamque concitaret, aequum esse ducebant ueros heredes, etiamsi patres maiestatem regiam per uim minuissent, non mouere, sed iubere ut fratres, si illi sine liberis decederent, in eorum locum succederent. filii autem principum et nobilium instituto Guainacapae cum custodibus suis et comitatu Cuschum mittebantur, ut in aula educarentur et institutis regiis et ciuilibus imbuti mores animosque excolerent linguamque Cuschanam ediscerent. non enim alia in aula et urbe, licet uulgari in sua quisque regione patrioque sermone uti posset, quam Cuschana loqui per- **41** 2 3

6 ab *ante* Iupangue P : ad A | praefecto P : precepto A | aduenae P : aduanae A

41 1 ac P : at A : et *To.* | aequum esse P : aequam esset A | regiam P : regium A | sine P : sint A | decederent P : desederent A

missum erat. eam omnes gentes et nationes Perurae scire cogebantur. itaque Hingae Cuschanam linguam simul cum imperio celebrem potentemque fecere et aulae maiestatem tot principum et nobilium filiis tam uario uestitu et insignibus et comitatu ornatis longe magis
4 uenerandam et admirandam reddidere. atque ita ipsi plane effecere ut, manentibus in aula et urbe tamquam obsidibus regulorum liberis, nihil illi in tanta imperii magnitudine in principem suum dicere, ne cogitare quidem, nihil facere et moliri ne temptare quidem auderent.

42 Ceterum inter alia Hingarum opera quae summam in admirationem ueniunt duae sunt uiae regiae: altera Cuscho per montana loca ad Quitum deducit, altera per plana ad Tumbezium. singulae spatio amplius uicies passuum stratae. montana lata pedes uiginti saxeo ab utraque parte muro est cincta et, ut ea uia directa aequaque esset, saxa caesa, rupes cauatae et exscissae, iuga subruta et ualles depressae ex caementis erectae fuere nec
2 opus intermissum, donec omne complanatum fuit. plana eadem latitudine maceria alta utrimque erat clausa et amoena mollibus et aliis arboribus, quae hinc et inde iuxta maceriem consitae umbras efficiebant. in locis uero harenosis, in quibus nec arbores nasci nec parietes exstrui poterant, singulae sudes aequis inter se oppositae et spatiis distantes, ut deducerent in uiam, erant defixae. nusquam hae uiae deflectunt, sed recte tendunt. eas Guainacapa Guascaris pater instaurauit longiores-

3 longe P : longae A || 4 effecere P : efficere A
42 1 uicies A : uices P | stratae *correxi* : strata *To.* : stracta A : strat P || 2 sudes P : scides A | hae A : haec P

que fecit. utraque uia pulcherrimas arces et amplissima palatia et his adiunctas Solis aedes et horrea et deuersoria tricenis aut quadragenis milibus passuum inter se distantia et ad amnium ripas posita habuit. 3

43 Praefecti prouinciarum arcibus praeerant summoque studio contendebant consulere omnibus, mederi incommodis hominum, prospicere saluti, prouidere rebus publicis et prorsus efficere ut omnes Solem praecipue colerent, sacerdotes sacra rite conficerent et uirgines munia sua caste obirent, ne quid in ipsis princeps desiderare uel requirere posset. 2 prouinciarum in montanis quas praefecti administrabant principes et capita erant Quitum, Tacunga, Thomebamba, Caxamalca, Xauxa, Bilcae et Paria et in planis praeter alias Tumbezium et Chincha, quae complures continent regiones. his praefecti in sua quique prouincia et arce iura reddebant et, si forte res exigeret, exercitum conficere et ei praeesse permissum erat. 3 res arduas et difficiles cum principe tanta celeritate per cursores consultabant ut a Quito octauo die nuntius Cuschum ueniret. nam quaedam aediculae in uia erant dispositae et singulae interuallis duorum aut trium milium passuum inter se distantes, in quibus bini Indi, qui uelocitate ad cursum ualerent, cum uxoribus et liberis habitabant. 4 quorum alter, accepto a praefecto nuntio, citius dicto euolabat et, antequam ad secundam aediculam accederet, magnis uocibus

3 amnium A : omnium P

43 1 rite P : uite A || 2 principes A : princeps P | Tacunga *correxi, cf. e.g. 6.55.2 et Cieza 394b* : Tucumga P : Tucũga A | Paria *correxi, cf. Cieza 394b* : Pariae PA | Chincha *correxi, cf. app. crit. ad 2.21.3* : Chinca PA || 3 duorum A : duûm P

Indo quod tertio cursori nuntiaturus esset referebat. is, eo audito, celerius quam equo fieri posset per iuga per confragosum iter currebat ac sic deinceps suo quisque ordine, donec Cuschum peruentum esset. et quod princeps decerneret e uestigio tanta fide per eosdem cursores renuntiabatur ut nihil illi umquam proderent, siquidem Indi optime arcana continent ac ne ullo quidem mortis horrore detegunt.

44 At uero ingens auri et argenti uis in arcibus seruatur, quam ex tributis, uectigalibus et stipendiis impositis colligere praefecti iubent. ea singulae quaeque prouinci- 2 ae et populi pendunt et quaestores exigunt. singulae autem arces et palatia regia usque adeo armis, uestimentis et calceis erant instructa ut armandis ornandisque trecentis hominum milibus abunde sufficerent. haec praefecti annonae et rem frumentariam prouidebant magnumque milii, radicum edulium et aliorum commeatuum numerum in horreis condebant. grauissima namque poena cautum erat ut finitimae gentes ea omnia conferrent, uias purgarent et reficerent et pontes craticios facerent et ruptos fluminibus conecterent. 3 itaque tanta erat in illis arcibus armorum et ceterarum rerum abundatia et copiae ut, dum Hingae cum copiis Peruram lustrantes in eas deuerterent et pernoctarent, omnia ad cultum et ad uestitum ipsis et exercitui large et copiose suppeditarent. ibi milites arma, calceos et uestimenta uetera nouis mutabant.

4 tertio *om.* P | audito A : audio P | equo P (*cf. Zárate 472a*) : aequo A

44 2 et reficerent et pontes cratitios facerent *om.* A || 3 copiose *corr. To.* : copiosae A : copiese P (*ut uid.*)

Ceterum Hingae, quamuis in rebus bellicis essent, **45** tamen interdum animos uenatione relaxabant et se iucunditati dabant. ea uenatio, cum Perura canes non gigneret, in hunc erat modum: multae hominum cateruae siluas et saltus interuallo duodecim aut sedecim milium passuum circumeunt et pedetemptim una progrediuntur magnis uocibus more suo cantitantes et feras prae se agentes, donec omnes undique se iam conspiciunt circuitumque conficiunt, manusque manibus conectunt et bracchia bracchiis adeo uociferantes implicant ut attonitae clamoribus aues decidant. itaque, circuitu clauso, alii undique retia tendunt, alii armis circumclausas feras inuadunt magnumque ex his quas uolunt numerum capiunt et interficiunt.

Iam uero post Mangum Capam natum maximus et **46** fortissimus Hingarum Guainacapa fuit, quippe qui animi magnitudine, deorum cultu, rerum gestarum gloria ceteris omnibus longe antecelluit. imperium auxit, populos quos in potestate habuit tanta aequitate et prudentia rexit ut mirum omnino in tam uasto imperio sit, ubi nullae erant litterae, ubi immensae et affluentes diuitiae, tanto ordine res geri et administrari, tantum cultum esse, tanta obseruantia, fide, amore principem coli. nam, ut regias illas uias duas multo maiore admira- 2 tione et omni laudum genere quam pyramides Aegyptias et stratas Romanorum uias dignas sileam, quas Guai-

45 manusque P : magnusque A | circum clausas P : circumclusas A

46 1 longe P : -ae A | *post* antecelluit *sic distinxi* | aequitate et prudentia P : aequitatae et prudentiae A | affluentes P : influentes A || 2 Pyramides P : -dos A | dignas P : -os A | sileam A : sileant *uel* sileam P

nacapa refecit et arcibus et templis ornauit, parietes et tectum Cuschani templi laminis aureis intexit, simulacra et imagenes Solis, statuas regum, uarias animalium species et figuras, arborum et herbarum effigies, uasa et uesti-
3 menta ex auro facta habuit. pluris enim metallum illud quam nonnulli existimant apud Indos fiebat atque adeo ut reguli etiam uasa et ornamenta ex auro conficerent. Guainacapa solio utebatur aureo tantaque erat maiestate ut reguli, etiamsi centies eadem die aulam intrarent, (aliter enim non admittebantur) nudis semper pedibus et cum donis nouis, quae togis inuoluebant et umeris in seruitutis signum portabant, eum adirent deiectisque in terram oculis (neque enim faciem eius intueri licebat)
4 quae ipsi uellent paucis exponerent. quin et Guainacapa, cum iter per Peruram faceret, lectica aurea incedebat eaque a regulis amicis et consiliariis ferebatur ac, si quis caderet, is, lectica statim deposita, securi percutiebatur. mille autem reguli eum montana regiaque uia in Quitum euntem praeter multa nobilium armatorum agmina, quos ringrios appellari supra demonstratum est,
5 sequebantur. qui cum eam prouinciam in potestatem suam, rege in proelio interfecto, redegisset, filiam eius in matrimonium duxit uictorque more triumphantis eadem uia regia Cuschum est reuersus. ibi ex coniuge Quiti principe, quam secum duxerat, Atabalipam et Illiescam filios habuit et imperium ex ea urbe non minus

speties P : spaties A | auro P[2] : aureo P : aures A || 3 die P : diae A | (aliter ... admittebantur) *sic distinxi* | togis A : tagis P | signum P : sigum A | (neque ... licebat) *sic distinxi* || 4 cum *ante* iter P : eum A | eum *ante* montana *scripsi* : cum PA | ringrios *correxi, cf. Zárate 470a* : ringlios PA || 5 Illiescam P : Illies eam A

prudenter et iuste rexit quam tot prouinciis a se fortiter ac strenue subactis auxerat. ceterum, cum Quiti desiderio teneretur, quod ipse eam prouinciam in dicionem suam redegisset eaque illustris locuplesque esset, ingentem liberorum numerum Cuschi relinquere decreuit et in his Mangum et Guascarem natu maximum. hos ex iusta reginaque uxore, quae coia uocatur, illos ex aliis coniugibus siue pellicibus susceperat. nam, quamuis Hingae quam plurimas ducant uxores, tamen una princeps est ceterisque praefertur liberique eius in patris locum succedunt. itaque Guainacapa iter, sicuti in animo instituerat, ea maiestate qua solebat ingressus plana regiaque uia, quam purgandam reficiendamque curauerat, confecit Quitumque iucundissimum sui spectaculum praebens peruenit, ubi reliquum uitae egit atque eo anno et die quo Franciscus Pizarrus cum tredecim sociis oram arcemque regiam Tumbezii explorauit Quiti decessit. quod ubi Cuschum nuntiatum est, Guascar, iustis funeri paterno solutis, diem capiendo diademati delegit et more patrio inauguratus regio insigni caput euinxit.

LIBER TERTIVS

1 Interim dum haec Cuschi geruntur, Chalicuchima et Quinquizius, magni clarique Guainacapae duces, et alii, quibus ipse moriens Atabalipam filium, quem summe diligebat, commendauerat, et Quiti auiti maternique regni heredem reliquerat, inter se statuunt nouum Cuschum nouumque imperium condere et regiones in septentrionem uergentes armis subigere; regnum interea Quiti iuueni Atabalipae deferre ipsumque regem constituere. 2 is patrem semper secutus fuerat et quia Guainacapae filius et in castris educatus et ob altam indolem animi profecto iuxta ducibus et militibus carus atque iucundus erat. itaque, Atabalipa in patris locum praerogatiua militari, accedente etiam plebis fauore, extemplo in praetorium delatus Hinga ingenti omnium clamore atque assensu est appellatus et breui effecit ut omnem in se exercitum conuerteret atque ita fauorem conciliaret ut Guainacapam uiuentem sibi redditum duces pariter et milites ueteres crederent. 3 legatis quos Guascar, ut ad se ueniret Cuschum, miserat responsum dedit: se sub fratris imperio oboedienter et fideliter futurum, si regnum auitum maternumque, quod sibi pater dedisset, non adimeret. Guascar periniquo hoc animo tulit Atabalipaeque renuntiari iussit se eum pro hoste, nisi exercitum dimitteret et opes paternas restitueret, habiturum

1 1 Chalicuchima A (*cf. e.g. 3.2.2 et Cieza 426b*) : Chalicuohima P | haeredem P : haerulem A || 2 fuerat P : fuere A | altam] *cf. adn. ad Liu. 21.2.4* | extemplo P : ex templo A | clamore P : claniore A | assensu *scripsi coll. Liu. 21.3.1. cf. et app. crit. ad 6.85.3* : ascensu PA | effecit A : efficit P || 3 fratris A : fratis P | dimitteret A : dimittere P

nec Quitum, quod imperii finis et aditus ad alias prouincias pro Hingarum more adiungendas esset, permissurum sed, si ad se ueniret, aliud regnum aeque opulentum daturum. et, ut Atabalipam, quem imparatum esse 4 credebat, confestim opprimeret et Quitum reciperet, Atocum praefectum in Thomebambam misit, ut contracto celeriter ex Paltis et Cannariis aliisque finitimis populis exercitu in eum inuaderet. is triginta hominum milia in armis habuit.

2 Atabalipa legatis respondet se dignitatem suam auitumque regnum a patre sibi relictum acriter defensurum et uim, si inferatur, repulsurum. nec cunctandum 2 amplius sibi ratus, ita Chalicuchima consulente, copias educit, in hostes mouet et ad Thomebambam CCXII passuum milia procul a Quito Atoco occurrit et cum eo per triduum confligens, fuso demum exercitu, capitur et in Thomebambae arce regia includitur. qui ea 3 nocte, uictoribus laetitia cibo et potu se obruentibus et saltantibus, aereo ueruto et ope cuiusdam mulierculae murum perfodit et effugit Quitumque incolumis peruenit. demirantibus Indis quod ita euasisset, facile eis persuasit se a patre uinculis ereptum, eumque uictoriam, si iterum ipse cum Atoco dimicaret, promisisse. nec opinio Atabalipam fefellit commemtumque illud 4 euentus comprobauit; nam collecto comparatoque exercitu per Chalicuchimam et Quinquizium legatos, qui ex eo proelio euaserant, Atocum cum copiis ad Ambatum amnem fudit et occidit, Thomebambam exussit et Cannariorum, quod Atocum iuuissent et Guascaris partes

finis A : fines P || 4 Thomebambam A : To- P
2 2 fuso P : fusu A || 4 comprobauit P : -bit A

sequerentur, septuaginta milia interfecit et alias saeua
imperandi libidine clades patriae intulit et complures
5 arces, quas Hingae exstruxerant, funditus euertit. et sane
Perura eo fraterno ciuilique bello in duas diuisa partes
ipsa sibi arma, faces, manus intulit et Hingarum imperi-
um et opes corruerunt.

3 Omnes ferme reguli et nobiles et Iungae et Collae et
aliae gentes bellicosae tam montanae quam planae Per-
urae Guascarem sequebantur, qui postquam de Atoci
exercitusque caede audiuit, iam Cuschi moenibus ti-
mens copias ex urbe educere iterque in hostem intende-
2 re decreuit. sed, cum taetra prodigia tunc nuntiata es-
sent, Guancauchium et Hingaroquium legatos cum
multis hominum milibus, ut communem patriae hostem
et fatale Perurae portentum comprimerent et funditus
delerent, confestim praemisit et regulos quosdam cum
donis aureis Pachacamam adire iussit, ut quae piacula
irae deum essent, quid prodigia illa significarent accura-
3 te inquirerent. responsum ex adytis est sacerdotibus ea
exitium Hingarum imperio et Perurae commutationem
rerum et principibus periculum fore portendere; iam
nouas barbatas et inuictas gentes Perurae imminere aut
instare iam plane aut certe iam appropinquare; ab his
calamitates et direptiones omnibus impendere; caerimo-
nias et auspicia eo bello exitiabili neglecta et uiolata
procurarent et expiarent, ut dii immortales tantam tem-
pestatem et ruinam impendentem a patria auerterent.

5 sane *corr. To.* : sani PA

3 2 taetra *scr. F. Socas me teste, coll. Liu. 22.9.8; cf. et antea 3.3.1 cum Liu. 22.9.6* : terra PA || 3 Principibus P : Princibus A | *post* impendere *sic distinxi* | impendentem P^2A : impedientem P

haec cum denuntiata fuissent, religionem et terrorem 4
in omnium animis incusserunt. rex in cultum uersus
deorum, sacerdote Solis maximo consulente, urcos et
guanacos albos et alias uictimas Soli immolari et solemnia sacrificia fieri et Pachacamae humano sanguine et
ceteris hostiis litari imperauit et, si bellatum prospere
esset et Perura in eodem quo ante bellum fuisset statu
permansisset, aedem Soli et ludos magnos Pachacamae
uouit et supplicationem edixit. ea ut fierent mature curauit. sacrificiis factis et uotis rite nuncupatis, Guascar
cum exercitu est profectus.

Ceterum Atabalipa, motis a Cannariis castris, omnia **4**
igni et ferro more fulminis uastat. Guancauchium et
Hingarochium legatos in fugam uertit, Tumbezium capit et Punam inuadit sed, accepto in altero crure uulnere et multis ex militibus amissis, oppugnationem, quod
eius insulae regulus acerrime eum reppulisset, in aliud
distulit tempus. inde in Caxamalcam fecundissimam 2
uallem contendit et Quinquizium legatum cum parte
copiarum praemittit, ut Guascari, quem cum ingenti regulorum et nobilium numero egressum Cuscho audierat, insidias tenderet locumque his aptum deligeret. ipse in Caxamalca posuit castra. militibus, ut corpora
curarent, quies data. Quinquizius, ubi per indicem fac- 3
tus est certior Guascarem cum intento atque infesto exercitu in Caxamalcam procedere, agmen per lucos et
siluas ita duxit ut non aperte et palam, sed ex occulto et
insidiis ageret. omnia quieta ac sine ullo erant tumultu

4 nuncupatis P : -atus A

4 2 insidias tenderet *scr. To.* : insidia tenderet A : insidias tendere P | *post* deligeret *ita distinxit To.*

et modo e conspectu hostium transuersis tramitibus abibat, modo in aliquo uiae flexu, si digressum Guascarem excipere posset, occultus subsistebat atque ita caute in id incumbebat ut nullo loco, nisi oblata quam captabat occasione, se fortunae committeret. et cum ipse numquam hostes omitteret, numquam tamen ab ipsis uisus fuit ac ne auditus quidem.

5 Accidit autem ut Guascar, sic optimo maximo Deo efficiente, ut gens illa cuius cultum et ueram religionem susciperet et coleret, nihil de insidiis suspicans animi remittendi causa in eum lucum in quo Quinquizius in insidiis consederat cum regulis amicis et praetoria nobi-
2 lium cohorte deuerteret. Quinquizius milites in idoneis locis et speluncae in modum subrutis et crebris arboribus condensis collocauerat, ut, cum ipse ex improuiso a tergo hostes adortus esset, illi simul ex occulto a fronte et a lateribus in eos irruerent, ut multiplici terrore perculsi et, quod neque retrogredi neque a lateribus euadere neque ultra procedere possent, circumuenti conciderentur.
3 itaque Quinquizius, cum Guascar lucum intrauisset iamque ab eo loco cum regulis et praetoria cohorte, ubi ipse erat in insidiis, progressus fuisset, impetum in hostes fecit et milites undique quos in occultis locauerat locis eos inuaserunt. Guascar, reguli et nobiles, quod se telis circumduci conspicerent, perturbati aliquantum impetum hostium represserunt acerrimeque decertauerunt, sed pauci a pluribus circumclusi omnes ad unum
4 praeter Guascarem, qui fuit captus, interficiuntur. ceterum, cum duces qui in acie erant strepitu et clamore

3 committeret A : conmittere P | ommitteret A : omittere P
5 1 cuius] *an* eius? | susciperet *corr. To.* : -piret P : -pet A

excitarentur, ueriti ne princeps in aliquo esset discrimine, concitato cursu cum agminibus se in lucum intulerunt. quod ubi Quinquizius per speculatores cognouit, mortem Guascari minitans inquit: 'nisi cupis, Hinga, 5 protinus ceruicibus caput tuum abscidi fixumque in pilo gestari, impera confestim legatis tuis ut in castra cum acie redeant et exercitum Cuschum reducant et duodecim principes ad te e uestigio ueniant de concordia mecum acturi. non enim Atabalipa aliud quam pacem mauult: non regnum appetit tuum, non occupare conatur, sed ut Quitum, stipendio etiam a te superimposito, regat et possideat.' Guascar animi territus praefectis, 6 qui iam appropinquabant, nuntiare quam celerrime iubet ut pedem referant, exercitum dimittant et duodecim ex principibus ad se ueniant. illi, qui iam proxime aderant, consistunt et duodecim praefecti exercitus principes ad Guascarem ueniunt, quos statim Quinquizius in omnium conspectu obtruncat. reliqui metu perterriti ultra progredi non sunt ausi, sed in castra rediere, ingentesque illae copiae dispersae et dissipatae fuere. Guascar uero a Quinquizio in Caxamalcam est ductus.

Is rerum in Perura status erat cum Franciscus Pizar- 6 rus Panamae naues militibus, armis, commeatibus adornaret et instrueret. nec dubium est quin diuino hoc factum sit fauore; nam qui Pizarrus cum tam parua Hispanorum manu in tam inexpugnabiles prouincias

4 excitarentur A : exita- P || 5 *post* tuum *leuiter distinxit To.* : *signum interrogationis scr.* PA | abscidi *correxi* : abscindi *scr. semper* PA, *quod posthac silentio praetermittam* | conatur, *sic interpunxi* : conatur? PA || 6 rediere A : redire P | dispersae *correxi* : disperse PA | Caxamalcam P : Caca- A

ingredi, tot tantaque hominum milia aggredi potuisset, nisi fratres de imperio contendissent et eo Indi bello disiuncti diuersique inter se fuissent atque eo ipso tempore quo Guascar a Quinquizio captus fuit in Peruram inuasisset et deinde eam diuina potius ope et uirtute quam armis et humanis uiribus subegisset?

7 Etenim Perura ab ea praesertim ora quae a Panama in Magallanicas excurrit fauces non modo natura ac loco uallata, sed morbi, famis, aquae et uenti praesidio ita clausa est atque munita ut non nisi summo cum labore 2 et uitae discrimine adiri intrarique possit. siquidem Nomen Dei et Panama urbes, quae interuallo septuaginta duorum milium inter se distant, in Vrabano isthmo positae, illa in Oceani interioris litore, quod a Baetico octies et sexagies centena milia pasuum abest, haec in exteriori siue austrino mari, ianuae et aditus sunt Perurae. in illa classes Hispanicae cursum conficiunt et illic onera et merces exponunt, propterea quod longius progredi non possunt. in hac, si nauigandum in Peruram est, alias naues aliis commeatibus instructas conscendere ne-3 cesse est. interim, cum hae urbes propter caeli grauitatem pestilentibus sint obnoxiae morbis, illi qui ex Hispania in eas traiciunt, si aliquandiu illic consederint, aut statim occumbunt aut uehementer diuque aegrotant, uixque e centum hominibus affectis uiginti eua-

6 *post* contendissent *sic interpunxit To., interrogationis signum scribunt* PA | *post* fuissent *et* subegisset *sic distinxit To.* : fuissent? ... subegisset. PA

7 1 Etenim P : Et etenim A | cum P : eo A || 2 duorum *correxi* : duum P : dierum A | positae *correxi* : posita PA | *post* abest *plene distinguunt* PA | naues P : nouae A

dunt. quid si numerosae classes appellerentur? profecto hae non morbo solum, sed fame interirent. est enim ager earum urbium ita sterilis ut milium uix alendis cultoribus suppeditet. bubulis et suilis et ferinis carnibus et arborum fructibus Panama magis quam Nomen Dei abundat; ceteris commeatibus incolae maxime indigent et rei frumentariae ex Martha et Carthagine et ex insulis Hispaniola et Cuba prouident, unde etiam sues et altiles aues aduehuntur, et ex Hispania magna farinae tritici copia et ingens panis nautici numerus classibus transportatur. sed haec qui iustum exercitum alere possunt et famem et morbum depellere? immo certe hae duae pestes, dum aliae classes comparantur et instituuntur, eum plane absumerent atque eo magis quod a Panama ita difficulter et periculose, nisi ab ineunte Ianuario ad Aprilem, in Peruram nauigatur ut eam oram aqua et uentus tutari uideantur. fluctus enim, qui ab austrino uertice defluunt a freto Magallanico litora Chiliae, Perurae, Bonae Fortunae, Terrae Firmae, Nicaraguae, Guatimalae et Nouae Hispaniae (tantus est austrini maris aestus impetus et uis) alluentes ad Moluccas usque remeant et classes propellunt et difficili longaque et periculosa nauigatione morantur. 4 5

Quod longe secus est cum naues ex eo freto uel e Perura soluunt; tunc enim facile et expedite et optime, aestu recedente, cursum uel in Panamam uel Moluccas conficiunt. nam et Magallanes a faucibus illis a se 8

3 numerosae *corr. To. (cf. Calu. Gasca 304a)* : -rosa PA | appellerentur *corr. To.* : appelleretur A : appellaretur P | morbo P : morba A | fame P : famae A | *post* suppeditet *sic distinxit To.* || 5 (tantus est ... et uis) *sic distinxi*

inuentis commode in Subutham nauigauit et una nauis ex Gutterii Vargae Placentini pontificis classe eas fauces transgressa Arequippam uenit, eamque Chiliae oram prima lustrauit. ceterum nauis praetoria Magallanis, cui Trinitas nomen fuit, cum e Tidora in Panamam tenderet, tanta fuit recurrentium uis fluctuum ut eodem unde 2 erat profecta referretur. quin et Villalupum tradunt Antonii Mendozae, qui Nouam Hispaniam cum imperio tenebat, praefectum e Natiuitate eius prouinciae portu nauibus in Moluccas uenisse nec inde, cum maxime contendisset, in eum redire potuisse, sed oram Asiae et Africae, quam praesidiis Lusitani tenebant, circumuectum Hispalim appulisse. quin ipsum potius, fractis amissisque nauibus praeter unam cui Bernardus Turrius Illiberitanus praeerat, absumptum Franciscus Lopezius 3 est auctor. ea autem naui Turrius magno sui cum periculo ultra aequatorem deiectus amplius decies centena passuum milia in occasum continenti litore cuiusdam regionis, quam ipse, quod incolae nigri essent, Nouam Aethiopiam appellauit, emensus fuit compluresque insulas contra eam continentem haud procul eo circulo distantem positas et gentibus albis cultas se uidisse ret4 tulit. itaque tantus est fluctuum motus et agitatio eo praesertim mari, aestu feruente, ut ab Moluccis ex Noua Hispania et Panama in Peruram et Chiliam Magallanicasque fauces, nisi statis temporibus, incerto cursu et magno cum uitae discrimine sit nauigandum. nam quod ab Aristotele traditum est, aquam marinam a uerticibus in aequatorem, propterea quod maxima aqua-

8 1 Placentini A : -tino P || 2 oram P : ocam A | Lopezius *correxi, cf. 1.12.1* : Lopetius PA

rum uis sub ipsis gignatur, diffluere, longe aliter se habere certum est, quippe cum re ipsa iam compertum sit multo maiorem ex austrino quam ex altero uertice aquarum molem diffundi, eamque per oram ubi sunt Brasilia, Venezilia, promunturium Vigiliae, Martha, Carthago, Nomen Dei et prouinciae quae Profundae et Florida uocantur ad sinum usque Bahamum, qui a Cancri circulo partibus quattuor et ab aequatore octo et uiginti abest, discurrere. unde apparet maiores et uiolentiores fluctus ab austrino quam ab altero uertice decurrere.

Hoc stellarum uis, quae naturae ultra quam citra aequinoctialem lineam sunt frigidioris, efficere uidetur. id ipsum tum ex undis maioribus, quae ingentem aquarum magnitudinem unde defluunt gigni ostendunt, tum ex frigore, quod ab aequatore in austrum acrius est quam in aquilonem, ita esse plane constat, siquidem haud dubium est uehementiorem esse Panamae et Nomine Dei quam Piurae et Trugilli calorem. absunt hae urbes ab aequatore in austrum quinis aut senis partibus et Lima, quae temperatior est, duodecim et Arequippa, ubi hiberno tempore omnia gelu rigent, sedecim. Panama uero ab eo circulo in septentrionem nouem partibus, Nomen Dei decem, Martha undecim, Hispaniola et Nicaragua uicenis distant. nec tantum caloris et fri- 9 2 3

4 Promontorium, Vigiliae A (*perperam hunc promunturium Caluetus in Latinum sermonem expressit, quod Hispane 'de la Vela' nuncupatur; cf. Calu. Gasca 304b, Gómara 163b et de promunturii nomine Oviedo*[2] *I 59b)* : Promontorium, Vigilia P | et *ante* Florida *correxi* : at PA : ac *scr. To., fort. recte* | Florida *correxi, cf. Calu. Gasca 304b* : -dae PA

9 1 frigidioris A : frigidiores P

goris discrimen assignari terrarum situi potest, quod ipse inter se positionibus differant; aeque enim humiles depressasque et maritimas esse et Martham propius ad regiones frigidas quam alias accedere certum est. quin et mare ipsum austrinum frigidius ab aequatore in austrum quam in aquilonem esse teredines, quas naues corrodunt et euertunt, clare ostendunt; non enim in nauibus quae in Perurae portibus exsistunt, sed in his gignuntur quae in Panamae aut Nicaraguae stationes et fluminum ostia se recipiunt. necesse enim est, ut uermes illi gignantur, aliquid caloris in marina inesse aqua eamque dulci immisceri.

10 Atque eadem ratio est de crocodilis, qui caimanes uocantur, atque de teredinibus. et hi quidem in Panamae et Nicaraguae fluuiis ut in Nilo et Darat Mauritaniae amne gignuntur. quadrupes est animal nec aliud terra pariter et flumine infestius; nam et dies in terra agit et noctes aqua parit oua quanta anseres et ex tam parua origine ad duodecim cubita et plerumque ad duodeuiginti excrescit. humanam appetit carnem et cum alia animalia tum potissimum canes inuadit. multi ab 2 his equi atque etiam Hispani sunt deuorati. Perura propter amnium rapiditatem et rigorem eos non gignit, praeterquam in eo flumine nomine Maricabelica dicto,

3 aeque *correxi* : aequae A : aequo P | Austrum P : Austrium A

10 1 Darat *correxi, cf. Plin. Nat. 5.9* : Darato PA | flumine A : flamine P | parua P : paruae A | inuadit A : inuadet P || 2 Marica Belica P, *cf. Calu. Gasca 305a, sed uide Cieza 412b et 1.39.1, ubi Maicabilca non Maricabelica flumen Chirae appellatur, quod re uera 'ferme partibus quinque ab aequatore in austrinum defluit mare'* : Maxica Belica A

quod ferme partibus quinque ab aequatore in austrinum defluit mare.

Quod, ut quibusdam placet, ita se a septentrione in **11** austrum effundit ut fluctus in oppositum Magallanis fretum et litora impingant, qui, cum immiti eius ore, quod fauces illae non amplius milibus passuum octo pateant, non possint, repugnantibus etiam ex aduerso ore interioris Oceani undis, necesse est eos fluctus impactos reflecti ac reciprocare et unde affluxere eodem recurrere et identidem pelagus illud exterius aestu magis quam interius feruere et exundare. nec parum tan- 2 tam fluctuum agitationem auster ciet et auget Peruramque impetu suo munit atque defendit, quippe qui semper ab ea flat, etiam aquilonibus trimestri illo tempore, quando e Panama in Peruram nauigari potest, spirantibus tunc enim auster plus dimidio spatio eius nauigationis flat, reliquo aquilones et ut ipse ex Perura expeditam nauigationem, ita e Panama impeditam efficit: uix enim per flexus et reflexus procedi nisi summo 3 cum labore potest. quibus necesse est aduersum uentum declinare et fallere aut ab litore in altum, ut rursus id repetatur, nauem dirigere. nam subinde contingit nauem uno defluxu milia passuum sescenta percurrere et tandundem spatii in reflexu ad terram sulcare aut eodem uel supra uel infra eum locum unde erat egressa redire. quamuis enim nauis flectat atque deflectat et in septentrionem contendat, tamen, cum reflectit et terram repetit, aestus et uentus, qui prope oram spirat, eam auertunt atque deiciunt. id ipsum certe hi frequenter 4

11 2 in altum P : maltum A, *unde* multum *To.* || 3 eodem P : eadem A

experiuntur qui ex Panama Limam nauigant, e cuius portu ferunt nauem quandam in Peruram soluisse et, cum in altum deflexisset cursumque in Limae portum dirigere uoluisset, numquam potuisse eamque menses quattuordecim eo mari deerrauisse et centies sexagies centena passuum milia in flexibus ac reflexibus remensam nec Limam tamen tenuisse, sed ostium Sanctae flumine, quod ab ea CCXL milia passuum distat, ingressam et, cum pertinaciter procedere longius contenderet, tandem Paitam, quae tantundem spatii ante Sanctam posita est, ita fluctibus quassatam atque foeda consumptam illuuie, qua mare illud refertum est, appulsam ut inde nemini ipsa umquam fuerit usui. merces uero
5 quibus onusta erat cumbis deportatae Limam fuere. itaque haud dubia res est quin ex tam longa difficilique propter recedentes aestus et aduersum uentum in Peruram nauigatione commeatus consumantur, arma robigine laedantur, puluis tormentarius, crebris in eo mari cum magno fragore tonitribusque imbris cadentibus, umore corrumpatur et nautae et milites uiribus deficiantur.

12 Quamuis enim classes litoribus Perurae applicentur descensionesque in eam continentem fiant, tamen si commeatus ab his qui eam incolunt oram prohibeantur, ut profecto facile prohiberi possunt, fame sitique omnes absumentur, siquidem uniuersa Perurae planae regio, quae longo terrarum tractu protenditur, aquas tantum

4 e A : et P | eamque P : eumque A | centies A : conties P || 5 propter A : praepter P *ut uid.* | uentum P : uersum A | consumantur P : -matur A | nimbis *corr. To.* : nimbris PA

12 1 quae P : qua A

dulces ex fluuiis, qui plurimum sexagenis minimum quadragenis passuum milibus inter se distant, aut salsas habet ex puteis, qui xagueies dicuntur, eodemque prope interuallo quo amnes nec longe a mari alii ab aliis sunt disiuncti. iter autem per eam plagam, quod nimius sit 2 solis ardor, noctu est faciendum et ante eius ortum ab uno flumine uel puteo, ne maximo calore et siti homines et iumenta pereant, in alterum perueniendum.

Iam uero cursum quem naues ex Panamensi portu in **13** Peruram et Chiliam tenent referre et eam oram quae ad Magallanicas usque se extendit fauces percurrere, etiamsi ab aliis qui regiones illas peragrarunt ea sint litteris accurate mandata, non alienum ab instituto opere esse duxi. ceterum ea tantum quae memoratu digna Romanoque sermone dictu erunt facilia perstringam: quis enim omnia ad summum persequi posset?

Et Vrabanum quidem isthmum, in quo Nomen Dei, **14** Panama et Natha sunt sitae, Oceanus utrimque flexuoso litorum anfractu alluit et lambit, crebrisque ita excauat recessibus ut claustra infringere Peruramque una cum immenso terrarum tractu insulam facere conetur. ora autem ad Perurum amnem milia passuum quingen- 2 ta ab ea distantem aspera, horrida et propter ingentes frequentesque fluuios qui e proximis iugis in austrinum decurrunt mare, paludibus et aestuariis est referta. ac 3 primum naues e Panama soluentibus occurrunt insulae

prope A : propre P || 2 uno P : una A

13 1 portu P : portae A | Magallanicas P : -llinicas A | percurrere P : percarrere A | accuratè P : acurati A | digna P : digne A

14 1 lambit P : Jambit A | una cum P : uno eam A || 2 fluuios A : flauios P | e PA : et *To.*

numero circiter triginta, quarum maxima est Taboga. cultae olim ab Indis et margaritis, unde nomen traxere, quarum ingens e conchis legebatur copia, insignes fuere. in his Hispani qui eas possident, quod fertiles sint,
4 sementes faciunt et armenta et greges pascunt. deinde Carachinium continentis promunturium et Diui Michaelis sinum prateruehuntur. hoc certe Hispanis peculiare et solemne est, terris quas ipsi inueniunt et lustrant nomina diuorum imponere. ultra est portus Pineus a magnis et densis pinetis quae illic sunt cognominatus et Camazagra fluuius et portus Bonae Fortunae aditu perdifficili et paene occulto et ab eo milia passuum duodecim Palma insula a palmis quas habet
5 appellata. mox Perurus amnis et eodem nomine portus et regio parua et sterilis, unde Perurae amplissimae et ditissimae prouinciae nomen factum. inde ora plus milibus passuum quadringentis ad Passaum promunturium crebris obtenditur flexibus et scopulis est confragosa et manglibus arboribus, quae promunturio Manglio no-
6 men dedere, plena. multi et magni in ea amnes, sed longe omnium maximus is est cui nomen Sancti Ioannis Didacus Almagrus indidit. intus barbarae gentes ripas eximie fertiles incolunt et auro potissimum abundant, sed, cum ea regio plurimis sit impedita fluminibus, plurimis aspera montibus et undique fere siluis ac paludibus inuia, uix adiri lustrarique posset. ultra sunt insulae Gorgon et Gallus continenti proximae et in ea Mangli-

3 quarum *ante* maxima P : quorum A | cultae P : culta A | e PA : et *To.* || 4 Carachinium *correxi, cf. Cieza 356b* : Cata- P : Catha- A | pene P : peni A | insula P : insulta A || 6 amnes P : amnis A | eximie P : eximii A | abundant P : -dat A | posset PA : potest *To.*

um promunturium. post nobilis ille sinus Iacobi, in quem Tampulla ingens flumen, quod et Iacobi nomen tulit, magno intrat impetu uadosumque ipsum sinum sed citra nauium periculum efficit.

15 Inde fuit Peruranae initium praefecturae, quam Carolus Caesar postea Francisco Pizarro decreuit. ea ad Chincham usque uallem ab septentrione in austrum protendebatur. 2 ab eo flumine sinus est Matthaei, in quem ut naues ingressae, refluente aestu, in uadis harenisque sine ullo discrimine consistunt; ita, eo affluente, euadunt et tunc aquam dulcem ex ignobili quodam amne, qui eo profluit, commode hauriunt, quippe qui longe inde ex montibus ortus aquas suas per plana loca agit nec eas, accedentibus illo undis, sed praeter aliorum amnium naturam in maris ora, ipsis recedentibus, miscet. 3 tum inter promunturia Francisci et Passaum, quod sub aequinoctiali est linea, quattuor ualidissimi amnes Quiximii nomine dicti primum Perurae et quidem amoenum portum efficiunt, ubi naues aquationem et lignationem facere optime possunt. ea flumina pedestria utrimque per oram itinera concidunt et impediunt, quippe interuallo milium quinque et uiginti passuum nauibus traiciendum est. ingentia illic propter alternos Oceani longe lateque exaestuantis motus ad milia septuaginta sunt aestuaria et palustria loca. intus Quaquius mons surgit.

16 Ea autem regio a Passao ad Tumbezium ignobilis est et solo quam uiris melior. rara per eam et parua ema-

15 3 Quiximii P (*cf. Cieza 357a*) : Quiquimii A | aquationem P : aequationem A | est. ingentia P : et ingentia A | Quaqius P (*cf. Cieza 357b*) : Quagaius A

nant flumina. milio et iis quas diximus ad uictum radicibus et fructibus maxime abundat. multae in siluis aues et ferae, multum mellis e cauis arborum truncis defluit.
2 multo litora piscatu sunt referta. cultores humiles sunt et parui et parua oppida et lignea habitant. xutas aues magnitudine anseris et macas uersicoloribus plumis, rostro longo et notis luteis et rubris distincto paulo gallis minores alunt. ferinis carnibus et piscibus uescuntur.
3 quin etiam ipsi habitu et moribus differunt: alii lino xylino aut lanis uestiuntur, alii propter intolerabiles aestus nudi aut obscena tantum uelati agunt et tam mares quam feminae faciem ab summa aure ad mentum Maurorum in modum notis persignant. auro et smaragdis, quorum magnus est illic numerus, exornantur et auguriis et ueneficiis et praeposterae Veneri illi supra quam
4 dici potest sunt dediti. feminae autem nocte qua nubunt stupro omnium patent et easdem artes quas uiri exercent: milium serunt, pinsunt et ex eo perinde atque ex tritico optimum panem faciunt. is candore et sapore ceteris praestat et praeter milii naturam tam recens quam si tunc fieret in aliquot dies exsistit. in aedium penetralibus humana coria uisu horrenda et cinere ple-
5 na seruant. Solem ex Guainacapae instituto, qui eos domuit, et infernos manes colunt; per eos deierant eosque consulunt et cum his frequenter colloquuntur et quidquid ipsi sacerdotibus, quibus sub hirci nigri imagine apparent, ex adytis respondent pro uerissimis oraculis ferunt. ideo in templis haud absimilia praeter alias effigies quas in honore habent bina sunt simulacra, qui-

16 1 quas A : qua P || 3 exornantur P : -natur A || 5 eosque A : eos P | effigies P : effigres A : affigies *To.*

bus sacerdotes multo animalium sanguine litant et solemnibus diebus pro uictimis hostes bello captos caedunt. mortuos saltando et cantando ad tibiae et tympani sonitum terribilem et plorando et potando in altissimis ad 6
putei modum scrobibus condunt et cum regulis binas aut ternas ex pulcherrimis uxoribus quas ipsi habebant, sicuti supra demonstratum est, includunt et statis diebus eam ex milio potionem quam azuam uocant harundine longa, quales et cauae et multae crassitudinis illic proueniunt, altero eius capite in defuncti os immisso, altero super scrobe prodeunte, infundunt, ut qui animas in amoenissima transire loca et iis uoluptatibus quibus uiui fuere dediti frui arbitrentur.

Interius montium accolae asperi sunt et inculti et a 17
maritimis tantum linguis differunt. smaragdis sunt diuites, quorum uenae ita penitus sunt abditae ut, etiamsi auidissime fuerint ab Hispanis inquisitae, numquam inueniri potuerint. Caraquii capita infantium nascentium manibus subigunt et binis constringunt et uinciunt tabellis, ut eam quam ipsi uolunt formam accipiant; deinde quadrimis iam pueris tabellas resoluunt et sua cuique capita uel longa uel lata ac sine occipite quidem manent, eaque multo firmiora robustioraque putant futura. Guancabilcae etiam pueris filiis, quod id esse gratum diis crederent, ternos utrimque e primoribus dentibus euellebant. ceterum in eas gentes maritimas quae 2

caedunt P : cedunt A || 6 scrobibus P : serobibus A | includunt A : indudunt P | potionem A : p**onem P | crassitudinis P : erassi- A

17 1 *post* differunt *plene distinxi* | auidissime P : -mae A | Guancabilcae *correxi, cf. e.g. Cieza 402b* : Guacanbilae PA

sub aequatore uel ei proximae sunt graues ingruunt morbi et in his uerrucae quaedam pestilentes, atrae et rubicundae nucis iuglandis magnitudine; frontem, supercilia, nasum et genas inuadunt et faciem prorsus deformant ac non aliter cum nascuntur aegros excruciant atque morbus ille qui a Gallis nomen habuit; ingentes enim ipsi, ac si torquerentur, prae dolorem edunt uoces et tantas acerbitates et cruciatus uel quinque menses perferre coguntur, donec illae resoluuntur atque siccantur. 3 indigenae hoc malum e quibusdam stellis, quae simul cum caelo desuper delatae acrius in eam regionem quam in aliam quae sub aequatore sit suas exercent uires, prouenire putant. et certe ipsi uitae spatium dimidio fere quam alii Perurani breuius agunt.

18 In ora ad promunturium Album, quod a Passao milia passuum quadringenta et triginta abest, sinus est Caraquius et in eo Mantha portus et oppidum smaragdo eximiae magnitudinis illustre, quem finitimae gentes usque adeo coluere ut in eo numen quoddam inesse, a quo morbi depellerentur et salus aegrorum daretur, pro certo duxerint. ideoque, ut ex morbis conualescerent et sanarentur, ei aliis smaragdis et aureis argenteisque donis litabant magnumque ea ex re uectigal sacerdos maximus et Manthae regulus capiebant. 2 mox Portus Vetus et intus Guaiachilia coloniae, sed hae ac aliae a Francisco Pizarro et Christophoro Vacca Castro de-

2 proximae A : -me P | uerrucae P : uerrutae A | supercilia A : superc*** P | aegros P : agros A | prae P : pro A || 3 indigenae *corr. To.* : indigin(a)e PA | certe P : urte A

18 1 quadringenta A : quadraginta P | Caraquius *correxi, cf. 3.17.1* : Quaraquius PA | duxerint P : dixerint A

ductae suis referentur locis. ultra est promunturium Laurentii et ab eo milia passuum duodecim insula Argentea, in qua maritimae solebant gentes diis manibus, quorum simulacra e saxis uidentur, pueros pro hostiis ferire. post Callus et Calangus portus et Helenae promunturium est fontibus bitumine liquido modo naphthae scaturrientibus et altissimis perennibusque iugis et dulcis aquae in rupibus puteis et quod a gigantibus fuerit cultum insigne. eo enim partim animalium pellibus 3 tectos, partim nudos ac sine ullis quidem feminis singulis ratibus iunceis (neque enim plures singulis unaquaeque ratis –tanta erat corporum uastitas, quippe duodeuicenum cubitorum– capere poterat) mari uenisse tradunt. sed unde, an ex Mexicana prouincia, an ex Chimia Perurae ualle, utrubique namque in monumentis ingentia gigantum ossa sunt reperta, an alibi illuc appulerint incertum est. qui, cum puteos illos tam ua- 4 stis dignos uiribus in rupibus effodissent, domiciliaque instar sui, quorum adhuc exstant uestigia, construxissent, infesti incolis fuere: ex agris cibaria quaerere, omnia rapere, uirgines per uim stuprare, quae ab istis compressae, cum tantam sustinere molem non possent, in ipsa re exspirabant. ceterum ea edacitate et uentris ingluuie erant ut quilibet eorum plus uno prandio quam quinquaginta Indi deuoraret. qui cum inferioribus essent uiribus nec tam detestabilem pestem auertere possent, in montes se recepere. at gigantes, cultoribus ex

3 (neque enim ... poterat) *sic distinxi* | Chimia *correxi coll. 4.7.2, 6.80.2, 6.81.1. cf. et Gómara 277a et Cieza 419b* : Chima PA || 4 stuprare P : strupare A *ut semper* | compresse P : comprasse A | exspirabant *scripsi* : spirabant PA | Gigantes P : liigantes A *ut uid.*

agris alimenta iam non suppeditantibus, ea arcubus et retibus expedire ferisque et maximis piscibus ali et, si quos ex Indis interciperent, crudelissime dilacerare alioque nefario scelere scelus cumulare propatuloque et promiscue infanda praeposteraque Venere concumbere.
5 quod cum caeleste numen ferre non posset, poenas sceleribus pares rependit, siquidem ferunt fulgentissimum iuuenem de caelo nimbo igneo magno cum fragore in eos gladio, cum in nefando essent opere, irruisse et omnes uno ictu obtruncasse flammisque rupes penetrantibus cremauisse nihilque ex istis preater crania, tibias et alia quaedam ossa in diuini supplicii monumentum reli-
6 qui factum eaque humo in ualle obruta fuisse. et de gigantibus quidem opinio fidem inter Indos capit. deinde Ioannes Vlmus Portus Veteris praetor haud dubitandum fecit quin Indis crederetur. is enim ea ossa ex ualle effodi eruique iussit et ex craniis dentes euelli, qui ternos digitos lati et quaternos longi et in diuersas Perurae partes missi miraculo omnibus fuere.

19 Ceterum promunturia Helenae et Album uaste in altum proiecta non paruum efficiunt sinum. in eo sunt Puna nobilis et fertilis insula et Clara deserta et inculta et in litore Thomebamba et Tumbezius amnes et ad huius ripam arx regia et templum Solis. in hoc magnus fuit sacerdotum et uirginum sacrarum et aurificum numerus. in illa praegrande auri et argenti pondus repositum et tanta armorum et uestimentorum et commeatu-

5 obtruncasse P : abtruncasse A | alia quaedam P : aliaquadam A

19 1 Clara] *cf. Cieza 358a* | Thomebamba *correxi, cf. e.g. 2.43.2, 3.1.4, 3.2.2.* : Thumepumpa P : Thumopumpa A

um copia ut ea ornandis alendisque militum triginta milibus sufficeret. intus Motupia regio et ab Albo milia passuum DLX ad Limam ora est harenis obducta sterilibus. in ea promunturium Parina et insula quae a uitulis marinis, quorum Oceanus ille est refertissimus, nomen accepit. hoc animal terrestri uitulo est admodum simile. 2 caput pro corporis magnitudine breue et paruum habet et pro auribus meatus quosdam perangustos et exiguos et collum longum; oculis est rotundis, lingua bifida et lata et dentibus serratis, duris et acutis, latissimoque est pectore et breuissimis ueluti bracchiis sine cubito, sine ulna; cum pedibus siue manibus potius ursae modo sed plane indiuisis optime natat. quini tantum ungues in utraque manu sunt distincti; posteriores pedes sine digitis, sine unguibus piscium caudis sunt similes. corio hirto et ita duro uituli sunt ut uix, nisi illisis fuste temporibus, interfici possint. soli ex marinis beluis fulmine non 3 tanguntur. graui propter pinguitudinem opprimuntur somno et extra aquam noctu in harena uel, ut respirent, supra saxa et aliquando ad solem interdiu dormiunt et ita alte stertunt ut mugitus, unde eis uituli nomen factum, edant. in eos tunc uultures irruunt et tres aut quattuor alites singulos uitulos (sunt enim illic ingentes immanesque) adoriuntur: unus in caudam ungues acriter imprimit, alius rostro tempora pungit, alius oculos effodit et usque eo ferociter instant quoad eos occidant et uorent.

2 latissimoque *scr. F. Socas me teste* : latissimo, quo PA | caudis A : cauais P *ut uid.* || 3 fulmine A (*cf. Plin. Nat. 2.146*) : flumine P | uel, ut *scripsi* : uelut PA | stertunt A : stextunt P | uituli P : uitulis A | (sunt enim ... immanesque) *sic distinxi* | alius *ante* oculos P : alias A

20 In ea ora est Paita nobilis portus et promunturium Acus. hinc incuruis plaga litoribus obtenditur et se maxime inflectit et praeter duas Vitulorum insulas habet Guanapem et Sanctam portus et eodem nomine amnem et Ferrolium et Casmam portus. ultra est Guarmeia, Guamanus fluuius et Guaura multo abundans sale. tum non longe a continenti insula Lima et Callaus portus
2 totius Perurae celeberrimus. ab eo ad Quilcham portum milia passuum quingenta et sexaginta ora aspera et sterilis est et magnis harenarum cumulis impedita. pauci per eam influunt amnes. ea uix quicquam illustre praeter Pachacamae templum opibus et oraculis inter Indos clarissimum est sortita. deinde inter Sangallam portum et Nascam promunturium nouem uel decem in mari sunt insulae sine aquis, sine arboribus et herbis ullis a uitulis marinis et dictae et cultae. ultra ab Nasca est Nicolai promunturium, Hacaris portus, Ocona, Cama-
3 na et Quilcha amnes et eodem nomine portus. inde litus ad Tarapacam amplius milibus passuum trecentis scopulis et harenarum aceruis refertum est, nihilque preater insulas quasdam paruas et continenti proximas et Chulim portus, Tampopallam flumen et Hilum portum et amnem memorabile habet. ultra duo sunt promunturia: alterum arduis praeruptisque tribus horridum scopulis et uaste in mare proiectum; alterum Rostrum Daemonum a nautis appellatum. post ignobilis quidam et incultus amnis et insula parua ad Aricam

20 1 Guarmeia P (*cf. Cieza 358b*) : Guameria A | Guaura *corr. To., cf. Cieza 358b* : Guara P : Gaura A || 2 Nasca A : Nasea P || 3 Tarapacam *correxi, cf. 3.20.4, Cieza 359b et Calu. Gasca 300a* : Taracapam P : Taracapa A | mare P : more A

portum. tum Pizagua fluuius et insula quaedam prope 4
Tarapacam est portum, a quo ad Paradisi Vallem Chiliae ciuitatis et prouinciae portum milia passuum octingenta et octoginta ora recta in austrum excurrit. in ea post Tacamam promunturium est Moxillonum portus.

Tum Copaiapus portus et amnis, unde Chilia subigi **21**
colique incepit. ex aduerso est insula quaedam parua et inde inter Guascum flumen et Coquimbum portum insulae septem incultae. ultra sinus Atongaius, amnis Limara et post Choapius est sinus; tum Quinterus portus, deinde Paradisi Vallis, a qua Chilia, quae et Diui Iacobi et Valdiuia ciuitas postea fuit cognominata, passuum milia quinquaginta intus abest. ab eo portu ad promun- 2
turium Mariae milia passuum sescenta et uiginti Potocalma est portus et Maulius et Hitata et Biobius amnes et a continenti milia passuum uiginti Luchengus ingens et culta insula. post sinus est Valdiuianus, in quem Hainilendus intrat amnis. ultra Palama portus. reliqua a 3
promunturio Mariae tredecies centena passuum milia ad Desideratum, quod in ore freti Magallanici in eo est mari quod et austrinum et Pacificum uocatur, non satis

4 Pizagua A : Pizagua *uel* Piragua P | fluuius P : fluuiis A | octingenta P : octoginta A | est Moxillonum *correxi, cf. Cieza 359b* : est Maxillonum A : et Maxillonum P

21 1 Copaiapus *correxi, Cieza 359b* : Capa- PA | Chilia P : -ae A | Guascum *correxi, cf. Cieza 359b* : Guauas cum PA | sinus Atongaius *correxi, cf. Cieza 359b* : sinus Atangonius P : si-| Atangonius A | et *ante* Diui P : à A | intus *scripsi coll. 3.19.1; 18.2; 15.3; 14.6* : antus PA : amplius *scr. To.* || 2 Mariae A : Mauae P | Potocalma A (*cf. Cieza 360a*) : Potoclama *uel* Potodama P | Biobius P : Briobius A | Valdiuianus *correxi, cf. Cieza 360a* : Valdimanus PA || 3 Mariae A : Marite P

adhuc sunt comperta, sed in eo litore, quod rectum ad fauces usque excurrit, promunturium est Formosum et Mancius flumen et Oraphes et Coraiarius portus et fi- 4 nis orae atque situs Desideratum promunturium. continens autem illa a uastissima inter utrumque Oceanum latitudine longissima colligens latera se ipsa ab septentrione in austrum quasi in metae modum in acutum cacumen fastigat et australi opposita terrae canalem faucesque quas inuenit Magallanes efficit milibus passuum octo latas et ab ortu ad occasum milibus quadringentis longas, ita utrimque reciprocante Oceano ut litora et terras longe lateque inundet.

22 Eas Hispani immenso labore, incredibili uirtute et eximia laude inuenerunt, lustrarunt atque subegerunt et uniuersam eam plagam quam sol exurit a Cancri circulo ad lineam usque Capricornii citra ultraque aequatorem atque sub ipso etiam habitari colique palam fecerunt. qui re ipsa cognouerunt alias esse in eo orbe atque in nostro temporum uices eaque temperie ut neque hieme illius incolae algeant neque aestate nimis 2 exaestuent. hoc ex eo nasci pro certo habent, quod proxime aequatorem dies et noctes fere sint aequales, ideoque ardorem illum diurnum frigore nocturno temperari et inde sequi ut cum in aliis Indiarum regionibus tum maxime in Perura tantae sint auri et argenti uenae, tanta gemmarum et unionum uis, tanta ceterarum rerum copia, praesertim cum ex sole et luna et sideribus fulgore

quod et A : quod est P || 4 latas P : laetas *uel* lactas A | ad A : in P | quadrigentis A : quadragintis P

22 1 lineam *corr. To.* : lincam PA || 2 uenae A : uena P | fulgore P : fulgure A

et magnitudine, quae illic oriuntur, praestantibus occultas quas ipsa effundunt uires concipiant. in his duo 3 sunt Canopi aeque lucidi et clari quam Iouis et Veneris stellae. non hic septentriones se ad austrum ut ad alterum uerticem circumagunt, non alia quae numquam occidant sidera eximie nitentia eum ambeunt, sed duae tantum nubeculae uel perobscurae stellae stabili tardoque motu circumeunt. hae immobilis eius uerticis se- 4 dem designant uicemque Vrsae subeunt nautisque speciem eius praebent, qui ultra aequatorem, cum septentriones non apparent, magnetis usu, qui nusquam fallit, commodissime quo uolunt nauem dirigunt, siue id sit ex occulta quadam ui et natura caelestis uerticis et magnetis, qui ferrum allicit et trahit, siue ex ipso magnete. utcumque sit, numquam acus illa ferrea magneti 5 affricta sistit, donec recte uerticem intuetur et, cum uarios pro diuersis caeli, terrae marisque partibus usus praebeat, nautae caput, bracchia et pedes ei tribuunt; nam capite septentrionem, pedibus austrinum uerticem, bracchiis reliquas caeli partes suspicit. cuius utilissimum et mirificum usum Flauius Malphensis, ut Blondus tradit, primus inuenit. cui certe Hispani, qui omnia per- 6 currunt maria, plurimum debent; nam aliter qui sine magnete incognitum Oceanum ultra lineam aequinoctialem et prope austrinum uerticem sulcare potuissent et Cortesius Mexicana regna adire et subigere et Francis-

effundunt P : effondunt A || 3 austrum *correxi* : Austrium PA || 4 uicemque P : uiceque A | eius A : ei** P | Septentriones A : septentrione* P | occulta A : ocul** P | *post* magnete *distinxit To.* || 5 magneti *correxi* : magnetis PA | recte P : ueti A | uarios P : uarior A | nautae A : autae P *ut uid.* | Malphensis *correxi coll. Gómara 161b* : Mol- PA

cus Pizarrus refluentibus aestibus et aduerso austro Peruram explorare et Hispaniarum imperio adiungere?

23 Quippe qui, compositis iam cum Didaco Almagro rebus (erat is annus Christi millesimus quingentesimus tricesimus primus), e Panamensium portu cum duabus nauibus instructis soluit et in Perurum, cum longius aestu uentoque furente procedere non posset, milites et 2 equos exposuit. inde, nautis oram legere iussis, agmen difficili et aspero propter montes et paludes et aestuaria itinere eo animo et labore duxit ut ingentia saepe flumina natando transierit et fessos aegrotosque milites umeris subinde acceperit. tandem nauibus quas ibi inuenit aestuario Quiximiorum traiecto, ad Coaquium, unde sinui inditum nomen, oppidum auro et smaragdis et alimentis opulentum uenit. hic militibus, ut uires reficerent, 3 quies data. inde Pizarrus, ut opinionem de expeditione illa tamquam parum utili falso Panamae conceptam prorsus ex animis euelleret, magnam auri uim ad Almagrum, ut supplementum militum et equorum mitteret, deuehendam curauit. multi in ea regione smaragdi sunt reperti et plerique a militibus parum expertis, ac si adamantes essent, malleis contusi et fracti, ut qui periculum uerine an adulterini illi essent ita facerent. cete4 rum, cum iam pestilentibus uerrucis laborare milites inciperent nec tantam morbi acerbitatem ferre possent, Pizarrus in eum locum cui nomen Portus Veteris dedit

23 1 compositis P : -siti A | (erat is ... primus) *sic distinxit To.* | quingentesimus A : -tisimus P | Perurum *correxi, cf. Gómara 226a et e.g. 3.14.5* : Peruram PA || 2 aspero P : aspera A | ingentia P : -tiae A || 3 uerine an *corr. To.* : uerineam A : ue***e an P

pedestre fecit iter eamque oram armis in potestatem redegit. in eo portu milites corpora curare et Indos rates 5 ad traiciendos equos facere mandat. in Punam enim fertilem et diuitem insulam transire statuerat, quam haud procul illinc abesse ab interpretibus Philippo et Francisco intellexerat. hi Indi erant, quos ad Chiram amnem, cum primum eam Tumbezii explorasset oram, ceperat, in Pocheis orti. haec cum Pizarrus agitaret animo, Seba- 6 stianus Benalcazar et Ioannes Ferdinandus una illuc naui ex Nicaragua cum militum et commeatuum supplemento appulerunt magnaque eum laetitia affecerunt.

Puna insula in circuitu amplius milia passuum qua- **24** draginta habet. feracis est soli et amoeni, multae in ea sunt siluae feris et auibus refertae. cultores fusci et bellicosi, utpote qui Atabalipam acriter reppulerint et Tumbezianis aliisque finitimis populis, quibus habitu moribus et sacrorum ritibus non dissimiles sunt, plurima intulerint detrimenta. rates quibus nauigant ex longis 2 leuibusque stipitibus ita compingunt: stipitem protensum uelut temonem axi currus duobus aliis transuersis conectunt; huic ab utroque latere binos aut ternos aut plurimum quaternos (impares enim oportet esse stipites) rectos applicant, qui eo breuiores sunt, quamuis suis quique locis aequales, quo magis utrimque a temone distant; eos ita transuersis colligant ut facile, cum uelint, dissolui possint et propter umorem asserculis contegunt. is qui clauum tenet et remiges in temone 3 considunt. uelis namque et remis hae rates, quae pror-

24 1 ritibus P : rectibus A || 2 leuibusque P : lercibusque A | (impares ... stipites) *sic distinxit To.* | utrinque P : utrique A || 3 considunt P[2] : confidunt PA

rectae speciem habent manus, aguntur, quinquagenosque nonnullae homines et equos ternos capiunt. quae si dissoluantur aut tempestatibus aut nautarum dolo et perfidia, onera submerguntur, uectores uero stipitibus insidentes aut natantes (sunt enim Indi natatores et urinatores strenui) euadunt.

25 Pizarrus partem militum in tres naues, partem in rates quas fieri iusserat una cum equis imposuit, quibus imperauit ut destrictis gladiis oculos, ne quid detrimenti acciperent, in Indos intenderent. his rebus constitutis, e Portu Vetere, qui ab aequatore parte distat una, in 2 Punam traiecit. primum sine tumultu est exceptus, deinde cum insidias ab Indis strui intellegeret, regulum comprehendit et milites quidquid habuere obuium diri- 3 piunt. postero die insulani armati in castra irruunt. alii fundis lapides, alii iacula spiculis aureis uel argenteis munita in nostros coniciunt, alii ratibus naues inuadunt. Pizarrus equites quosdam subsidio propere nauibus ire iubet et ipse cum militibus tormentariis ab uno latere et Ferdinandus frater ab altero cum equitibus in hostes erumpunt. multi glandibus transfixi, multi ab equis obtriti cadunt, sed nihilominus Hispanorum impetum fortissime sustinent. integri casis succedere, eminus tela iacere et comminus bipennibus et longis ex palma gladiis, quos uocant macanas, cum nostris ita de- 4 certare ut anceps aliquandiu fuerit pugna. tandem, compluribus occisis et uulneratis, cum amplius militum uim et ardorem ferre non possent, pars in siluas profuge-

(sunt enim ... strenui) *sic distinxit To.*

25 1 ne quid P : nequiet A | distat una, *sic distinxit To.* : distat, una PA || 3 ire P : iret A | glandibus A : gladibus P

runt, pars in rates se receperunt. ex Hispanis quattuor tantum sunt desiderati et Ferdinandus Pizarrus graue in altero genu uulnus accepit. insequenti die insulani ad 5 castra ueniunt et uasa ex auro et argento et uestimenta et cibaria adducunt. ea Pizarrus in singulos milites distribuit et regulum, quod ab eo intellexisset Atabalipam Guainacapae filium bello funesto cum Guascare fratre de imperio contendere, dimisit, ipsumque etiam, cum in Punam ratibus inuasisset, strenue ab insulanis repulsum in Caxamalcam exercitum duxisse eoque nauali proelio multos ex militibus amisisse sescentosque adhuc in ea insula in uinculis esse. hoc Pizarri animum erexit et, ne 6 oblatam bene gerendae rei occasionem amitteret, in Tumbezium transeundum existimauit et, ut gratiam apud Atabalipam iniret captiuosque eo beneficio sibi deuinciret, eos e uinculis solui Tumbeziumque transuehi facile a regulo obtinuit.

Qui eo transmissi tantum abest ut gratiam ipsi rettu- **26** lerint ut populum in Hispanos concitarent: eos hoc unum potissimum agere, ut aurum, argentum, gemmas, uestimenta et quidquid pretiosarum esset rerum raperent, feminas comprimerent, templa deorum profanarent atque spoliarent; haec omnia in Puna patrauisse; cauerent ab his aut quoquomodo possent eos opprimerent, qui blandissimis sermonibus gentes delenire et inanibus et uitreis quibusdam munusculis irretire atque ita se ingerere ac demum omnia occupare consuesce-

4 *post* receperunt *sic distinxit To.* || 6 transuehi *scr. F. Socas me teste* : transuerti P : transuebit A

26 1 et quicquid P : ec quidquid A | quoquomodo A : quomodo P | inanibus A : in nauibus P

rent; ipsos esse quos magnus Pachacama in Peruram uenturos et Hingarum imperium inuasuros praedixisset; paruam esse militum manum sed plane inuictam, ideoque satius esse ut Atabalipam quam celerrime fieri posset
2 certiorem facerent. erant plerique ex captiuis Tumbeziani, a quibus reliqui nullo negotio inducti praefectum arcis adeunt. quae de peregrina et barbata captiui referant gente exponunt. is arma capere, portum praesidiis
3 custodiisque et uigiliis munire et defendere iubet. est in eo Tumbezii ostio et portu, qui a Puna milia passuum duodequinquaginta abest, tantus reciprocantis Oceani impetus et uis ut nauium cumbas frequenter inuertat et demergat uixque nisi ratibus et oriente quidem sole adiri intrarique possit.

27 Eo cum iam Pizarrus, quod milites propter caeli intemperiem et locorum mutationes in morbos inciderent et plerique ex insulanis mari se in ratibus tenerent et imperata facere abnuerent, traiecturus esset, commodum in eam insulam Ferdinandus Sotus cum una ex Nicaragua naue applicuit peditesque et equites et commeatus attulit plurimumque omnium animos refecit et
2 auxit. itaque Pizarrus non amplius cunctandum ratus tres Hispanos una rate cum mandatis ad Tumbezianae praefectum arcis mittit, ut per eum sine tumultu descensiones in terram facere liceret uiceque rerum commercia exercere: se cum eo magnis de rebus agere uelle

2 adeunt P : aderint A | is A : in P || 3 est A : et P
27 1 quod milites propter caeli intemperiem *om.* A | abnuerent P : abrruerent A | *post* esset *leuiter distinxi, mss. post* commodum *grauiter* | commodum P : ammodum A | refecit P : refexit A || 2 tres P : tus A

amicitiamque et foedus coniungere; iam se prius ad eam rem beneficio suo uiam fecisse, ut qui Tumbezianos in Puna uinctos dissoluisset. praefectus benigne Hispanos accipit et sacerdotibus tradit, qui more suo flentes pro uictimis eos Soli immolarunt. 3 Pizarrus autem propter ratium inopiam (nam eas Indi abstulerant) partem ibi militum et calonum sub duce Benalcazare reliquit et cum reliqua naues conscendit Tumbeziumque ad occasum solis est transuectus. at Indi non terra modo adeuntes portus aditu arcebant, sed stationem quoque nauium infestam accedente praesertim et recedente aestu Hispano faciebant. itaque nec naues portum tenere nec milites nauium cumbas litori applicare poterant. 4 Pizarrus cum ratem tantum unam esset nactus, in eam impositis quinque equitibus e naui praetoria desiluit parumque afuit, cum nec eam regere nec flectere scirent, quin omnes demergerentur, quippe rate ad oram inuersa cum suo quisque equo uix emersit. 5 qui etsi undis paene obruti totam eam noctem inquietam et insomnem equis insidentes duxerunt, tamen in agrum, cum illuxisset, expediti in equis, ut aliquem caperent ex Tumbezianis, excurrerunt. sed cum nemo se illis obuium dedisset, propterea quod omnes citra amnem armati per iuga discurrebant aliique alios ad arma excitabant, ad litus reuerterunt. interea milites sine ullo hostium impedimento in terram descenderant nauesque statim in Punam remiserant, quibus reliqui milites et calones

benigne Hispanos A : Hispanos benigne P || 3 (nam ... abstulerant) *sic distinxi* | calonum A : c*lonum P | transuectus P : -uertus A | aditu P : aditus A | Hispano] *cf. Liu. 31.17.2* || 5 calones A : c*lones P

6 cum duce Benalcazare sunt transportati. Pizarrus ad ulteriorem Tumbezii ripam castra posuit. ea Indi haud procul arce in citeriore locauerant nostrisque, traiecto ratibus amne, incommoda ferebant; nam et multos ex calonibus Indis cum lignatum pabulatumque irent neca-
7 bant et commeatus intercipiebant. Pizarrus rates confici et quam celerrime expediri curat. interim, ut praefectum magnis pollicitationibus ad se perduceret in amicitiamque alliceret et traheret, Indos quosdam ad eum misit, quos ille non modo non audire sed ne admittere quidem ad se dignum duxit, utpote qui Hispanos, quod tam exiguo prae copiis suis essent numero, irrideret atque contemneret.

28 Confectis ratibus, Pizarrus secunda uigilia quinquaginta equites amnem traduxit et uiam per angustias eamque uirgultis stipibus et uepribus impeditam facturus prima luce in hostium castra peruenit. in ea ex improuiso equites irrumpunt Indosque somno oppressos et incautos inuadunt ingentemque fugam et stragem faciunt et plurima Tumbezianorum caede tribus Hispanis quos ipsi pro hostiis percusserant strenue parentant. multi hastis transfixi, multi ab equis protriti fuere. reli-
2 qui, abiectis armis, in montes diffugere. regulus Tumbeziae uallis et praefectus in arcem se recepere. iam de pace agere, magno natu Indos oratores ad Pizarrum uenire et praegrande auri et argenti pondus et uestium

6 calonibus P : canibus A | Indis *om.* A

28 1 uepribus A : *e***bus P | *post* irrumpunt *plene distinxerunt* PA | hastis A : hastiis *uel* hastris P | protriti P : po- A | abiectis A : obiectis P | *post* diffugere *sic interpunxit* P : difugere: A || 2 Tumbeziae P : Tribeziae A | magno *correxi coll. Liu. 21.34.2* : magnos PA | praegrande P : -de *uel* -di A

numerum in castra deferre et eos amicitiam malle quam uim deinde Hispanorum experiri oboedienterque imperata facturos sancte promittere. Pizarrus benigne Indis 3 respondit, regulum et praefectum in amicitiam accipit foedusque cum eis sancit et quae ipsi dederunt et quae in castris sunt inuenta militibus diuisit. ea pugna Pizarrus non Tumbeziam solum uallem sed Solanam etiam et Pocheam et Piuram ad Paitam usque portum in manu potestateque habuit. sunt hae ualles fecundae et amoenae et magna ex parte a fluminibus quae per eas ex montibus in mare decurrunt nomen accipiunt.

Pizarrus, relictis Tumbezii impedimentis et aegris mi- **29** litibus cum Antonio Nauario quaestore et Alfonso Richelmo aerarii praefecto, cum expeditis et acerrimo quoque uiro regia uia quae per eas ualles inter arbores procedit umbrosas in Piuram, quae a Tumbezia iter abest quadridui, uenit. hic initia et fundamenta propagan- 2 dae per uniuersam Peruram sacrosanctae religionis sunt iacta. hic prima urbs in Tangarara eius uallis deuersorio a Francisco Pizarro anno MDXXXI condita. hic primum exstructum templum et arae Deo optimo maximo eo die positae et sacratae qui Diuo Michaeli caelestium ordinum principi, unde nomen urbi factum, sacer erat, sub cuius uexillo diuino Perura mitti ipsoque immanissimus humani generis hostis ex ea, in qua tot annos regnauerat, pelli eiusque delubra dirui, simulacra deici et sacra caerimoniaeque euerti coeperunt. interim legati 3

3 Solanam A : Salaxam P *ut uid.*

29 1 aegris P : agris A | Nauario *correxi hic et tacitus in 3.29.4, cf. 5.59.4, 5.68.3* : Nauarro PA *fort. recte* | a P : ad A || 2 urbs P : urs A

Guascaris, quos, antequam exercitum Cuscho educeret, cum mandatis ipse ad Pizarrum miserat, in Piuram uenerunt, magnisque pollicitationibus ab eo contenderunt ut in Atabalipam, qui Guascarem fratrem et uerum Guainacapae patris heredem et imperii Hingam regno fortunisque omnibus expellere niteretur, bellum intenderet. Pizarrus se cognita causa de ea re deliberaturum

4 et quod ex aequo foret facturum respondit. legatis dimissis, agrum nouae urbis (iam enim Nauarius et Richelmus cum militibus et impedimentis ex Tumbezio quattuor nauibus in Paitam appulerant) colonis quos delegerat ex ueteranis assignauit. deinde cum in Caxamalca Atabalipam castra habere audiuisset, in eam cum centum peditibus et sexaginta equitibus est profectus.

30 Agmen per deserta et inuia harenisque obducta loca interuallo centum ferme milium passuum ad Motupiam usque opulentam uallem duxit. noctu iter fecit, uix enim propter solis ardorem aliter procedi per eam regionem potest; non fluuii, non arbores, non herbae in illa sunt solitudine, sed putei solum cum deuersoriis, unde aquae e proximo mari salsuginem trahentes hauriuntur, et singuli quidem putei unius diei aut noctis itinere in-

2 ter se distant. postquam in Motupiam peruentum est, quadriduum in ea ualle statiua habita, fessisque labore militibus et calonibus, qui tormenta campestria sarcinasque iumentorum instar umeris portabant, quies data

3 niteretur P : miteretur A | aequo *correxi* : aequa P : aequae A | foret A : fore P | respondit P : -det A || 4 *post* assignauit *non distinguit* A | Caxamalca *corr. To.* : Caca- A : Ca*a- P

30 2 quatriduum P : quatridium A | sarcinasque P : soncinasque A

equique in pabulum sunt missi. Pizarrus, Motupianis in 3 amicitiam receptis, castra mouit et, cum bidui iam uiam processisset et Perurae montanae ingressus fines fuisset, unus atque alter Atabalipae nuntius ei obuiam cum mandatis uenit: ne ultra, ni uellet de se ac sociis suis continuo actum esse, progrederetur; aurum et argentum et cetera quae milites rapuissent Indis restitueret et e uestigio cum suis in naues rediret atque ex imperii Perurani finibus abiret. Pizarrus se maximi Christianorum 4 imperatoris legatum esse nec retro sine summo dedecore, donec quae in mandatis haberet ipse Atabalipae exponeret, regredi posse. illi auctoritate uultus et animi 5 constantia deterriti duplices ex auro armillas et totidem calceos, quos oxotas uocant, inauratos depromunt et 'his,' unus inquit ex nuntiis, 'dux, ornamentis insignitum, ut te cognoscat, in Atabalipae conspectum uenire decet.' Pizarrus non nescius ideo ea dona sibi dari, ut ipse ab Hinga cognitus interficeretur militesque caperentur, tamen ea accepit atque eo ornatu se ad regem iturum respondit. inde instructo agmine ire perrexit et, 6 simul atque in Caxamalcam peruenit, deuersoria, quamuis ei Atabalipa per praefectum arcis edixisset ne iniussu suo castra poneret, intrepide occupauit.

Ea uallis totius Perurae montanae longe fecundissima **31** est et insigne Solis templum et arcem et amplissimas aedes habet, in quibus praeter innumeras Hingarum

3 bidui ... uiam *correxi, cf. e.g. Caes. Gal. 1.38.1* : biduum ... uiae P : biduum ... uia A | obuiam P : obulam A | e *post* et *om.* P || 4 se A : et P | exponeret A : exponere P || 5 oxotas A : axotas P || 6 iniussu P : in iusso A

31 1 insigne P : -nis A

opes et ornamenta et arma regiae erant balneae. in his principes se perfundere et defricare, dum in eam deuer-
2 terent prouinciam, solebant. hic Atabalipa, cum laetissimum a Quinquizio legato de Guascare ab se capto et copiis eius dissipatis nuntium accepisset, cum uxoribus et regulis se oblectabat, magnamque ex militum saltationibus, qui in castris quae circa regiam erant locata uictoriam Quinquizii se cibo potuque obruentes celebrabant,
3 uoluptatem percipiebat. iam Chalicuchimam legatum, ut exercitum contraheret Cuschumque occuparet, in Xauxam miserat. hoc enim potissimum animo agitabat, ut patrio more diadema apexque regius, interfecto Guascare, capiti imponeretur. nam Hispanos, qui deuersoria tenebant, sacerdotibus Solis ut a peregrina illa gente sibi praecaueret plurimum clamantibus, parui ducebat. ea
4 deuersoria a castris milia passuum quattuor aberant. eo Ferdinandus Sotus cum aliquot equitibus et Philippo interprete a Pizarro mittitur, qui, ut in conspectu Atabalipae fuit, equum calcaribus ad praetorium usque, ubi ille in solio sedebat aureo, concitauit. id Atabalipa aegre tulit Indosque qui se de curriculo deflexerant neca-
5 ri protinus imperauit. Sotus ex equo descendit et cum interprete ad Atabalipam introductus inquit: 'magni Caesaris legatus nos ad te, rex, uenire iussit, ut aduentum eius in Caxamalcam scires et ipsum magnas et arduas res a Caesare in mandatis ad te habere, ideoque orare ut diem locumque colloquio constitueres.' Ata-
6 balipa prius acriter Sotum oculis intuetur, deinde Mai-

regiae P : regia A | balneae P : balmeae A : balnea *corr. To.* || 3 Chalicuchimam *correxi, cf. app. crit. ad. 3.1.1.* : Calicuchimam P : Calichuchimam A || 4 aegre tulit A : egretulit P

cabilcae Pocheorum regulo, qui proxime aderat, quod uellet Soto responsum reddi innuit. is interpreti refert, 7 interpres Soto exponit. post paulo Ferdinandus Pizarrus, qui Sotum cum paruo equitatu consequebatur, in praetorium admissus Atabalipam comiter salutat et sic orsus est: 'Franciscus Pizarrus, Hinga potentissime, frater meus, Caroli Caesaris Christianorum maximi imperatoris et Hispaniarum regis legatus, in Caxamalcae deuersoria cum paucis comitibus Hispanis se recepit. nec id fecit ut te iniuria afficeret (quis enim tantum principem offendere auderet?), sed ut de grauissimis maximisque rebus quas magnus Caesar ei commisisset tecum ageret, quae et ad imperii tui amplitudinem et ad maiestatem eius conseruandam defendendamque spectant. ea sane legatus statim ut ipsum ad colloquium euocaueris est explicaturus.' Atabalipa comitate et faci- 8 litate uiri delectatus (tantum animi moderatio potest!) Ferdinandum benigne excepit eique per interpretem respondit: se libenter studioseque magni Caesaris et eius legati amicum et socium fore, dummodo res quas Indi repeterent eis restituendas Hispani curarent, et postero die, quo ea commodius tractarentur et qui mortales essent et unde et quid e remotissimis alterius orbis terris profecti quaererent certius perciperet, in Caxamalcae deuersoria iturum.

6 Maicabilcae *correxi coll. 1.39.1. fort. aliter corrigendum, cf. adn. ad 2.10.2* : Maicabelicae PA | proxime P : -mae A | Soto responsum P : sorores ponsum A || 7 potentissime P : -mae A | (quis enim ... auderet?) *parenth. agnouit To.* | quae *corr. To.* : qua PA || 8 (tantum ... potest!) *sic distinxit To.* | quid e P : qui de A

32 Pizarrus et Sotus, circunspectis et exploratis castris, in deuersoria redeunt. Atabalipae responsum legato renuntiant: innumeras prope Indorum esse copias, castra armis commeatibus auro et argento et multa supellectile 2 referta. Pizarrus ex Atabalipae responso intellegit eum iniquissimo infensissimoque animo uenturum. milites, quos tanta hostium multitudine perterritos uidebat, ut 3 firmis fortibusque essent animis hortatur: eos Indos numero quidem superiores, sed uirtute longe his inferiores esse quos in Puna et Tumbezio, funesta clade illata, nulla accepta, fudissent; ea nocte omnia non ad pugnam sed ad imbellis nudaeque gentis fugam haberent parata; insequentem esse diem quo, si Caesaris, si Hispaniae, si pristinae memores forent uirtutis, ditissimi fortunatissimique Hispanorum fierent; nec dubitare se quin in Atabalipae praetorio esset cenaturus et omnes tam magnis 4 hostium fortunis potituri. milites animis confirmati excubias agere, arma parare, tormenta puluere glandeque munire, equos curare et alius alium ad proelium et praedam incitare ingentique pugnandi ardore diem ex- 5 spectare. erat latissimus a fronte deuersoriorum campus undique muro clausus. is unum aditum contra praecipuam eorum ianuam habebat et in eo muro qui utrimque a lateribus deuersoria, quae in longum erant sita, contingebat, singulas turres eis contiguas; altera pro 6 specula erat, altera simulacris quibusdam destinata. in his Pizarrus, cum iam illuxisset et milites cibum sumpsissent, uicenos pedites tormentarios posuit et Ferdi-

32 1 prope A : propre P || 3 imbellis P : imbeles A || 4 animis P : animi A | praedam P : praediam A | incitare P : incitares A || 5 diuersoriorum A : -sorium P

nandum fratrem et Benalcazarem et Sotum in singulis deuersoriis cum uicenis equitibus esse iussit. ipse in uestibulo quod aditui oppositum eius campi erat tormenta campestria collocauit ibique, ut Atabalipam intrantem prospiceret, cum reliquis peditibus et calonibus in occulto mansit ac ne quis se proderet aut strepitum faceret aut erumperet, donec signum tormento daret et uexillum inferri in hostes uiderent, edixit.

33 Atabalipa quoque acies instruxit et in Hispanos induxit, Ruminaguioque duci imperauit ut cum quinque Indorum milibus eam partem quae a tergo deuersoriorum erat et qua in Caxamalcam Hispani uenerant protinus occuparet eosque profugientes, ni se abiectis dederint armis, necaret; omnes enim se in uinculis, ut eos, solemni facto sacrificio Soli, pro uictimis percuteret, habiturum sperabat, idque ita fore in animum propterea induxerat, quod Maicabilca regulus ei rettulisset aduenas non celeres sed tardos, non fortes sed ignauos, non plures sed paucos atque adeo infirmis esse uiribus ut iter non pedibus sed ingentibus urcis, quos ipsi equos uocarent, facere possent. ceterum Atabalipa chlamyde ornatus aurea, fronte apice purpureo et gemmis distincto euincta, lectica aperta ex auro ita lento deferebatur incessu ut horarum interuallo quattuor uix totidem passuum milia conficeret. trecenti lecticarii ueriscoloribus induti uestibus saltantes et cantantes praeibant et ne quid

6 faceret P : facere A

33 1 Ruminaguio que A : Ruminagioque P | diuersoriorum P : -sorium A | dederint A : -rent P || 2 enim *om.* A | Maicabilca *correxi, cf. adn. ad 3.31.6* : Maicabelica PA || 3 euincta A : auimota P *ut uid.*

principem offenderet in uia obseruabant. reguli post ipsum octophoris portabantur, deinde acies sequebantur.

34 At uero Hinga cum in eum Caxamalcae conclusum locum iam intraret neminemque circumspiceret, se ex puluino gemmato sellaque in qua sedebat aurea erexit in pedes et exclamauit Hispanos uictos et prae metu 2 exanimatos. esse quidem ab regulis est responsum. sed tunc ex deuersoriis prodiit Vincentius Valuerdus Dominicanus, qui postea Cuschi pontifex fuit, altera manu crucem argenteam altera codicem sacrum ferens. Atabalipa habitum uiri admiratus omnes consistere iubet. ille ad lecticam intrepide accessit. multa de Deo pie et dis-3 erte dixit. magnitudinem imperii Caroli quinti Augusti et res ab eo fortissime gestas extulit, tot uictorias terra marique partas, tot triumphos de magnis et opulentis actos regibus commemorauit. his adiecit eum ingentes alere exercitus et cum his legatos in diuersas orbis regiones, quas ipsi maximus Christianorum pontifex Christi Dei mundi seruatoris in terris uicarius decreuisset, mittere nec aliam ob causam Franciscum Pizarrum eius legatum in Peruram cum aliquot Hispanis, gente inuicta, uenisse quam ut ueram et sanctam Christi religionem in eam induceret et peruersam et impiam tolleret, principesque qui eam ultro susciperent in amicitiam fidem societatemque acciperet easque foedere confirma-

34 1 conclusum P (*cf. Zárate 476a*) : conctusum A : constitutum *perperam corr. To.* | *post* exclamauit *plene distinxerunt* PA | *ante* esse *tantum* A *interpungit, cf. Gómara 228b, Zárate 476a, Martos 119. fort. alterum* esse *ante interpunctionem addendum*

ret, reliquos uectigales stipendiariosque faceret et eorum prouincias in potestatem redigeret; sed id unum 4 Hinga pro certo haberet eos qui, abnegata prius secta siue potius fraude quam habebant, pietatem religionemque Dei ueri animis infigerent et pure et caste colerent in caelum post obitum euolare, ceteros uero ad infernos detrudi manes; ea esse magni Caesaris mandata quae eius legatus esset exsecuturus; itaque utrum mallet Hinga deligeret, an bona cum pace, caelesti in Peruram inducta religione, amicum sociumque Caesaris esse an bello, quod ferro ignique ei indiceret, ius imperii cum exercitu et regno amittere.

Atabalipa grauiter indignatus negat pontificem et **35** Caesarem in ea regna, quae maiores sui armis subegissent quaeque, deuicto captoque Guascare Hinga fratre suo, ad se peruenissent, quicquam iuris habere, nec se alium agnoscere inquit deum quam Solem et Pachacamam et eam religionem quam a Mango Capa primo fortissimoque Hinga institutam accepisset acerrime retenturum et pro ea in Caesarem bella suscepturum ac non modo non tributarium, sed ne amicum et socium eius quidem futurum; quin protinus inde, ni uellent pro uictimis Soli et Pachacamae immolari, in naues abirent; iam se ex Mangi Capae institutis intellegere obeuntium animas non exstingui, sed ad laetas fortunatasque sedes transire ibique uoluptatibus indulgere; at ostenderet unde ipse sciret eos qui sancte pieque religi-

4 id P : in A | abnegata P : obnegata A | ueri P : uiri A

35 1 fratre A : frater P | religionem A : Regionem P | ostenderet *corr. To.* : -dere PA | sancte pieque P : sanctae piaeque A

2 onem Christi colerent in caelum migraturos. 'ex diuina' inquit Valuerdus, 'scriptura, quam hic sacer continet liber.' manum ille porrigit, librum accipit, euoluit: 'atqui hic nihil refert, non respondet.' iratus in terram eum 3 proicit. Valuerdus, sublato codice, propere in deuersoria currit clamitans: 'irruite, Christiani, irruite uestras iniurias uindicaturi. punctim non caesim hostes petite, uestra est uictoria.'

36 Pizarrus signum dat, uexillum conuellit et explicuit ingentemque tormentis campestribus stragem edit. equites subito praeter hostium opinionem ex deuersoriis erumpunt. pedites qui in utraque erant turri tormentariis globulis multos prosternunt. Pizarrus cum reliquis peditibus in Atabalipam, qui, nullo pugnandi signo suis dato, tacitus stupefactusque consistebat, impressionem facit. atrox ubique hinc ab equitatu hinc a peditibus Pizarri et ab aliis, qui, emissis iam tormentariis globulis, sese ex turribus gladiis in hostes destrictis conci-2 tauerunt, fit caedes. Atabalipa ex lectica cladem suorum contuetur et alios aliis caesis succedere et locum occupare et corpora hastis gladiisque opponere, alios lecticam, ne ipse decideret, umeris manibusque, donec ab-3 scinderentur, undique sustinere. Pizarrus cum uideret Hispanos, si pugna protraheretur, summo in periculo futuros (iam enim reliquae acies iter accelerare et in

post migraturos *sic interpunxi* : *signum interrogationis adposuere* PA || 3 clamitans P : ilamitans A | est A : es P

36 1 multos P : -is A | tacitus stupefactusque *correxi* : tacitos stupefactosque PA | aliis P : iis A || 2 hastis P : hostis A | *post* opponere *plene distinxerunt* PA | abcinderentur P : -retur A

campum ingredi contendere), uiam ferro cum peditibus aperit, lecticarios caedit et in lecticam inuadit. Indi conferto agmine eam cingunt et obsistunt, aliique aliis in caesorum succedunt locum. accurrere equites sparsoque agmine horribilem stragem et fugam dedere. Pizarrus se 4 in Atabalipam infert, apprehensoque manu capillo, eum trahit et e lectica deturbat leueque in altera manu uulnus accipit. nam milites, cum eam laudem et tanti captiui praemium comparare sibi quisque conaretur, crebris nequiquam ictibus auream lecticam ceu incudem tundentes leuiter casu Pizarrum percusserunt. Indi, deiecto 5 captoque Atabalipa, terga uertunt, alii super alios cadunt et conciduntur et, cum tanta hominum turba uno effugere aditu non posset, eo impetu atque ui ad murum adhaerescebat ut alii alios impellentes partem eius sedibus conuulsam propulerint, liberiorem patentioremque egressum fecerint. inde omnes diffugere, castra petere, in siluas se abdere et omnia magnis clamoribus dissonisque uocibus complere. quos equites insequi et caedere non destiterunt donec nox fecit ut in deuersoria redirent. at Ruminaguius, qui uiam a deuersoriis in- 6 cluserat, cum tormentorum crepitum et strepitum Indorum et audiret et ipsos per agrum percurrere et se montibus occultare prospiceret, Atabalipam uictum captumque pro certo duxit et in Quitum, quod decies centena passuum milia inde aberat, cum eo quod ducebat agmine profugit illudque postea occupauit.

Hispani ea nocte primum qua laetitia Deo optimo **37** maximo propter adeptam uictoriam gratias egerint, quibus gaudiis, quod ne unus quidem ex suo agmine praeter Pizarrum uulneratus esset nedum occisus, exsultarint non facile posset explicari. hoc certe diuinae potius quam suae uirtuti tribuendum putabant; non enim, cum essent tam pauci, dubitabant quin ope caelesti tot Indorum

2 milia fudissent. miracula etiam pugnae adiiciebant Atabalipam animo consternatum et metu abiectum fuisse alioquin principem fortem et impauidum, eumque nullum signum pugnae dedisse, Indos, cum intenti illud exspectarent, non (tantum erat in regem obsequium!) depugnauisse, sed cuneatim solum lecticam circumdedisse et, ne de ea ipse deiceretur, corporibus suis ualli in modem saepsisse et sese inuadentibus hostibus caedendos pro uictimis praebuisse nobilemque sua clade eum locum fecisse.

38 Insequenti die castra fuere capta et direpta, multum auri et argenti facti, multum lautae et magnificae supellectilis et ceterarum rerum inuentum et Atabalipae et regulorum uxores et aliae ad quinque milia captiuae in 2 deuersoria ductae. at uero Atabalipa, qui catenis constrictus in amplo deuersorii conclaui asseruabatur, fortissime eam fortunam pertulit sed, cum indigne pro maiestate regia tractaretur, Pizarrum rogauit ut rationem eius haberet nec principibus feminis uim inferri sine-3 ret; quin si libertatem dare uellet, se illius pauimentum conclauis tecturum uasis ex auro et argento promisit. et cum Hispanos qui aderant eam rem in admirationem ducere uideret, e lectulo surrexit et stans, bracchio dextro erecto, manu extensa, digito quanto altius potuit parietem signauit et inde rubrica lineam circumduxit et se intra trimestre obstrinxit tempus pauimentum illud

37 2 *post* adiiciebant *plene distinguunt* PA | animo P : uero mo A, *unde* uero *To.* | impauidum A : -dam P | dedisse A : -et P | (tantum ... obsequium!) *sic distinxi* | sepsisse P : -et A
38 1 lautae P : laute A || 2 at uero *om.* P || 3 tecturum A : lecturum P | rubrica P : rubrita A

doliis, urceis, lancibus, scyphis, poculis et aliis id genus uasis aureis et argenteis lineae undique circumductae exaequaturum. Pizarrus se eum, statim atque illud prae- 4 stitisset, cum coniugibus et liberis dimissurum pollicetur. Atabalipa sine mora Indos nobiles ex his mittit qui cum eo erant capti quique ultro post pugnam in castra redierant, ut confestim ea uasa ex Quito, Cuscho, Pachacama et ex aliis templis et arcibus deuehenda curarent. ceterum, cum sarcinae auri et argenti, quas Indi 5 cottidie in Pizarri deuersorium portabant, illius pauimentum conclauis non tegerent nec Hispanorum oculos explerent, Atabalipam incusare cum dolo malo agere, tempus extrahere, exercitum secreto colligere, ut se in libertatem assereret et eos circumuentos perderet, omnes coeperunt et palam dicere tutius esse, eo interfecto et praeda diuisa, longius procedere nec in deuersoriis tam diu desidere. Atabalipa, re intellecta, deum 6 atque hominum fidem implorare et grauiter de militibus Hispanis, quod de se talia cogitarent et timerent, apud Pizarrum queri: nihil se in eos moliri nec posse nec audere; non milites sed aurum et argentum ad libertatem in unum locum cogere, in id incumbere ac dies et noctes bona fide de libertate sua et de liberis et uxoribus redimendis agere; et parum referre si ultra praescriptum tempus aliquantulum res protraheretur; longissime ea loca unde aurum et argentum esset deportandum abesse; quod si non crederent, cum Indis quos ipse in 7

urceis P : unceis A || 4 Pachacama P : -xamae A || 5 secreto P *p. corr., ut uid.* : neto A | coeperunt P : cep- A | tutius A : totius P || 6 queri A : quaeri P | esset A : esse P || 7 ipse P : esse A

Cuschum mitteret aliquot Hispani, ut rem oculis cernerent atque cum sarcinis expedirent Indos, pergerent; omnia exin cum ipsis tuta fore nihilque in eundo et redeundo periculi esse.

39 Ceterum cum nemo se Indis committere uellet, subridens ille inquit: 'ei fidem non habetis qui uinctus cum liberis et coniugibus in uestra est potestate?' et se fidem ei habere et, si summum uitae sit discrimen, Ferdinandus Sotus et Petrus Barcus uiri fortes et strenui respondent, permittente magni Caesaris legato, ituros. qui extemplo cum ducentis Indis, quos Atabalipa ire iussit, ut eos ducerent et singulis lectulis, quas uocant hamacas, 2 deferrent, Cuschum sunt profecti. bini Indi una lecticula singulos nobiles umeris portare solent et totidem paruis interuallis ea industria et agilitate fessis succedere ut nec cursum impediant neque consistant; non enim Indi in uia consistere sciunt et qui lecticulas umeris gestant et qui post sequuntur non minus aeque quam celeriter omnes simul currentes uiam procedunt et per- 3 gunt. iam Sotus et Barcus iter quadridui fecerant, dum Quinquizius legatus cum omnibus copiis suis et Guascare, quem ab eo captum supra demonstrauimus, obuiam eis uenit. et is ut ab Indis cognouit Atabalipam, fuso fugatoque exercitu, in uinculis esse, grauiter molesteque tulit Sotumque et Barcum, quod sub Atabalipae 4 nomine et fide Cuschum adirent, in honore habuit. a quibus Guascar multa prius de Atabalipae inuriis questus maximis precibus et promissis contendit ut secum

exim P : enim A *fort. recte*

39 1 qui extemplo A : quo ex templo P *ut uid.* || 2 procedunt A : -dant P || 4 iniuriis A : muriis P | maximis P : -mus A

in Caxamalcam redirent: plurimum se uereri, quia Atabalipa captus esset, ut a Quinquizio necaretur; eum certo scire se fratrum maximum natu et uerum Guainacapae Hingae heredem et Perurani imperii principem insignique regio omnium ordinum consensu ab sacerdote maximo Cuschi, ubi Hingae inaugurari solent, decoratum, Atabalipamque armis, comtempto omni iure, regnum occupasse nec quod Hispanis promisisset, nisi spoliatis Solis et Pachacamae templis, praestare posse; itaque eos uehementer orare ne se desererent, quin et 5 promittere et ipsis spondere et sanctissime recipere se non pauimentum solum auro et argento et gemmis contecturum et illud lineae rubrae in pariete circumductae aequaturum, sed ad lacunar usque conclaue quantum esset utroque metallo completurum idque nullo negotio facturum, quippe qui innumeras paeneque incredibiles Guainacapae opes haberet, eumque, cum in Quitum rediret, ipsi praecepisse ut cum barbata albaque gente quae in Peruram statim post obitum suum esset uentura eamque subactura amicitiam contraheret eamque publico priuatoque foedere iungeret; quod si faceret, diuitias et regnum habiturum; sin minus, omnia ea cum uita amissurum; iam se ea patris praecepta legatis ea de 6 re cum mandatis ad Hispanorum praefectum missis exsecutum; interim fraude insidiisque Quinquizii captum fuisse et Atabalipam animo in regnum intento maxi-

heredem et Perurani ... Cuschi, ubi Hingae *om.* A || 5 lineae A : lincae P | completurum A : complecturum P | Guainacapae P : Guanicapae A | precepisse A : praecipisse P² : praecipesse P | foedere *correxi* : -deri PA | habiturum A : habitum P

mam eius partem inuasisse, sed summa in spe esse, dummodo ipse in Caxamalcam ab eis deduceretur, legatum magni Caesaris, cum ipse ius et imperium, uti Guainacapa pater praedixisset, iam Perurae haberet, ea de re ex aequo cogniturum, eique regnum cuius esset
7 adiudicaturum. Sotus et Barcus maxime se uicem eius dolere dicunt et eo magis quod ipsis non liceret cum eo in Caxamalcam reuerti nec causam eius suscipere, propterea quod a praefecto suo Cuschum mitterentur et quod commissum ab eo esset exsequi cogerentur, sed firmo regioque esset animo eoque aduersam toleraret fortunam nec dubitaret quin praefectus quod aequum foret, causa probe cognita, decerneret eumque in regnum restitueret. Guascar nihil magis certi habere quam se, abeuntibus ipsis, a Quinquizio interfectum
8 statim iri respondit. et sane inde factum est ut tam immensa illa uis et ingens copia auri et argenti facti et infecti quam Guainacapa cum tanto gemmarum et unionum numero Guascari Cuschi reliquerat ab Indis in occultis terrae locis defossa numquam inueniri potuerit. ceterum Sotus et Barcus culpa uacant, ut qui pro more institutoque militari quod a praefecto eis erat mandatum nauiter accurateque fecerint.

40 Quinquizius simul atque illi abierunt, Atabalipam per nuntios celeres docet quid Guascar Hispanis dixerit, quid promiserit, quid egerit et quid illi obtulerint. ipsum monet ut sibi praecaueat. ille maestitiam uultu simulat, cibo potuque abstinet et lacrimas fundit. Pizarrus eum adit, causam rogat, urget, uix tandem precibus

7 Caxamalcam *corr. To.* : Caxamalca PA
40 1 abierunt A : obi- P

extorquet. 'ideo' inquit, 'fleo et praecipuo quodam dolore angor et crucior, quoniam Guascarem Hingam, quem in patris loco potius quam fratris habebam, quidam legatus, cum audiisset me captum et copias ab Hispanis esse fusas, impie interfecit. non equidem bellum cum fratre suscepi ut eum regno expellerem aut ullam inferrem calamitatem, sed idcirco arma sumpsi eumque capiendum perducendumque ad me curaui, ne regnum Quiti adimeret, quod Guainacapa pater meus in potestatem suam redegisset mihique moriens dedisset et, ut in perpetua essemus pace, illud libere me habere permitteret.' at Pizarrus, cum prae fletu et singultu amplius Hinga loqui non posset, eum consolatur monetque ut aequo animo casum illum ferat; omnibus cito aut sero esse moriendum; pollicetur se, compositis Perurae rebus, in eos qui Guascarem occidissent grauissime animaduersurum. Atabalipa cum fratris caedem tam leuiter a Pizarro accipi uideret, re dissimulata nuntium ad Quinquizium extemplo remisit, ut confestim Guascarem obtruncaret. id tanta facta est celeritate ut uix ratio iniri potuerit utrum ante simulatum maerorem an post Atabalipa se fraterno inquinarit parricidio. et Guascar quidem, antequam trucidaretur, mortem Atabalipae praenuntiauit: 'breui' inquit, 'tempore imperaui, sed multo breuiore Atabalipa, homo omnium quos terra sustinet sceleratissimus, cuius iussu ego nunc occidor, est imperaturus.' 2 3 4 5

41 Interim Ferdinandus Pizarrus Francisci fratris legatus cum quadraginta equitibus regia uia montana in Gua-

3 fletu A : flectu P | eum A : cum P || 4 accipi P : -pit A
41 1 cum *scripsi* : eum PA

machucum opulentam uallem et Solis templo et arce cum nemore regio guanacis, uicuniis, ceruis et aliis feris referto nobilem est progressus, eique Illiescas Atabalipae frater germanus cum multis milibus pondo auri et
2 argenti, ut captos redimeret, obuiam occurrit. eum Pizarrus hortatus ut die ac nocte iter continuaret in Xauxam illustrem uallem penetrauit ibique Chalicuchima Atabalipae legatus, dimissis copiis quas iam comparauerat, in Pizarri amicitiam et societatem una cum Guancis non ui sed uoluntate uenit eumque in Pachacamam est secutus. ea uallis a Caxamalca milibus passuum aberat
3 quadringentis. eas ille regiones et ualles explorauit multaque uidit et inuenit et, quamquam primores uallis Pachacamae et sacerdotes, qui iam Atabalipam uictum captumque ab Hispanis sciebant, immensas illius templi opes et dona maxima ex parte ita sub terra defoderant et obruerant ut numquam postea apparuerunt, tamen Pizarrus multum auri et argenti inde in Caxamalcam comportauit eoque itinere equis soleas aureas et argenteas induit.

42 Ceterum milites Hispani, cum rem nimis protrahi et ingentem auri et argenti uim coactam (iam enim Illiescas in Caxamalcam uenerat et in Quitum discesserat) sed nec adhuc quintam partem pro conclauis amplitudine esse aduectam uiderent, non amplius exspectandum

Illiescas *correxi coll. e.g. 2.46.5 et Zárate 478b* : Hilliescas PA || 2 ac P : et A | Chalicuchima *correxi, cf. app. crit. ad 3.1.1* : Cali- PA | Guãcis PA (*cf. e.g. 3.46.4*) : Guanacis *perperam To.* | Caxamalca P : Caca- A || 3 apparuerint A : -runt P | auri P : cruci A

42 1 (iam enim ... discesserat) *sic distinxi* | Illiescas *correxi, cf. app. crit. ad 3.41.1* : Hi- PA | pro P : pio A

rati instare et singulis diebus urgere ut praeda diuideretur non cessabant: periculum esse ne Indi proxima 2 edocti clade et iam animis confirmati, coniunctis copiis quas undique occulto parare dicebantur, commeatus interciperent Hispanosque, si non armis, certe fame necarent; ad haec iniquum esse eos qui Didacum Almagrum sequebantur, quem rumor erat ex Panama iam egressum, partem praemii et fructus, quem ipsi tantis laboribus et uigiliis et armis essent consecuti, capere; nec 3 dubium erat quin Almagrus naues e Panamensi portu animo quidem, ut ferebatur, infesto soluisset, ut Cuschanam prouinciam, quam audierat refertissimam auro esse, praeoccuparet multaque Pizarro detrimenta inferret, qui per arcanas litteras, quas in Pocheis acceperat, certior factus nemini eam rem aperuerat. Almagrus, 4 cum in Portum Veterem applicuisset Atabalipamque captum intellexisset, suspenso prius scriba quem eas litteras ad Pizarrum misisse certum erat, animum mutauit et cum centum et quinquaginta Hispanis in Caxamalcam profectus Pizarro se adiunxit. ibi tantum auri et 5 argenti (nondum enim erat diuisum) ab eo conspectum in summam certe admirationem uenit. et profecto incredibilem fuisse copiam tradunt; nam et ad aerarium regium milia nummum aureorum quadringenta sunt allata et in singulos equites quattuordecim milia et in pedites dena milia sunt diuisa; praefecti quadragena et centuriones tricena accepere. Pizarrus praeter auream

2 animis P : -us A || 4 suspenso *corr. To.* : suspensa PA | scriba A : soriba P *ut uid.* | quem P : quam A || 5 (nondum ... diuisum) *sic distinxi* | conspectum *correxi* : conspectu PA : conspecto *To.* | praefecti A : profecti P

sellam, quae quinque et uiginti aureorum milibus fuit aestimata, quadruplo plus habuit dimidiumque Almagro pro inita inter ipsos societate dedit militibusque eius, ne tumultum concitarent, mille nummos aureos
6 uiritim distribuit. numquam milites tam breui tempore, nullo prope labore, nullis in pugna uulneribus acceptis, tantas diuitias possedere. numquam tantum aleae tribuerant: multi enim ut repente diuites ita inopes sunt facti et quod casu quodam habuerunt in alea perdiderunt.

43 Alii auro et argento onusti Ferdinandum Pizarrum in Hispaniam sunt secuti. is a Francisco fratre mittebatur, ut quid ipse cum centum et sexaginta tantum militibus
2 Hispanis in Perura gessisset ad Caesarem referret. qui ex Italia, magnis rebus eo tempore gestis, in Hispaniam, postquam susceptis de manu Clementis septimi pontificis maximi insignibus imperii Romanus impera-
3 tor Bononiae fuisset appellatus, redierat. nam Florentiam Etruriae principem urbem ceperat, cuius principatum Alexandro Medici genero detulit, et Ferdinandum fratrem Pannoniae regem septemuirum sufragiis et procerum omniumque imperii ordinum consensu in Caesarem elegerat, habitisque Ratisbonae, quae Artobriga et Augusta Tiberii olim fuit, comitiis, Solymanum Turcarum tyrannum cum ducentis equitum milibus Viennam munitissimam Pannoniae Superioris urbem iterum inuadentem in fugam ingenti hostium strage edita uerterat.

militibusque A : militibus P | et P : e A
43 2 Hispaniam *correxi* : -nia PA || 3 Genero A : Ginero P | Pamnoniae P : Pamoniae A | cum *ante* ducentis *To.* : cum *uel* eum P : eum A | munitissimam P[2] : munitis. Simam PA

At uero Ferdinandus Pizarrus et alii Hispani nauibus **44** Hispalim deuecti publicanorum officinam, quam domum commercii uocant, multo auro et argento et Hispaniam fama et cupiditate compleuerunt, siquidem ea lege qui metalla illa aduehunt ex Indiis in eam conferunt officinam, ut uectigalis nomine quintam auri et argenti partem regi pendant; reliquum conflant puriorisque metallum uenae admiscent et exactae intertrimenta conflaturae reiciunt ac demum ad pondus et puritatem regiae monetae Hispanica nota cudendum curant. at Pizarrus Mantuam Carpetanam, quae nunc 2 Madritium dicitur, ubi Caesar tunc erat, se contulit omniaque ordine quae feliciter prospereque Franciscus frater in Perura gessisset Caesari rettulit: et amplissima ea esse regna et auro argentoque et gemmis refertissima ac se ingentem auri uim in aerarium Hispalim intulisse et multa etiam uasa, quibus Perurae reguli utebantur, et in his simulacra deum, statuas principum, effigies animalium, formas arborum et dolia et tympana et alia omnia ex argento, quae miraculo cunctis fuere. Caesar cum ex 3 ea re tum praesertim quod religio Christiana in austrum protenderetur incredibili est affectus laetitia. Franciscum Pizarrum in amplissimo collocauit gradu et praefecturae Nouae Castellae, quam ei decreuerat, fines ad milia passuum multa in austrum protulit eosque praescripsit et ab his aliam praefecturam Noui Toleti constituit, quam Didaco Almagro decreuit, eumque illustri decorauit titulo, regiaque de ea re diplomata in

44 2 quintam A : -ta P | exactae P : -te A | curant A : curat P : curam *To.* || 2 Reguli P : Beguli A | fuere. P : fuere! A || 3 austrum *ante* protenderetur P : austrium A

Indico expediri senatu iussit. Ferdinandum Pizarrum militiae Diui Iacobi ascripsit et magnis ornatum muneribus dimisit.

45 Interim in Perura simultates partim obscurae partim apertae inter Pizarri et Almagri milites susceptae fuere, quae postea in graues inimicitias, odia, discordias et intestina bella abierunt, illis palam dicentibus nihil eos commodi, donec Atabalipa praestaret quod pro redemptione promiserat, exspectaturos; his indignantibus 2 quod ea in se tam temere effunderentur: frustra se in Peruram traiecisse, si nihil emolumenti, nihil praemii et fructus uiuo Atabalipa essent accepturi; semper illos dicturos numquam ad lineam parietis esse peruentum omniaque sibi iure redemptionis deberi; itaque satius esse, ne dissidia et bella inter ipsos excitarentur, Atabalipam de medio tollere nec ferendum esse propter eum Hispanos se mutuis caedibus conficere; iam illum, quod regnum Guascaris occuparit, perduellionis esse reum; iam quod Guascarem fratrem uerum et legitimum Guainacapae Hingae filium heredem et Perurani imperii principem trucidarit, meritum esse qui in culleum insuatur et in flumen deiciatur; quin et ipsum de nece Hispanorum cogitare occultoque exercitum, ut eos opprimeret, colligere idque ita esse complurium testimo- 3 niis Indorum constare atque confirmari. et non milites solum, sed Almagrus etiam et Richelmus omni studio in Atabalipae perniciem incumbebant meritoque ipse hos semper suspectos habebat. nam Ferdinando Pizar-

45 2 omniaque *correxi, cf. Zárate 479b* : omnique PA | legitimum P : lexi- A | Hingae P : -ga A | trucidarit A : -dari P || 3 incumbebant A : incumbant P[2] : cumbant P

ro, quicum summa intercesserat amicitia, in Hispaniam discedenti dixisse ferunt: 'et hinc abis, Ferdinande praefecte? hoc certe grauissime fero, nam confestim isti luscus et crassus (nimirum Almagrum et Richelmum intellegens) me obtruncabunt.' sed et Philippus interpres, cui 4 iam in amore et in deliciis una ex Atabalipae uxoribus erat, ut eum morte absumeret etiam atque etiam instabat atque urgebat. is testes sceleris sui colligere, eos in miserum principem producere et testimonia quae in eum dicebantur, cum ea Hispani non intellegerent, pro libidine sua exponere. Atabalipa uidens se tam indigne 5 et impune ab sceleratissimo seruo per hominum ora traduci multo aegrius tantam iniuriae molem quam cladem, captiuitatem et iniectas catenas tulit atque sustinuit, praesertim cum pro more regio et instituto deterrimum et saeuissimum Indum uiuum cum coniuge adultera comburere, parentes necare, familiam penitus delere, locum in Pocheis, ubi iste natus esset, funditus demoliri, arbores excidere et radicitus euellere, denique agrum incultum et desertum facere non posset. qui 6 cum iam se damnatum audiisset, Pizarrum orat ut se ad Caesarem mitteret, ne manus sanguine suo foedaret, famam obscuraret et insigni ipse quadam impii ingratique nota et ignominia inureretur, qui praeter fidem datam eum principem qui muneribus expleuisset ipsum occideret; nec fieri posset ut qui in uinculis esset exercitum,

quicum *correxi* : qui cum PA | praefecte? PA : praefecte! *To.* | Luscus P : Juscus A | (nimirum ... intelligens) *sic distinxi* || 5 aegrius P : agrius A | iniectas P : in-| A || 6 inureretur P : inueretur A | praeter *scripsi, cf. Martos 119* : proter P : propter A | posset P : posse A

quo Hispanos circumueniret, ex prouinciis educere iuberet, cum certo sciret se in ipsis catenis, conspectis ab
7 Hispanis copiis, subito trucidandum; omnia tuta et pacata esse; nihil Indos iniussu suo temptaturos; Ferdinandum Pizarrum, Sotum et Barcum omnem ferme peragrauisse Peruram et saluos et incolumes, nullo usque detrimento accepto, in Caxamalcam reuersos; grauioribus, si aliter atque diceret ipse putaret, uinculis corpus constringeret ac pro uno Hispano quem Indi interficerent, uxores cum liberis, quas in sua habebat potestate, protinus necaret; quod si insisteret impurissimoque ei seruo crederet, qui libidine magis quam ratione rem ageret testimoniisque abuteretur, firmam se spem habere magnum et uerum Deum caedis suae ulto-
8 rem futurum. nihil Pizarrum mouit. non tamen deerant qui tantum principem in Hispaniam ad Caesarem mittendum censerent; sed, quod plerumque fit, maior pars meliorem uicit. tandem Atabalipa productus est et, Valuerdo persuadente, Christianam suscepit religionem et, stupentibus Indis qui tristi aderant spectaculo, eum tortor ad palum alligatum strangulauit. mortem laeto et interrito uultu et magno et forti animo pertulit. statura erat procera, facie liberali ac plane regia et moribus castis et compositis. diadema, Guascare fratre Hinga a Quinquizio legato capto, capiti imposuit et deinde pro more et Hingarum maiestate in manum principis puel-
9 lae spuit. Indi immaturam eius mortem uidentes Guascarem, qui eam praedixisset, filium Solis esse crediderunt. ceterum Franciscus Pizarrus pulla indutus toga

trucidandum P : tusci- A (*ut uid.*) || 7 Barcum P : Bascum A || 8 uicit P (*cf. Liu. 21.4.1*) : uiuit A | eum P : cum A

iusta funebria ei more regio magnifice fecit. corpus, sicuti ipse cauerat, Quitum ab regulis et ducibus quibusdam in Guainacapae patris sepulcrum est illatum.

46 Hinc caedes, calamitates et bella ciuilia sunt orta, et Hispani a quibus Atabalipa indignissima affectus erat morte partim ferro postea absumpti, partim sunt patibulis affixi, paucique ex his euasere qui mortem Atabalipae sanguine caedeque sua non expiarint. 2 eam imprimis ulcisci Quinquizius legatus animo intenderat, qui aegre ferens Hingarum regna, occiso ab Hispanis Atabalipa, sic inuadi et occupari reliquias eius exercitus cum cura collegit et cum militum quindecim milibus in Xauxam contendit. 3 ea uallis a flumine Xauxa nomen ducit et in tractus Xauxam, Maricabelicam et Laxapalangam diuisa in longitudinem milia passuum sexaginta et in latitudinem uiginti patet. iugis undique niuosis fere cincta est. per eam Paranaguacus ingens amnis, qui Argenteus creditur esse, defluit. is ex grandi Bombonis palude exoritur et, Xauxa, Parco, Bilca, Abancaio, Apurima, Iucaio et aliis atque aliis fluminibus acceptis, in occasum longissime latissimeque decurrit et per immania terrarum spatia et magnarum incultarumque gentium regiones in interiorem Oceanum descendit. 4 in Xauxa aedes Hingarum amplissimae, quas uallis praefectus inhabitabat, et templum Solis et deuersoria e lapidibus

46 1 affixi P : -it A | euasere A : eauasere P[2] : eausare P || 2 aegre A : egrae P | Xauxam P : Xaucam A || 3 Xauxa ... Xauxam P : Xauca ... Xaucam A | Maricabelicam *correxi coll. 3.10.2. cf. etiam adn. ad 3.31.6* : -bilcam PA | latitudinem A : alti- P | Argenteus P (*nomen proprium*) : ar- A | Xauxa P : Xauca A | in *ante* interiorem *om.* P || 4 Xauxa P : Xauca A | amplissimae A : -mè P

erant constructa et densis trabibus et stramentis contecta et muro undique conclusa. eo cum Quinquizius uenisset, Guancas, qui uallem incolebant, nequiquam in arma concitauit; nam in societate quam cum Ferdinan-
5 do Pizarro inierant cum fide perstitere. quod statim ut in Caxamalca nuntiatum est, Pizarrus primum Sebastianum Benalcazarem praefectum cum aliquot equitibus, ut Pocheos, Tumbezianos et Cannarios socios, qui questum de iniuriis Ruminaguii Atabalipae legati uenerant, ab excursionibus hostium et latrociniis tueretur, in
6 Piuram misit. deinde ipse regia uia in Xauxam milia passuum trecenta et uiginti a Caxamalca distantem agmen duxit easque ualles et regiones in potestatem redegit. qui dum Xauxae appropinquaret, Quinquizius in Bilcas secessit.

47 Ea uallis et prouincia multarum uallium et regionum erat caput Hingarumque imperii umbilicus; aeque enim a Quito atque a Chilia distat. arx regia et templum Solis et amplissimae domus, in quibus arma et uestimenta reponebantur, in alto iugo erant positae. hae milibus
2 passuum centum et sexaginta absunt a Xauxa. eo Pizarrus postridie quam discesserat hostis uenit. Guancas, quod perstitissent in fide, laudauit et amoenitate loci delectatus ciuitati regiae aedificandae, quam postea ad ripam Limae Perurae planae amnis et uallis condidit, fines designauit. Valuerdus uero in templo imaginem

contecta A : contecta *in* contescta *uel potius in* contexta *corr.* P | cum *ante* fide A : eum P | perstitere *corr. To.* : prestitere P : persistere A || 5 Benalcazarem praefectum *om.* A | questum P : quaestuum A || 6 Xauxam P : Xaucam A, *ut solet*

47 1 aeque A : acque P | arx P : ars A | amplissimae A : -mè P

Solis deiecit et sanctum Christi uexillum defixit. nec ulla deinde ab infernis manibus responsa reddita fuere. ea res metum et religionem Indis iniecit, sacrosanctamque crucem uenerari adorareque coeperunt. inde Pizarrus, impedimentis fere omnibus cum Richelmo aerarii praefecto et aliquot militibus, qui praesidio essent, relictis, in Bilcas mouit, totoque eo itinere montani imperium accepere et exercitum aluere. et cum tridui uiam iam fecisset, Sotum cum equitum ala ad explorandum hostes praemisit et mox Almagrum cum alia equitatus parte ire iussit. ipse cum peditatu eos statim est subsecutus. uentum erat iam in Bilcas et, cum ante solis occasum Sotus agmen in cliuos erigeret, hostes in pugnam repente coorti, lapidibus et iaculis coniectis, paene equites obruerunt et equos partim dissonis clamoribus, partim ictibus consternatos infestum facere agmen coegerunt; multi deiciebantur, alii una cum ipsis equis per praecipites cliuos deuoluebantur. itaque equites Hispani simul ab hostibus, simul ab iniquitate loci oppugnati nobilem eum cliuum, ni nox proelio interuenisset, sua clade fecissent. Quinquizius, interfectis sex hostibus et multis uulneratis, in iugum ubi posuerat castra rediit. iam equites, conuersis equis, se ad signum colligebant et confirmabant, dum Almagrus cum alia equitum ala eis subsidio uenit. qui eam noctem, ut hi qui pugnauerant corpora curarent, in armis egit. uix iam illuxerat, dum hostes in stationem solitam conuenire, imminentes

2 defixit P : deficit A | coeperunt A : cep- P || 3 ala P : alia A || 4 praecipites A : -pietis P | deuoluebantur P : desol- A || 5 castra *scripsi, cf. 3.47.7* : cas**a P : casha A | ala P : alia A | imminẽtes *uel* imminẽtis P[2] : immineteis P : imminiteis A

tumulos insidere et iuxta inuia ac deuia assueti discur-
6 rere. Almagrus equites cohortatus quid uelit facere docet et cliuos subit. hostes ingentia in agmen saxa deuoluunt et tela coniciunt. Almagrus et Sotus consistunt simulandoque aliud quam Quinquizius putabat sensim et caute equos, ut montanos traherent in planum, conuertunt. nebula tunc ita occepit ut uix equites concursus uitarent. eadem caligo densa diem obtinuit, conspectumque equitum hostibus ademit. qui rati eos tantum esse quos pridie ex cliuis deturbauerant atque ipsos fugere, relictis tumulis, incomposito agmine ad planum descenderunt. equites fuga simulata, quo magis ad pugnam eos elicerent et procul a cliuis educerent, lente et paulatim procedunt; deinde circumactis repente equis ingentem nebula nondum disiecta stragem faci-
7 unt. Quinquizius, fraude tandem intellecta, in iugum se recepit, motisque subito castris, in Condesuiam regionem montanam iter intendit. Pizarrus sub finem certaminis uenit et quadriduum in Bilcis, ut fessis labore ac pugnando daretur quies, mansit.

48 Per idem tempus Mangus Guainacapae Hingae filius cum magno Indorum numero ad Pizarrum se contulit. quem ipse uultu benigno excepit, impositoque capiti eius apice, Hingam constituit. inde in Cuschum, quod a Bilcis milia passuum aberat ducenta, iter, Mango Hinga cum Indorum copiis eum sequente, dirigit et Bilcam et Apurimam ingentia flumina pontibus craticiis traicit.
2 iam ad conspectum Cuschi uentum erat, cum milites

tumulos] *cf. Liu. 21.32.8* | inuia *correxi coll. Liu. 21.33.4* : in uia PA || 6 cohortatus A : -tat*s P | quo P : quos A, *ut uid.* | a cliuis P : actiuis A || 7 fessis P : festis A | daretur P : daxatur A

qui in praesidio urbis erant collocati, ignibus in diuersis regionibus eius factis, signum dedere hostes aduentare et prope iam esse. Pizarrus existimans ignem ciuitati iniectum eamque, ne Hispani opibus potirentur, incendio consumi Sotum propere, ut illud compesceret atque restringeret, cum parte equitatus ire iubet. eos iugum 3 ascendentes ita acriter Cuschani propulsant et comminus eminusque telis petunt ut equites tanta missilium ui impediti atque perturbati se in fugam conicerent. quos Cuschani ad planum sunt usque eo insecuti, donec Pizarrus, qui iam appropinquabat, fugientes in medium aciem accepit hostiumque impetum tormentariis globulis repressit. Ioannem deinde et Consaluum Pizarros, 4 <ut> celeriter cum equitatu Cuschanos a tergo, antequam illi se in superiorem reciperent locum, adorirentur, misit; ipse cum peditibus in eos impetum facit multosque concidit. hostes se colligunt et redintegrato proelio acerrime resistunt, sed cum se includi ab iugo et ab equitibus inuadi uiderent, in fugam sunt coniecti et non pauci interfecti pluresque, ni nox diremisset proelium, occubuissent. Pizarrus castra edito loco et tuto 5 communiit et prima luce mouit et in Cuschum instructa acie ascendit. praemissis aliquot equitibus cum Ioanne Pizarro fratre, ut urbem explorarent, illi uastum silentium et solitudinem in urbe esse, nullos milites, nulla arma apparere referunt. et e duobus Indis quos captos ducebant cognitum est urbem praesidiis esse nudatam, Cuschanos prima eius noctis uigilia cum omni-

48 2 restingeret *correxi* : -gueret PA || 3 telis P : tebis A | fugientes P : -ter A || 4 ut *addidi* | adorirentur P : ad oriretur A | resistunt P : resistitur A || 5 apparere P : -ret A

bus suis rebus, quae ferri agique potuerunt, in montes
6 excessisse. Pizarrus captiuis, cum longe lateque silentium esse in urbe et neminem qui aditum defenderet prodire uideret, fidem habuit. ceterum ueritus ne incautus in occultam rueret fraudem, militem inuadendae urbis auidum detinuit et rursus Ioannem cum aliis tribus equitibus portis adequitare imperauit et sensim omnia explorare et ad se referre. illi urbem circumequitant, recentia fugae nocturnae uestigia conspiciunt et excessum urbe et solitudinem perspicuam certam esse renuntiant. Pizarrus aeque instructus portis succedit, tamquam si idem quod pridie ad iugum fuerat certaminis
7 foret, desertaque urbe, nemine resistente, potitur. ingressi milites inclutum Solis templum auro et argento spoliant, sepulcra diruunt et refodiunt, corpora extrahunt et ossa eruunt, ut aurum penitus egerant, arcem regiam et aedes diripiunt, fores effringunt et claustra euellunt: cuncta sursum deorsumque agunt et inuertunt, denique maximae ditissimaeque urbis opes immensas in imis terrae uisceribus quaerunt easque effodiunt. sed nec ita ingentes illos Guainacapae thesauros inuenire umquam potuerunt et, quamuis longe maius auri argentique pondus illic et ex itinere quam in Caxamalca esset congestum, tamen, cum multo plures in Cuscho essent, in singulos milites distributum famem sitimque explere non potuit.

49 Cuschum in loco aspero et montoso sed admodum salubri ad caput uallis, quae propter caeli regionisque

6 solitudinem P : solicitudinem A | quod P : qua A | certaminis] *an* certamen? || 7 diruunt et refodiunt, corpora extrahunt *om.* A | penitus A : pen**s P | uisceribus A : uisco- P

naturam nullas arbores fructiferas praeter molles producit, inter duos amnes paruos, qui etiam in urbem influunt, situm est. hoc in quattuor regiones est diuisum, 2 siquidem Chinchasuiam ad aquilonem, Collasuiam ad austrum, Andesuiam ad eurum et Condesuiam ad fauonium habet. hae regiones ea nomina a prouinciis Chincha, Collaia, Andibus montibus et Condesuia, quae alias atque alias continent regiones et ualles, traxere. eadem etiam nomina quattuor uiis regiis, quae a maximo urbis foro secundum totidem caeli regiones in eas ducebant prouincias, imposita fuere. et ut illis regioni- 3 bus Cuschum ita his uiis regiis imperium Hingarum erat distinctum atque cognitum. quin et nationes gentesque et populi qui ex Perura undique confluebant in urbem sciebant graui cautum esse edicto ne quis in aliam deuerteret urbis regionum quam in eam quae suae responderet et se in eum regionis uicum et domum reciperet quae ab regis metatoribus designaretur. erant enim quattuor illae Cuschi regiones in complures uicos diuisae, qui uiis longis et angustis spatiisque communibus distincti ingentem numerum et coniunctionem domorum ex lapidibus constructarum et trabibus et sparto tectarum continebant. quod faciebat ut Cuschum in Perura solum formam et speciem pulcherrimae haberet urbis. quod praeter regiones in duas erat distinctum 4

49 2 hoc in quattuor regiones est diuisum *om.* A | Chinchasuiam ... Chincha *correxi coll. Cieza 437b, 4.47.17, 4.47.20. cf. et adn. ad 2.21.3* : Cinchasuiam ... Cincha PA | austrum P : aushum A | Eurum P : Euxum A || 3 Regis P : Regiis A | illae P : ille A | coniunctionem A : coniuc- P | haberet A : habere P

partes; altera Hanancuschum, altera Orencuschum uocabatur, in quibus nobiles, qui ringrii dicuntur, et summi clarissimique ciues et regulorum liberi, qui cum multo comitatu undique conueniebant in urbem, habi-
5 tabant. ceterum maxima ciuitatis pars ex his Indis qui appellantur mitimaes constabat. magnus erat aurificum et caelatorum numerus, ingens nationum, gentium et populorum frequentia, uarietas et dissimilitudo. et in tanta peregrinorum et aduenarum turba, etiamsi ducenta milia essent, facile quis ex habitu et ex insignibus quae singuli capitibus gestabant et ex uicis regionum quos incolebant discernere poterat qui Pochei, Tallanes, Mochicae et Iungae et qui Cannarii, Chaxapoiae, Guan-
6 cae, Collae et reliqui forent. et his quidem omnibus ab Hingis permittebatur, dummodo Solem, qui Mocha nominabatur, rite et caste colerent, ut dum in urbe essent, caerimonias sepulcrorum et religiones in deos ritibus
7 patriis seruarent. ceterum res magis insignes et omni dignissimae admiratione in urbe erant templum Solis, quod Curicanchem nuncupabant, et arx regia aliaeque aedes Hingarum amplissimae et laminis aureis et argenteis ornatissimae et iugum cui Carmenga nomen fuit paruis munitum turribus, quae pulchro ordine et interuallis quibusdam aliae ab aliis erant distinctae; in his exortus et occasus solis et cursus et lunae et stellarum conuersionesque caelestes a Mango usque Capa alii

4 Hanancuschum P (*cf. Cieza 437b*) : Hanacuschum A | ringrii *correxi, cf. Zárate 470a* : Ringlii P : Regulii A | cum P : eum A (*ut uid.*) || 5 caelatorum *correxi* : ce- PA | Chaxapoiae P : Caxa- A | forent *scr. To.* : fouent PA || 7 Curicanchem P (*Cieza 437b*) : -chum A | nuncupabant A : -bat P | Mango usque *correxi, cf. e.g. Cieza 438a* : Manga usque A : Manga u**ue P

post alios obseruabant. erat haud procul urbe aliud iugum munitissima et pulcherrima insigne arce et aliud nomine Guanacaures dictum, quod Hingae religiosissime colebant, quippe in eo sanguine Indorum et lanigerarum pecudum sacrificia diis manibus faciebant. iam 8 uero Cuschum omnium urbium Indicarum longe ditissimum locupletissimumque fuit; nam innumeri prope Hingarum thesauri, qui post Mangum Capam imperarunt, in eo erant repositi. nec Indi aurum et argentum quod in urbem afferrent, nisi uellent capite puniri, inde efferre poterant. hic Perurani stipendia persoluebant et uectigalia et tributa pendebant. hinc mores et instituta capiebant et iura petebant. hinc denique caerimonias et cultus deorum susceperunt. et Perurani quidem imperii 9 Cuschum princeps et caput erat et Hingarum regia sedes ac domicilium nobile et illustre. hoc a Mango Capa conditum, a Guainacapa illustratum, a regulis et nobilibus cultum et tandem ab Hispanis captum Franciscus Pizarrus praefectus renouauit coloniamque Hispanorum constitutit agrumque ipsis uiritim diuisit mense Octubri eius anni qui erat Christi millesimus quingentesimus tricesimus quartus.

Interim dum haec Cuschi geruntur, Ruminaguius 50 Atabalipae legatus, quem cum milibus Indorum quinque profugisse ex Caxamalca dixeramus, Quitum occupauit et Cannarios magnis affecit detrimentis. Illiescam, qui eum admonebat ut iuste prouinciam administraret

religiosissime P : -mae A || 9 coloniamque *in* coloniaque *et iterum* in coloniãque *corr.* P, *ut uid.* : -niaque A

50 1 Illiescam *correxi, cf. app. crit. ad 3.41.1* : Hilliescam PA

in fideque persisteret, in uincula coniecit eique uiuo pellem detraxit eaque pendente ex ipso capite tympanum clausit. et cum Atabalipae funus regio more excepisset et ritu patrio in Guainacapae sepulcrum intulisset, epulum funebre splendide apparatum regulis et ducibus et militibus qui a Caxamalca usque illud extulerant in Quitum dedit et cibo potuque iam obrutos crudelissime obtruncauit. quod cum Benalcazari, qui in Piuram iam uenerat, nuntiatum esset, confestim ipse cum trecentis militibus Hispanis, qui ad Perurani famam auri ex Panama, Nicaragua, Guatimala, Carthagine et ex insulis eo appulerant, ut Cannariorum, sicuti Pizarrus imperauerat, iniurias uindicaret, in Quitum, quod circiter milia passuum quingenta inde distabat, est profectus. iam in fines Quitiae prouinciae, partim subactis eo itinere aliis Indis, partim aliis in amicitiam acceptis, intrauerat, dum Ruminaguius cum milibus Indorum duodecim ei occurrit. castra in loco edito et aspero fecerat et fossas qua Hispanos putabat uenturos perduxerat. hic stipites praeacutis cacuminibus ita demiserat ut paululum ab ramis, quibus fossae integebantur, suis inter se dispositi ordinibus eminerent, quo qui ea parte in castra irrumperent acutissimis se ipsi palis induerent. Benalcazar simul atque prope accessit, speciem irruptionis in iugum peditatu praebet, simul equitatum immittit, ut circumacto iugo hostes a tergo inuaderent. quod illi celeriter adeo sunt exsecuti ut ea parte qua nullae erant munitiones in castra inuaserint. Benalcazar,

(margin section numbers: 2, 3, 4, 5, 6)

ipso P : ipsa A || 2 Atabalipae A : -pa P || 3 quod cum P : quod A || 4 qua *scripsi* : quas PA | hic P : huc A || 5 *post* peditatu *non distinxi* : peditatu: PA

audito strepitu et Indorum clamore quem siluae repercussaeque ualles augebant, subito a uia recta deflectit et ab uno iugi latere cum peditibus in hostes irruit; hinc tormentarii milites, hinc equites stragem faciunt. hostes acriter eos repellunt nonnullosque etiam ex nostris et in his quattuor equos interficiunt, sed tandem iugo pulsi, interueniente etiam proelio nocte, ad planum descendunt. insequenti die Ruminaguius aciem instruit et in 7 Hispanos pleno gradu inducit. qui in eam ex iugo, sequentibus Cannariis sociis, sese intulerunt. ceterum equites, qui numero tantum erant octoginta, ab utroque latere impetum in hostes faciunt et, cum in plano aequoque loco equos quo uellent flectere ac reflectere possent, multos ex Indis pedibus equorum proterunt, multos hastis confodiunt. Quitiani more suo uociferantes tela coniciunt, hunc atque illuc discurrunt. eos Benalcazar cum tormentariis peditibus repellit et Cannarii suas iniurias ulcisci acriter contendunt. ingens fit caedes et hostes, cum iam uim Hispanorum ferre non possent, pugnando in iuga se paulatim recipiunt. Benalcazar insidias abstrusas ueritus milites, ne insequerentur eos, continuit. at 8 Ruminaguius iam non amplius fortunam proelio temptare, sed ut Hispanos circumueniret suis artibus et fraude et insidiis agere decreuit. itaque, castris in praealto loco positis, scrobes in planitie obliquis ordinibus fodi et taleas ab summo praeacutas et praeustas in eas ita demitti ut tribus aut quattuor tantum digitis a terra eminerent easque ad occultandas insidias uirgultis et stipibus con-

7 inducit *correxi* : induxit PA | in eam P : eam A | proterunt A : protexunt P | hastis P : hostis A | illuc A : illunc P || 8 stipibus P : stripibus A

tegi iubet, ut equi uestigio suo afflicti haererent, aliique super alios et ipsi et homines occiderent atque uolutarentur. his dispositis, Indos in aciem producit pugnandique copiam facit. at Benalcazar a perfugis et captiuis certior factus agmen circum iuga, ut ab alia parte adoriretur hostes, ducit. 9 illi, conuersis signis, in Quitum contendunt et uia regia atque aliis uiis, quibus Hispanos in urbem uenturos putabant, scrobiculos ferme contiguos instar equinarum ungularum faciunt herbisque tegunt, ut equi prolapsi iactandis in continendo ungulis aut secarent et perfringerent eas aut ueluti pedica capti haererent. ceterum irritae et degeneres insidiae fuere; nam Benalcazar, fraude per indicem cognita, accurate et prudenter cauit ne in eam rueret breuique eam prouinciam usque ad 10 Quitum perdomuit. eo cum Ruminaguius rediisset, uxoribus dixisse fertur ut laetae essent; iam Hispanos, quibuscum se oblectare possent, uenire. quaedam facete dictum risu excipiunt; ridentes Ruminaguius iugulat. multam et splendidam Atabalipae supellectilem exurit et cum reliquis coniugibus (plurimas enim habebat) urbe excedit. postero die Benalcazar desertum ingreditur Quitum nec tantum auri et argenti quantum sperabat se inuenturum 11 reperit. at Ruminaguius paenitentia quod Quitum deseruisset ductus uigilia eius noctis tertia urbem inuadit et incendit et, cum ad arma conclamatum esset, incendio facto, nullo Hispanis illato detrimento, celeriter effugit.

51 Dum haec in Quitia geruntur, Cuschi renuntiatum est Quinquizium legatum in Condesuia Paulum Guai-

aflicti PA *cf. in editione Oxoniensi adnotationem ad Liu. 21.35.12* : affícti *To.* || 9 continendo] *cf. adn. ad Liu. 21.36.8 et Gómara 234b*

51 1 Paulum *correxi, cf. e.g. 4.10.2., 7.107.1* : Paullum PA

nacapae filium, diademate capiti imposito, Hingam appelauisse praedasque hostilem in modum agentem iter in Xauxam, ut impedimenta diriperet Hispanorum, conuertisse; insuper Petrum Aluaradum Guatimalae praefectum a Caesare obtinuisse ut Perurae regiones ultra Pizarri praefecturam sitas exploraret atque subigeret. hoc Pizarrus periniquo tulit animo statimque Sotum cum quinquaginta militibus, ut Quinquizium e Condesuia pelleret, et Almagrum cum alio equitatu, ut Xauxam tueretur et Aluaradum Perurae prohiberet aditu, misit, Ioannemque et Consaluum fratres cum equitibus triginta eos subsequi iussit. ceterum Quinquizius iam in Xauxam transierat, parumque ibi cunctatus, propterea quod Hispani qui in praesidio a Pizarro illic erant locati strenue se defendissent, uiam in Quitiam direxerat. Sotus uero et Pizarri fratres et Almagrus, cum in Xauxa coniunxissent, Quinquizium per multa passuum milia nequiquam sunt persecuti. itaque illi Cuschum redierunt et Almagrus in Piuram perrexit. qui, cum illic inquirendo nihil certi de Aluaradi classe reperiret, in Quitiam penetrauit et, accepto a Benalcazare exercitu, regulos quosdam qui adhuc erant in armis domuit et loca quaedam in iugis longo conclusa muro et in arcis modum munita expugnauit. 2 3 4

52 Ceterum Petrus Aluaradus, ut ex Garsia Holguino, quem ad explorandam Perurae oram cum duabus miserat nauibus, intellexit Cuschum extra Pizarri praefecturam esse positum et ipsum, deuicto atque capto Ataba-

sitas P : -tos A || 2 prohiberet P : et A || 3 cunctatus P : enunciatus A | multa P : nulla A

52 1 Garsia P (*cf. e.g. 4.7.1 et Calu. Aphr. passim*) : Garcia A

lipa, regalibus affluere diuitiis et Quitiam perinde ac Cuschanam prouinciam auro abundare, cum instructa
2 quinque nauium classe in Nicaraguam nauigauit. inde, captis duabus nauibus, quae milites et equos in Peruram ad Pizarrum transportabant, in Portum Veterem cursum tenuit, eoque libentius illi milites eum sunt secuti, quod in Peruram tendere uiderent. qui statim ut in Portum Veterem applicuit, quingentos Hispanici generis milites et plerosque equis et armis ornatos in ter-
3 ram exposuit. ab eo portu Aluaradus cum agmine iter pedibus et equis in Quitiam est ingressus et id ipsum summo cum labore et uitae discrimine fecit agmenque per eam regionem duxit quae sub aequatore et solis ardore exusta plane sterilis est et montibus et frequenti-
4 bus siluis sine fluminibus impedita. iam siti homines et iumenta (tantus erat aestus!) absumebantur, cum ad ingens harundinetum est uentum. erant harundines illae procerae et crassitudine feminis et in singulis internodiis singulos aquae dulcis et salubris sextarios ingenioso prouidae sollertisque naturae miraculo continebant. ea sitim, equorum carnibus, quos iugulabant, etiamsi non minoris binis aut ternis aureorum milibus singuli equi
5 tunc uenderentur, famem depulerunt. et quamuis ingentem smaragdorum numerum inuenirent, tamen et his et aliis commodis caruere, quippe cum plerosque smaragdos, quod eos uitreos aut adulterinos putarent, marculis contuderint et sarcinas auri et argenti, quod iter imperuium ferro esset aperiendum, inter densissima relique-
6 rint nemora. quin ad reliquos hic quoque labor eunti-

4 (tantus erat aestus!) *sic distinxi* | crasitudine A : orasi- P | aquae P : equae A || 5 imperuium P : imperiũm A

bus per uastas solitudines Hispanis accessit, multis enim diebus cinis decidit terroremque non paruum iniecit: primum nubes inusitata et magnitudine et specie apparuit, quae ex Quitia orta et in altum efflata quibusdam ramis longe lateque est diffusa. et ea quidem nunc candida, nunc sordida et maculosa, prout terram sustulerat aut cinerem, uidebatur. deinde crepitus et horrisoni fragores audiebantur cinisque incidebat. et quo propius in Quitiam accedebant eo magis horribiles fragores erant et cinis calidior et mixtis pumicibus densior. iam 7 intolerabilem sulpuris odorem ferre non poterant et leuium et exesorum pumicum casum metuebant. hoc postea cognitum est ex monte qui Volcanus appellatur oriri. is ab urbe Quito milia passuum quinque et uiginti abest, haud procul a Mulahali deuersoriis et in tantum flagrat ut flammae longissime latissimeque conspiciantur et fragor ad milia passuum quadringenta perueniat. cratere fauillam procul etiam feruentem eructat et pumices ac nigros ambustosque et fractos igne lapides euomit. ferunt etiam maximam illius regionis partem eius montis sulpurei incendiis fuisse consumptam. peruentum est tandem, ut calorem rigore tempera- 8 rent, ad iugum perpetuis obductum niuibus, ingensque Hispanos, cum tantum niuis sub aequatore cadere cernerent, admiratio cepit. foeda hic hominum et iumentorum strages fuit; septuaginta enim Hispani niue et pruina obriguerunt et in his mater quaedam cum duabus filiabus. quas cum uir eius consedisse prae lassitudine

6 propius A : proprius P || 7 Mulahali P : Mulahah A | longissime latissimeque P : longissimae latissimaeque A | ambustosque P *(cf. Plin. Ep. 6.16.11)* : comb- A

respiceret nec eis opem ferre posset, maluit simul cum
9 ipsis gelu rigere et interire quam euadere. reliqui milites partim currentes nec alii alios exspectantes, partim totum sagati et bracati corpus et, nisi qua uidebant, etiam ora uestiti saltum superarunt et in Quitiam peruenerunt terram atque aurum, quod tam auide quaerebant, exsecrati.

9 exspectantes P : spect- A | peruenerunt P : **peruenerunt A, *unde* superuenerunt *To.* | exsecrati *correxi* : execratis PA

LIBER QVARTVS

Quitia montosa est et aspera et niuosis iugis et his quidem altissimis referta, sed ualles in ipsa sunt, quas Indi incolunt, fertiles et temperatae. ea se in longitudinem circiter milia passuum trecenta extendit et in latitudinem paulo minus centum et uiginti patet. in hanc regionem Aluaradus, cum iam milites fame et frigore paene confecti pristinas uires recepissent, incursiones facit. Zopacopaguium regulum, qui cum magna Indorum turba, ut Hispanos aditu prohiberet, obuiam ei occurrerat, in iugo cautibus praerupto et muro circumdato eodem tempore obsedit quo Almagrus, flumine Riobambae uado traiecto, Puruaos eius uallis cultores, qui pontem exusserant, proelio uicerat eorumque regulum ceperat. is Almagro rettulit ducem quendam Hispanum cum quingentis militibus haud amplius bidui itinere inde abesse eumque rupem, quam Indi tenebant, oppugnare. Almagrus existimans eum ducem fore Aluaradum, qui per Quitiam in Peruram ueniret, septem equites mittit, ut id caute explorarent et ad se quam primum referrent. qui cum in eam partem quam indicauerat regulus excurrissent, ab exploratoribus Aluaradi correpti deductique ad eum fuere. quos ille, statim cum ab eis intellexisset Almagrum ad Riobambam castra habere, 1 2 3

1 1 montosa A : *post* mo- *nihil legi potest in* P | temperatae A : -ta* P || 2 paene *scripsi, cf. 1.15.2, 1.22.4, 4.20.1, 4.23.4. et Martos 119* : bene PA | confecti P : -ta A | Zopacopaguium *correxi coll. Zárate 482a* : Zopacopagium P : Topacopaguium A | Riobambae A : Riobamba P | Puruaos *correxi, cf. 6.58.3 et Cieza 393a* : Paruaos PA || 3 oppugnare A : -ret P | fore P : foret A

4 dimisit. hi e uestigio ad ipsum reuersi eum ducem Hispanum Petrum Aluaradum esse duploque maiorem militum numerum quam eum habere renuntiant. Almagrus, ne fortunam amplius periclitaretur, Cuschum repetere et Benalcazarem cum praesidio, ut prouinciam 5 defenderet, relinquere statuit. dum in Riobambae hospitiis, in quibus tunc ille erat, haec parat et decernit, Philippus Pochensis interpres cum regulo quodam et aliis Indis ad Aluaradum transfugit. is, scopulo quod obsidebat relicto, in Almagrum, ut eum Quitia expelleret, 6 iam mouerat. quid ille ageret, quid decerneret et quot milites haberet Philippus Aluarado exponit et facile insequenti die, si se duce itineris uti uellet, Almagrum delere posse; tantum inter utriusque castra uiginti milia intercedere ipsumque in Riobambae deuersoriis considere. ad haec promittit se in sententiam suam et ad eius amicitiam regulos Quitiae traducturum: iam id ipsum curauisse et eum regulum secum duxisse. Aluaradus ea re maxime laetus signa in Almagrum infert.

2 Qui cum aduentum eius <per> speculatores cognouisset nec sine insigni nominis sui nota Quitiam deserere posset, pedestri hostes certamine excipere et rem fortunae committere decreuit. itaque necessaria re coactus milites in duas partes, quarum unam Benalcazar, alteram ipse habuit, intra macerias quasdam haud procul Riobambae hospitiis constituit, ne ab equitatu 2 circumueniri possent. Aluaradus ut in Riobambae con-

4 reuersi P : seuersi A ‖ 5 mouerat A : nouerat P | *post* mouerat *plene interpunxi* ‖ 6 delere P : deleri A *fort. recte* | posse *correxi* : posset PA

2 1 per *add. To.* | ne A : nec P

spectum peruenit et hostes inter macerias consistere nec se inde mouere, sed animo esse obstinato atque firmo uel uincendi uel fortiter occumbendi animaduertit, paululum substitit. deinde constitutis signis ad colloquium Almagrum euocat. ipse inter primores cum paucis procedit. hoc Almagrus facit et quem quisque notum aut municipem habebat conquirit atque euocat. Caldera etiam iuris consultus Hispalensis colloquio interuenit. is duces ad pacem cohortatur: iniquum esse homines necessarios et consanguineos et eiusdem nationis atque gentis arma inter se conferre; quod si facerent, Caesarem id aegre habiturum. Aluaradus Almagri animum uel bello uel paci paratum admiratus indutias, ut de pace ageretur, in proximum diem fecit. quo foedus inter duces ictum salutatioque inter milites et una castra ex binis facta. condiciones pacis inter ipsos hae fuere, ut Aluaradus classem, bellicum apparatum, equos, milites Almagro traderet et in Guatimalam rediret nec Pizarro et Almagro uiuentibus in Peruram ueniret, hic uero et Pizarrus centum aureorum milia Aluarado numerarent. hoc ut ratum firmumque foret, iure iurando sanciunt et ut esset ea res tunc occulta cauent, ne milites Aluaradi, quorum magna pars erat ex nobilibus, cum nullam sui rationem habitam uiderent, tumultum excitarent. et ne suspicari quicquam possent, Calderam prodere omnibus iubent ipsos duces inter se ita conuenisse, ut Pizarrus et Almagrus bellum terra cum Indis

3 4 5 6

2 uincendi A : uicendi P | paululum A : pualulum P || 3 *post* procedit *sic distinxi* | notum P : notam A | necesarios A : necessa***s P || 5 hae A : haec P | sui P : fui A | tumultum P : tumullum A || 6 iubent: A : iubenti P

et gererent et conficerent, Aluaradus oram Perurae classe perspiceret et exploraret et his qui sub Benalcazare merere uellent facultatem daret.

3 His rebus constitutis, Almagrus regulum illum et alios Indos qui ad Aluaradum perfugerant uiuos combussit idemque de Philippo Pochensi, ni ueniam culpae 2 Aluaradus impetrasset, supplicium sumpsisset. Benalcazarem, ut Quitiam defenderet atque administraret Indosque in officio contineret, cum praesidio firmo reliquit. complures etiam ex Aluaradi militibus cum eo 3 manserunt. et Benalcazar quidem cum Indis saepe conflixit, sed praecipue ad Theocaxas et proelio certe adeo ancipiti in uasta quadam planitie, ubi ea deuersoria sunt posita, ut neutra acies umquam inclinarit et neutra pars uictoriam detulerit. nam et feminae simul cum uiris tanto ardore contra Hispanos pugnarunt, ita strenue tela in hostes coniecerunt ut ne ipsis quidem militibus ces- 4 serint. sed eos tandem Indos Benalcazar perdomuit et Quitiam in prouinciam redegit et Quitum, quod exusserat Ruminaguius, condidit Hispanorumque coloniam in ea urbe imposuit.

4 Ceterum Aluaradus et Almagrus reliquam exercitus partem ab Riobamba per Cannarios in Piuram ducunt et ab eius gentis regulo certiores fiunt Quinquizium cum militum quindecim milibus et ingenti praeda statim eo uenturum nihilque ad circumueniendum et opprimendum eum esse negotii: se una cum exercitu eum 2 in manus ipsis traditurum. uerum cum reguli dictis fi-

3 3 coniecerunt P : contecerunt A || 4 Ruminaguius A : -gius P
4 1 eum *ante* esse A : cum P

des non exstitisset, e Cannariis iam progressis Hispanis per exploratores nuntiatur Sotaurcum Quinquizii ducem cum duobus Indorum milibus angustias quasdam occupare uelle; ad quas qui prior peruenisset, ab hoc hostem facile propelli uel capi posse; rem in celeritate esse. praecurrit Aluaradus cum sexaginta equitibus priorque iter conficit et Sotaurcum, fusis Indis, capit. ab hoc cognitum est Quinquizium interuallo uiginti 3 milium abesse eumque hoc ordine iter facere, primum agmen ad explorandum procedere, aliud ad dextram et aliud ad sinistram ad expediendos commeatus circumire, ipsum Quinquizium inter haec cum acie et impedimentis incedere nouissimumque postea agmen subsequi atque ita eius exercitum diuersis agminibus magnum terrae spatium in itinere longe lateque singulis complecti diebus. Aluaradus, capto in angustiis Sotaurco et In- 4 dis partim caesis, partim in fugam uersis, ut Quinquizium etiam opprimeret, quam celerrime potest inde progreditur. ualles maximas ac difficillimas, nullo intermisso tempore, transcendit, nisi eo quo ad secundam noctis uigiliam in descensu iugi saxis impedito necesse fuit equis soleas, quibus erant exuti, induere atque eos reficere. iam albente caelo, Aluaradus pergit et, quamquam uiarum difficultas agmen tardabat, tamen sub solis occasum in conspectu hostium fuit. Quinquizius, ut 5 Hispanos prope adesse cognouit, Guaipalconem Atabalipae fratrem et strenuum adulescentem in excelsum iu-

2 *interpunctionem post* nuntiatur *sustuli* : *leuiter distinxit To.*, *grauiter* PA || 4 partim in fugam uersis, ut Quinquizium *om.* A | quo ad *correxi* : quoad PA | impedito P : impedimento A | reficere P : -ret A || 5 excelsum P : exulsum A

gum quod in ipsa erat uia cum acie mittit. hoc milites magno cursu concitatos eo consilio occupare iubet, ut ipse cum coniugibus et sarcinariis Indis mutato itinere
6 Quitum iugis perueniret. itaque confestim ipse uia deflectit et Guaipalcon propere iugum conscendit et idoneis milites locis disponit. hi in equites, qui iam ascendere nitebantur, immania deuoluunt saxa et e superiore loco tela conicientes nostros propellunt et uulnerant et
7 simul cum equis nonnullos saxis prosternunt. Almagrus certamini interuenit iugumque circumiit, ut hostes a tergo adoriretur et intercluderet, sed cum iugum utraque ex parte praeruptum et directum esset, pedem referre et loco excedere, quod detrimentum acciperent, milites coguntur. itaque duces, cum iam sol occideret, equites ad sese recipiunt et uulneratos curare iubent. eo etiam die quattuordecim pedites Hispani, qui de uia militari declinauerant, ab Indis agminis sinistri occidun-
8 tur. ea autem nocte Guaipalcon, cum se intercludi et commeatu deficere uideret, iugum deseruit et Quinquizium est secutus.

5 Postero die Hispani iugum transcendunt et ad ingens usque flumen procedunt, cuius ripam oppositam Indi agminis nouissimi ad tria milia, ut nostros transitu prohiberent, custodiis ubique dispositis, tenebant et facile propter ipsius fluminis naturam et aquae magnitudinem
2 eis traiectum impedire poterant. itaque equites in duas partes sese distribuunt, alii Aluarado duce flumine secundo, alii aduerso cum Almagro uadum quaerunt. qui temere cum eo progressi se in locum iniquum coniciunt et sub montem succedunt, in quo hostes, qui expedite

consilio P : conci- A || 7 agminis A : -mini P

transnauerant, iam consistebant et equites premebant nullumque telum frustra in eos mittebant. parum tunc 3 afuit quin Almagrus interficeretur, qui, cum equites grauius ab Indis premi uirtuteque et patientia uulnera sustinere conspiceret nec ullum ab Aluarado subsidium posse submitti intellegeret, ex equo cum integris celeriter desilit et simul cum his gladiis destrictis aduersus montem in eos impetum facit et multos deicit. reliquos se conuertere cogit et ex angustiis egressus cum equitibus ad Aluaradum se recipit. qui nequiquam uado re- 4 perto agmen traducere est conatus; acriter enim, detrimento etiam illato, hostes eum propulerunt. eo die uario certamine utrimque pugnatum est: ex nostris pauci interfecti et nonnullis equis amissis multi uulnerati fuerunt et in his Alfonsus Aluaradus. ex Indis multo plures tormentis traiecti ceciderunt. qui de tertia uigilia montem excelsum et saxis praeruptum conscenderunt et quam maximum captiuorum et sarcinarum lanigerique pecoris numerum ad montis radices reliquerunt. Hispani sine ullo impedimento flumen uado pridie re- 5 perto traiciunt, captiuos dimittunt, sarcinas comburunt, pecus, quod Soli esset dicatum, abigunt et in Peruram contendunt.

At Quinquizius, cum se illi cum omnibus copiis **6** Guaipalcon iunxisset, in Quitiam ingressus uno atque altero proelio infeliciter cum Benalcazare conflixit et, cum regredi, ut copias suppleret, retro uellet, a Guaipalcone et aliis ducibus in eum est conspiratum. hi ip- 2 sum adeunt et circumstant et Guaipalcon eius conspira-

5 4 eum P : cum A | interfecti A : interfecit P || 5 uado pridie reperto *ante* flumen *iterat* A

tionis princeps maxime urget et instat ut aut pacem cum Benalcazare faciat et foedus sanciat aut rem quam primum fortunae committat: satius esse strenue pugnando manibus Hispanorum, qui plane inuicti essent, occumbere quam ignaue fame siti et frigore in solitudi-
3 nibus perire. ille acri eos uultu intuetur et, ni se itineri sine mora accingant, mortem comminatur et grauissimis contumeliis insequitur. hoc Guaipalcon non ferens et Guascaris Hingae fratris sui caedem ulcisci cupiens hasta quam manu gestabat pectus Quinquizii traicit. alii undique bipennibus, clauis, iaculis et aliis telis eum petunt atque dilacerant. hunc uitae exitum Quinquizius Atabalipae ducum clarissimus atque fortissimus habuit.

7 Iam uero Aluaradus et Almagrus, statim ut in Piuram peruenerunt, hic Didacum Moram, ut classem acciperet, ille Garsiam Holguinum, ut ipsi eam traderet, in Portum Veterem misit. interim Almagrus tam suis quam Aluaradi militibus multa et uaria munera contulit, aliis uestimenta et pecunias, aliis equos et arma dedit. deinde, cum Didacus Mora in Paitam cum classe applicuisset, ipse et Aluaradus ad Pizarrum, qui ex Cuscho in Xauxam et ab ea in Pachacamam uenerat, se
2 contulerunt. qui in ualle Chimia ab Lima milia passuum trecenta et uiginti distante substiterunt. in ea Almagrus ad ripam fluminis Trugillum, sicuti ei iniunxerat Pizarrus, condidit urbique Michaelem Astetum praefe-
3 cit. inde in Pachacamam cum Petro Aluarado peruenit. eum Pizarrus in summo habuit honore et praeter cen-

7 1 hic P : hec A | ipsi A : ipsis P | equos P (*cf. Gómara 236b*) : aequos A | Cuscho P[2] : Cusctio P (*ut uid.*) A | et *ante* ab *om.* P

tum aureorum milia, quae statim ei dissolui mandauit, multis ornauit muneribus, quamquam non defuere qui Pizarrum inducere conarentur ut Aluaradum catenis constrictum et in nauim impositum ad Caesarem mitteret, propterea quod nullo iure in eius praefecturam armis inuasisset duasque etiam naues in Nicaragua cepisset; adeoque classem minoris dimidio quam ipse tam profuse daret ualere et Almagrum tantam summam metu perterritum, cum se impari congressurum numero cum Aluarado uideret, promisisse. Pizarrus, non admissis improborum hominum calumniis, Almagri socii fidem liberauit et Petrum Aluaradum dimisit. is cum paucis qui eum sunt secuti in Guatimalam est reuersus. reliqui milites in Perura manserunt et in his quattuor Aluaradi Didacus et Gomezius, hic Petri Aluaradi frater, ille patruus, et Alfonsus et Ferdinandus fratres germani et Garcilassus Vega et Ioannes Saauedra et alii equites, qui postea in praestantes duces euasere. Pizarrus curam et procurationem regendi tuendique Cuschi, ut hoc munere eius animum deuinciret, Almagro commisit. 4

Eo cum multis Hispanis in eam urbem profecto, ipse ex Pachacama ualle, cuius templum diripi euertique imperarat, in Limam uallem amoenam atque fertilem processit. qui cognita loci natura, quod is propter Callaum tutum atque tranquillum portum milibus passuum octo 8

3 conarentur P : connaretur A | nauim P : nauem *To.* : narum A | propterea A : -tera P | adeoque *scripsi* : ideoque PA || 4 Patruus A : Petrus P | deuinciret P : -ceret A

8 1 eam *corr. To.* : ea PA | ipse A : ips P | imperarat A : imperat P

inde distantem commodus et aptus hominum et rerum commerciis foret, Ciuitati Regum condendae ad ripam
2 amnis eiusdem nominis atque uallis fines designauit. is dies festus et solemnis trium Regum Magorum, unde nomen urbi factum, eius erat anni Christi qui millesimus et quingentesimus et tricesimus quintus agebatur. in hac urbe, quae Lima etiam uocatur, Pizarrus colonos Xauxae collocauit et his et aliis Hispanis, qui nomina,
3 ut deducerentur in eam, dederunt, agros assignauit. eodem anno Petrum Patiecum centurionem in Portum Veterem, ut illo colonos deduceret eisque agrum diuideret, Pizarrus misit. hoc etiam ipse Trugilli fecit, cum per idem ferme tempus eo uenisset, eamque urbem exstruendam in monumentum Trugilli Hispanici natalis soli sui curauisset.

9 Ceterum Almagrus certior in itinere factus Caesarem aliam ei post Pizarri praefecturam decreuisse Cuschumque extra illam esse, nulla Pizarri ratione, ut decuit, habita, nullo nomine, nullo iure (nondum enim diploma regium acceperat) urbem prorsus occupare instituit
2 statumque eius mutare temptauit. sed cum senatus et plerique ciues tum maxime Ioannes et Consaluus et Franciscus Martinus Alcantarensis Pizarri fratres uanis eius conatibus restiterunt. at Ferdinandus Sotus et alii, quorum uoluntates largitione ipse redemerat, strenue Almagro fauebant. itaque subito ciuitas in duas est diuisa partes et magnis res contentionibus est acta saepeque ad manus uentum initiumque inde bellum quod

2 et *ante* aliis *om.* A || 3 illo A : illos P | ipse *corr. To.* : ipsi PA

9 1 (nondum ... acceperat) *parenth. statui*

postea est secutum ciuile habuit. hoc Pizarro quam celerrime nuntiatur, qui eo ipso tempore erat Trugilli colonisque agros dederat. is noua re perturbatus Melchiorem Verdugum Abulensem magnis itineribus in Cuschum contendere iussit, ut Almagro imperium abrogaret et procurationem moderandi defendendique Cuschi, quam ei commiserat, Ioannes et Consaluus Pizarri susciperent. Verdugus itinere et die et nocte continuato et Indis frequenter ad celeritatem mutatis Cuschum peruenit et Almagrus sponte sua se magistratu abdicauit. nec multo post Pizarrus Cuschum est ingressus aduentuque suo omnia composuit et ciuitatis statum in pristinum ordinem redegit Almagroque propter summa in se merita crimen in quod incurrerat benigne condonauit. rursus ambo ad amicitiam sociali foedere iungendam et iure iurando sanciendam coeunt. et cum uterque ritu Christiano in contione iurasset neutrum alteri aduersarium umquam futurum et utrumque pactiones inter se factas seruaturum, Pizarrus ita constituit, ut Almagrus ad explorandam Chiliam iret et in eam proficiscens milites quos uellet Hispanos scriberet armaretque ac secum duceret. quod si eam regionem auro et argento, ut Indi asserebant, scatentem reperiret, se summe operam daturum ut eam ipsi Caesar decerneret; sin minus, Perurae praefecturam in duas diuisurum eique alteram daturum. at uero Almagrus fertur se suumque caput atque animam hac condicione deuouisse, ut si eo ipso tempore et deinde uiribus omnibus, mente, animo, cura et uigiliis nihil nisi de seruandis pactionibus laboraret, tum iter in Chiliam ex sententia succede-

(margin section numbers: 3, 4, 5, 6)

5 summa P : summam A || 6 nisi *om.* A | laboraret P : laboret A

ret uenisque auri et argenti eius prouinciae frui liceret; sin autem suas cogitationes ad id intenderet, ut foedera frangeret atque a centum passuum milibus, etiamsi Caesar eam sibi prouinciam decerneret, ad Cuschum accederet et contra Pizarrum ueniret, perpetuum dolorem
7 auulsus ab hominum conspectu sustineret. pactiones certe inter ipsos confectae aequae et utiles erant, nisi perfidia et periurio eas ipsi perturbassent.

10 Pizarrus, compositis Cuschi rebus, Ioanni et Consaluo fratribus curam gubernandi et tutandi Cuschi commisit et in Ciuitatem Regum, quam exstruebat, est reuersus. inde Alfonsum Aluaradum, ut Chaxapoias Perurae montanae Indos, qui a Trugillo milia passuum circiter trecenta absunt, subigeret, cum ducentis Hispa-
2 nis misit. Almagrus autem, Ioanne Rada Cuschi relicto, ut ibi et Limae milites conscriberet, cum sescentis ferme Hispanis et Indis auxiliaribus et sarcinariis Paulo Hinga et Villaoma sacerdote Solis maximo et Philippo Pochensi interprete ducibus in Chiliam contendit et Ioannem Saauedram Hispalensem, ut itinera exploraret et commeatus expediret, cum centum equitibus prae-
3 mittit. is in Charcis Gabrielem Roiam Collarensem oppresisset, quod eam regionem Pizarri nomine exploraret atque peragraret, ni ille propere alio se itinere in
4 Cuschum recepisset. in Charcis Saauedra legatis Chiliae occurrit, qui uectigalia eius prouinciae ad Guascarem Hingam (nondum enim in Chilia cognitum erat eum

10 1 Alfonsum A : -sus P | Chaxapoias *correxi, cf. e.g. 3.49.5, 6.4.1* : Chacha- P : Cacha- A || 2 sarcinariis P : -noriis A | et commeatus expediret *om.* A || 3 Roiam P[2] : Roxas A : Ro*as P | ni A : in P || 4 (nondum enim ... amisisse) *sic distinxi*

uitam cum imperio amisisse) Cuschum portabant. laterculi erant ex auro puro centum et quinquaginta aureorum milibus aestimati. Almagrus militibus aurum diuisit et Chilienses secum duxit. ea res animos omnium erexit et ad labores perferendos milites alacriores promptioresque effecit.

11 Sed Almagrus multos ex his militibus proeliis, quae cum robustissimis Indis et sagittariis expeditis fecit, in Charcis et aliis regionibus amisit. multos fames et sitis in uastis solitudinibus absumpsit. 2 uerum multo maior in transitu montium, quos perpetuis obduci niuibus supra demonstratum est, strages et uisu quam dictu foedior est facta. nam totum paene agmen nouissimum, quod Rodericus Decius ducebat, non tam intolerabili frigore quam ui et natura aeris gelidissima in hominum et iumentorum artus penetrante in summo obriguit iugo paucique ex his Decio duce, qui euaserat sed sine manibus et sine pedum digitis, in Chiliam intrauerunt. 3 quin etiam omnes, nisi Almagrus, re per indicem cognita, praecauisset, proditione Pauli et Villaomae et Philippi Pochensis in Charcis occubuissent. hi enim, antequam Cuscho discessissent occultis cum Mango Hinga consiliis habitis egerant ut ipse Cuschi, Limae, Trugilli et Piurae ac demum in uniuersa Perura uno die Hispanos necandos curaret et se, oblata in itinere occasione, Almagrum cum aliis Hispanis circumuenturos. 4 quam rem cum illi, commisso cum Indis sagittariis proelio, nequiquam temptauissent, in Cuschum profugerunt. at

animos A : animas P

11 1 robustissimis P : robut- A | *post* amisit *interpungit tantum* P || 3 hi A : hic P | Almagrum A : -grus P

Philippus ex itinere ab equitibus retractus et uiuus in membra discerptus meritas perfidiae et proditionis in Atabalipam regem et Hispanos poenas dedit. Almagrus, superato saltu niuoso, ad Chiliae fines peruenit.

12 Ea regio ab septentrione in austrum mari austrino obtenditur et tum plana tum montosa est, sed uniuersa eximie culta et fertilis et perinde ac Hispania Baetica conuersionibus caeli temporum et anni diuersis atque oppositis temperata, siquidem ubi est illic dies, hic nox et ubi illic hiems et uer, hic aestas et autumnus. 2 ea auro et argento est refertissima et pecore lanigero tam domestico quam siluestri et aliis feris et struthocamelis maxime abundat. qui tanta celeritate saltibus per planitiem currunt ut nisi dispositis per interualla equis capi non possint. hic et uenti spirant et imbres cadunt et amnes, niuibus solis uapore liquescentibus, interdiu in mare defluunt, noctu luna et rigore aquis concretis subsidunt. 3 Chilienses pulchri sunt et proceri. lanis et pellibus ferarum et uitulorum maris uestiuntur. uictus eorum et mores et sacrorum caerimoniae haud dissimiles sunt Peruranis. arcubus et sagittis in bello et uenatione utuntur, quibus ingenti numero armati cum praefectis ad prouinciae fines conuenerunt, ut eos defenderent et Hispanos, qui iam ad Copaiapum amnem et portum accesserant, aditu transituque prohiberent. hic cum nostris illi frequentibus proeliis decertabant.

4 membra *correxi* : membro PA | meritas P : -tos A | poenas P : pomas A

12 1 eximie *corr. To.* : -miae PA | diuersis P : diuissis A | uer P : uix A || 3 Peruranis *scripsi* : Perurarum PA

13 Dum haec ad Chiliam geruntur, Ferdinandus Pizarrus ex Hispania in Ciuitatem Regum uenerat et quam illustri titulo Franciscum Pizarrum Caesar ornauisset quantumque ei detulisset palam dixerat et regium diploma, quo Caesar Noui Toleti praefecturam Didaco Almagro decernebat, Ioanni Radae, qui tunc aderat Limae, dederat, ut illud Almagro perferendum curaret. is, diplomate accepto, in Chiliam se ad eum contulit. 2 Ferdinandus Pizarrus, quo maiorem gratiam Caesari iniret, eam partem a militibus Hispanis quae singulis ex Atabalipae redemptione obuenerat omni studio extorquere contendit, quippe qui assereret eam, propterea quod Atabalipa rex fuisset, ad Caesarem non ad praefectum et milites pertinere. hi se quintam partem, quae iure ad ipsum pertineret, iam dedisse et nihil aliud daturos responderunt. 3 at Franciscus Pizarrus, cum ille in id pertinaciter insisteret et res ad seditionem atque defectionem spectare uideretur, fratrem monet ut aliam exigendi tributi uiam, qua gratificaretur Caesari, quaerat: eam iniquam esse nec se quod militibus dedisset et quod illi summo labore et sanguine suo conquisiuissent adempturum. 4 tunc Ferdinandus petiit ut ex auro et argento quod Hispani conflarent aliquid uectigalis nomine Caesari conferrent. et cum ab ea re ipse non desisteret in odiumque omnium ueniret, praefectus Pizarrus eum cum imperio Cuschum misit.

14 Per idem tempus Mangus Hinga, cum in suspicionem, quod a Caesare deficere temptasset et cum Paulo fratre et

13 2 Caesaris A : Caesari P | omni A : amni P || 3 quaerat *correxi* : querant PA | nec *scripsi* : ne PA || 4 tunc P : hic A | cum *om.* A

Villaoma et Philippo Pochensi in Hispanos coniurasset, <ueniret>, catenis constrictus in arce regia custodiebatur. is Ioannem Pizarrum, qui tunc cum Collis et aliis Indis montanis bellum gerebat, uehementer orat ut se, antequam Ferdinandus Pizarrus Cuschum ueniret, e uinculis solueret. id tandem magnis precibus et pollicitationibus impetrat, quippe promiserat rituque patrio iurauerat se praefecto Pizarro atque Hispanis amicum 2 et fidum socium deinceps futurum. interim Ferdinandus Cuschum peruenit et cum eo Mangus amicitiam contrahit et, ut ipsum aliquo pignore deuinciret, muneribus explet. quin etiam pollicetur se ingentem et solidam Guainacapae patris statuam ex auro puro, ut eam ad Caesarem mitteret, ex Hiuncaia ualle amoenissima et arce regia et amplissimis Hingarum hospitiis ornatissima, quae a Cuscho milia passuum sedecim abesset, portaturum, si potestatem sibi abeundi faceret, ut non solum interesse sed praeesse etiam anniuersario et solemni 3 festo posset quod in ea ualle celebraretur. potestate facta, Mangus in Hiuncaiam discedit, Pizarros et Hispanos irridet atque exsecratur et cum regulis qui illic aderant consilia sua communicat et alios ad se euocat. omnes cum Mango in Hispanos coniurant et ab eis deficiunt. euocati confestim cum ingenti militum numero et commeatuum copia undique conueniunt. nam Mangus et antequam caperetur et cum in uinculis esset, sementes fieri, arma parari, milites cogi ita occulte et caute cu-

14 1 Villaoma *correxi* : Villaloma PA : Vilaoma *corr. To.* | ueniret *dubitanter suppleui*; *an* caderet? || 1–2 arce regia ... amoenissima et *om.* A | impetrat P^2 (*in marg.*) : imperat P || 2 arce A : arae P || 3 Hiuncaiam P : Hiucaiam A

rauerat ut numquam Hispani insidias sibi ab eo tendi cognouerint ac ne senserint quidem. omnibus copiis sine 4 mora coniunctis, primum Mangus Hispanos qui in auri argentique fodinis erant et operarios et sarcinarios Indos qui ipsis ministrabant crudelissime necare iussit. deinde ducem quendam cum ingenti Indorum multitudine Cuschum praemisit. qui ex improuiso prima luce ita urbem est adortus ut in arcem regiam, Hispanis tantae impetum turbae non ferentibus, inuaserit eamque occuparit. sed illi statim se colligunt et acerrime hostes propellunt. hi magnis clamoribus sublatis se coniungunt et firmis animis consistunt increscenteque certamine summa utrimque contentione depugnant, Hispani ut arcem recipiant, Indi ut eam retineant et urbe potiantur. multi ex his uulnerantur et occiduntur. ex nostris pauci cadunt et in his Ioannes 5 Pizarrus eximia uirtute eques capite saxi ictu de nocte in pugna contuso atque fracto. cuius indignam mortem Hispani sane quam moleste tulerunt eamque strenue ulti Indos septimo die ex arce et urbe expulerunt et quam celerrime et ualidissime fieri potuit eam munierunt.

15 Mangus, pulsis ex arce regia Indis, castra ex Hiuncaia mouit et cum ducentis hominum milibus Cuschum obsedit et plurimis locis, ut urbem simul cum Hispanis exureret, incendia fieri mandauit ac templo Deo optimo maximo sacro multis palearum et stramentorum fascibus ei adiunctis ignem inferri imperauit. qui sua sponte restinctus miraculo omnibus fuit. Hispani, tametsi pau- 2

4 *post* quidem *non interpungit et post* coniunctis *plene distinguit* A | sarcinarios P : sarcinos A | Hispanis P : Hispani A | increscenteque A : increcen- P || 5 multi A : muti P | celerrime P : clarissime A

ci numero (centum enim et octoginta tantum sub ducibus Ferdinando et Consaluo Pizarris, Gabriele Roia, Alfonso Enrico, Ferdinando Pontio Legionensi et Alfonso Richelmo aerarii praefecto fuisse traduntur), tamen uirtute inuicta tantam hostium multitudinem sustinebant et urbem fortissime defendebant magnisque detrimentis hostes cottidie afficiebant. eam Mangus plena tantum luna oppugnabat. 3 et sane Hispanis tunc acriter Cuschum propugnantibus ferunt uisum iuuenem humana specie maiorem qui tamquam dux praeiret eosque clipeo protegeret ingentemque gladio fulgente in hostes stragem faceret. nec hoc a uero procul adesse uidetur; nam qui tam pauci Hispani sine caelesti numinis ope et fauore tantae hostium turbae resistere ualuissent? 4 Mangus cum urbem obsidione cinxisset et uniuersa Perura ab Hispanis desciuisset, ut eos commeatibus intercluderet et ne ullum subsidium summitti posset, aditus et angustias uiarum praesidiis impediri custodirique iussit. 5 iam annum Cuschum armis obsessum tenebat et is quidem agebatur millesimus quingentesimus tricesimus sextus, quo nec praefectus Pizarrus Mangum defecisse nec Cuschum oppugnari intellexerat nec Hispani qui in praesidio eius urbis erant interceptis itineribus Limam in tanto etiam esse discrimine sciebant, sed pro certo illi habebant Pizarrum una cum Hispanis quos in colonias deduxisset occisum et Almagrum in Chilia cum exercitu esse deletum.

15 2 (centum ... traduntur) *parenth. statui* | Richelmo *correxi, cf. e.g. 3.29.1, 5.70.1* : Riquelmo PA | oppugnabat P : oppuna- A | *post* oppugnabat *plene distinxi* : *sine interpunctione* PA || 3 sane A : sani P || 5 annum P : amnum A | *post* sextus *plene distinguunt* PA

16 Is tunc ad Copaiapi amnis ripam cum Chiliensibus proeliabatur et non parua animi perturbatione commouebatur, cum iam rumores et quidem constantes ex Perura de Mangi et Indorum defectione et de Hispanis oppressis perferrentur et cum intellegeret ipse non supplementum a Ioanne Rada mitti, non ex Perura Hispanos in Chiliam penetrare posse. 2 terror etiam in militum animos iam inuaserat, sed is Ioannis Radae aduentu protinus est discussus et Almagrus incredibile affectus laetitia, cum ab eo se salutari appellarique Noui Toleti praefectum audiuisset. 3 itaque confestim contionem militum aduocat. se a Caesare Noui Toleti praefectum creatum et illustri decoratum titulo Almagrus exponit et, ut fidem habeant, diploma regium depromi recitarique iubet. deinde rogat ut diligenter perspiciant et statim deliberent utrum magis expediat utileque omnibus sit an Chilienses bello persequi et subigere an in Peruram redire et eam partem quam Caesar decreuisset cum imperio obtinere, in qua ipse daturus esset amplissima periculorum praemia et laborum fructus, quos pro se suscepissent, colonis constitutis et agris inter eos diuisis, praesertim cum ea praefectura auro et argento scateret. 4 plerique hortantur ut quam primum in Peruram reuertatur: bellum cum feris et barbaris gentibus geri nec eas nisi longo tempore, multo labore et magnis copiis debellari; iam quintum mensem ad citeriorem Copaiapi ripam subsistere nec umquam ad ulteriorem tran-

16 1 ex Perura P : Peruram A || 2 inuaserat *uel* inuaseret P : inuasseret A || 3 illustri A : -tre P | decoratum A : doco- P | Regium P : Regum A || 4 feris A : fetis P *ut uid.* | nec umquam ad ulteriorem transire *om.* P

sire potuisse; non auri, non argenti uenas adhuc repertas; his Charcas et alias Cuschanae prouinciae regiones, quae sub praefectura quam ei Caesar decreuisset continerentur, esse refertas; ad haec aequum esse et uirtute Hispanorum dignum ut amicos, socios et consanguineos, quos ab Indis necatos audirent, strenue uindicarent et Peruram, quae defecisset, fortiter reciperent et eam operam omni studio, fide, animo, sicuti Hispanos decebat, Caesari praestarent, ut optime de patria et de
5 rege suo mererentur. uicit horum sententia et eo magis quod Didacus et Gomezius Aluaradi et Rodericus Orgonius et Ioannes Saauedra et alii duces maxime in id insistebant, quamquam non deerant alii qui contra sentirent libereque Almagrum sacramenti admonerent et iniquum esse dicerent ea de re Franciscum Pizarrum
6 certiorem non facere, priusquam ex Chilia moueret: nec enim eum laturum ut Cuschum, quod ipse expugnasset et quasi de integro renouasset coloniamque in eo collocasset, ab alio occuparetur nec senatum, quem ipse elegisset, et populum Cuschanum, cui agrum diuisisset, hoc passurum; quin et praeter omne ius et aequum et bonum fore, si, eo inscio et inconsulto Pizarro, amicitiam societatemque foedere sacramentoque confirmatam dirumperet et in Cuschum, si adhuc in potestate eius esset, inuaderet et certe Almagrum bene e republica atque ex dignitate sua facturum, si Pizarri animum litteris et nuntiis temptaret et senatus et ciuium Cuschi uoluntatem sibi conciliaret nec bellum ciuile excitaret, sed, si ius esset, quod bona cum pace faceret et Cuschum teneret et regeret; interim dum legati irent atque redirent,

6 atque redirent *om.* A

in eo Copaiapi portu et in Charcis colonias imponeret. at Almagrus, cum et ipse ambitione exarderet et duces 7 uehementissime urgerent atque instarent ut extemplo Peruram repeteret et Cuschum, etiam Pizarris senatu populoque Cuschano inuito, occuparet, non dubitauit imperii causa iuris iurandi religionem contemnere, ius uiolare, amicitiam discindere, societatem dirimere, foedus frangere.

Itaque Chiliam relinquit et eadem qua uenerat uia **17** agmen in Peruram reducit. iam ad summum iugi niuosi culmen conscensum erat. hic milites foedam hominum et iumentorum, quae sexto ab hinc mense obriguerant, stragem contuentur magnumque ea ex re capiunt dolorem: haerebant Indi et Hispani scopulis rigentes simul cum equis et lora manibus tenentes, capitibus sagis obuolutis, tristi plane spectaculo, et ipsi quidem et equi tam integri et recentes quam si eo ipso die occidissent. milites corpora humana sepeliunt et equis pelles detra- 2 hunt et, cum ad planum descensum esset, equinis carnibus famem depellunt et ex pellibus utres conficiunt et aquis implent. eos in lanigerum pecus, quod abegerant ex Chilia, imponunt, ut sitim per uastas solitudines leuarent, et in Cuschum contendunt. et cum iam propius accessissent, Almagro exploratores referunt eam urbem a Mango Hinga obsidione teneri ipsumque innumeras paene copias habere.

Almagrus idoneum nactus locum castra in eo com- **18** munit. legatos ad Mangum cum his mandatis mittit: primum ut urbem liberam relinqueret; eam sub praefec-

17 1 obuolutis A (*ut uid.*) : ob**lutis P
18 1 relinqueret *correxi* : relinquent PA

tura quam sibi Caesar decreuisset comprehendi, ideoque ex Chilia rediisse, ut Cuschum Caesaris nomine
2 cum imperio teneret atque gubernaret; si id ab eo impetraret nec Hispanos iniuria lacesseret nec bellum eis deinde inferret, perpetuum sibi cum eo foedus futurum atque se ei et quod Indos ad arma concitasset et Cuschum obsedisset et a Caesare defecisset benigne condonaturum, praesertim si ipse tanto beneficio suo gratiam referret ut subsidio, si quid sibi opus esset ab eo, cum omnibus copiis suis ueniret; sin obsidere urbem perseueraret et Hispanos armis persequi non desisteret, sese igni ferroque omnia uastaturum nec cessaturum, do-
3 nec ipsum cum omni exercitu deleret. Mangus legatis respondit se magno gaudio perfundi plurimumque Almagro gratulari, quod Caesar eum praefectum crearit et magnopere orare ut die ex eo die tertio in eum tumulum non procul a castris, quem ipse legatis indicauit, ad colloquium ueniret: uelle se de republica et summis
4 utriusque rebus cum eo agere. non respuit condicionem Almagrus magnamque in spem uenit fore ut Mangum ex hoste et rebelle amicum et socium faceret. itaque Saauedram cum firmo praesidio in castris reliquit et ipse instructo agmine ueritus ne a Cuschanis circumueniretur (nihil enim de Mangi insidiis suspicabatur) ad
5 eum contendit. et cum iam eo accederet quo Mangus ad colloquium erat uenturus, subito Indi, qui erant in insidiis, irruunt et undique tela in Hispanos coniciunt.

comprehendi: ideoque P : comprehendit deoque A || 2 foedus P : fondus A || 4 (nihil ... suspicabatur) *sic distinxi* | eum P : cum A | crearit A : creauit P | magnopere P² : magnoperare PA | ex eo die *om.* P : *add.* P² *in marg.* || 5 uenit A : uenio P

Almagrus strenue impetum hostium cum equitibus sustinet eosque ex locorum iniquitate, nullo detrimento accepto, in planitiem educit. Mangus se in castra recipit 6 et, cum per insidias Almagrum opprimere non potuisset, omnem reciperandi Cuschi spem abiecit et metuens ne ab Hispanis intercluderetur, si inter Pizarros et Almagrum conueniret, obsidione abstitit et cum omnibus copiis in Andes profugit.

Interim Ferdinandus Pizarrus ab exploratoribus certior factus Almagrum a Mango Hinga ad colloquium aduocatum iam e castris cum equitatu exiisse in ea irrumpere decreuit, sed cum locum natura et praesidio munitum prospiceret, oppugnatione absistit et Saauedrae, si cum militibus ad se transfugere uellet, quinquaginta aureorum milia se daturum promittit. et cum ille pro responso saxa in equites deuolui et tormentis glandes emitti iuberet, Pizarrus re infecta in Cuschum est reuersus. Almagrus autem, ut in castra agmen reduxit 2 et a Saauedra quid temptasset Ferdinandus intellexit, ex eo loco motis castris infesto animo signa in urbem intulit. his procul porta constitutis, legatos ad senatum mittit, ut se sine ullo tumultu atque sine mora in urbem admitterent: eam ad iurisdictionem suam pertinere, 3 propterea quod intra praefecturam Noui Toleti, quam sibi decreuisset Caesar, esset; id ipsum ex regio Caesaris diplomate, cuius exemplum legatis dedisset, facile intellegi posse. senatus respondit se de finibus utrius- 4 que praefecturae ambigere; prorogatos esse a Caesare

6 abiecit P : adiecit A | si A : se P | Pizarros P : Pizarri A
19 1 ille P : mille A | re P : se A || 2 intellexit P : intellexerit A

Nouae Castellae terminos et eos nondum descriptos atque constitutos, a quibus Noui Toleti praefectura inciperet; ideo non plane constare utra in praefectura Cuschum contineretur; se ea de re quam celerrime nuntios ad Franciscum Pizarrum Nouae Castellae praefectum, qui eam urbem cepisset atque prope condidisset et in eam coloniam constituisset, missurum; nec se dubitare quin pro ueteri amicitia, societate et foedere, praescriptis terminatisque utriusque praefecturae finibus, optime inter eos conueniret; interim senatui placere ut, pactis prius indutiis, priuatus, si uellet, urbem
5 ingrederetur militesque in hospitia diuideret. ad haec Almagrus, cum omnia ex Ferdinandi Pizarri sententia atque uoluntate referri existimaret, respondit inique senatum populumque Cuschanum facere, qui aditum et administrationem urbis, quam sibi Caesar detulisset, sicuti iam ex diplomate regio, cuius exemplum misisset, satis erat perspicuum, impediret; se non ut priuatum sed ut praefectum urbis intraturum ac palam se denuntiare et testari Deum hominesque, si quid detrimenti respublica caperet, non sibi sed senatui ciuibusque imputandum.

20 Ferunt, indutiis factis, Ferdinandum Pizarrum Cuschanis annua Mangi obsidione defessis et diuturno atque nocturno labore paene confectis, ut eos ad pristinam uirtutem et consuetudinem reuocaret, quietem dedisse et Cuschum muniisse et pontes interrumpisse.
2 qua re Almagrum uehementer commotum, nulla indutiarum habita ratione, cum laxatas sentiret custodias et

4 et *ante* eos *iterat* P
20 1 eos A : eas P | pristinam A : pustinam P

exorta forte nebula noctem obtineret conspectumque omnem adimeret et nox incertiora omnia faceret, urbem inuasisse atque in eam agmen induxisse facileque, uno aut altero tantum interfecto, ea potitum fuisse. nam quamuis ciues clamoribus excitati ad arma conclamari audirent, tamen existimantes urbem non ab alio quam ab Almagro occupatam sese sub tectis continebant. senatus in aedes Pizarri se recepit. eas Almagrus oppugnat et, cum acriter aduersarii se defenderent, incendi iubet. qui, ne simul cum aedibus deflagrarent, se Almagro dediderunt. is Ferdinandum et Consaluum Pizarri fratres una cum aliis in uincula conicit et Ferdinandum quidem, consulentibus amicis, protinus interfecisset, ni Didacus Aluaradus intercessisset atque pro eo uadimonium fecisset. postero die senatus et ciues Cuschani Almagrum excipiunt et praefectum appellant. is, contione extemplo aduocata, iniurias aduersariorum in se commemorat et beneficia in ipsos sua culpaque eorum non sua factum ut in urbem inuaderet: ipsos primum castra sua temptauisse et ducem et milites quos praesidio reliquerat, ut ad se transirent, sollicitauisse; deinde, cum indutiae agitarentur, Cuschum muniisse et pontes interrumpi imperauisse; id ex suis ipsius Ferdinandi Pizarri uocibus cognitum esse, ut qui se ab amicis deceptum, quod pontes non interrumpissent, exclamarit; quibus rebus se merito commotum atque iniuria lacessitum, antequam ab ingratis ciuibus aditu omnino

3

4

5

6

2 obtineret A : -ere P | 3 ciues P : eius A | sub tectis A : subiectis P | acriter A : agriter P | deflagrarent P : -garent A || 5 *post* inuaderet *sic distinxi* | induciae P : inducisse A | exclamarit A : exclamaro P *ut uid.*

prohiberetur, in urbem quam ipse Mangi obsidione liberasset, quod se aliter non admissum iri certo sciret, irruisse usumque beneficio naturae atque noctis, inuitis aduersariis, eam occupasse; id se suo iure fecisse, cum ea urbs, ut ipse pro certo duceret, ad praefecturam 7 Noui Toleti pertineret. contione habita et urbe occupata, Almagrus milites in hospitia diuisit et paucos quos oderat de senatu mouit et ex ciuibus quos Pizarris fauere cognouerat alios exilio, alios agris multauit. Mangum Hingam, quod rebellasset et Cuschum circumsessum habuisset, inimicum et hostem iudicauit et Paulum eius fratrem apice purpureo insigniuit Hingamque constituit.

21 Dum haec Almagrus gerit et administrat, Indi, ne quid subsidii Cuschum mitti posset, itinera intercceperant et Didacum Pizarrum et Ludouicum Morgobeium Quignonium et Consaluum Tapiam et Ioannem Gaetum duces cum militibus Hispanis, quos Franciscus Pizarrus Cuschum mittebat, in angustiis et iniquis locis interclusos saxis obruerant. et cum nullus tantae cladis nuntius uenisset (amplius enim quadringenti Hispani obtruncati ab Indis fuerunt), Pizarrus Franciscum Godoium cum quadraginta equitibus, ut eam rem caute explorarent et ad se quam maturrime renuntiarent, 2 Cuschum adire mandauit. is, cum uallem quandam iugis undique cinctam intrauisset, duobus Gaeti equitibus, qui tantum euaserant ex pugna, occurrit, a quibus congnouit eos duces cum militibus ab Indis crudelissi-

7 constituit P : construit A

21 1 saxis P : soxis A | tantae P : tanta A | (amplius ... fuerunt) *parenth. statui*

me fuisse necatos et uiarum angustias et uallium atque montium aditus occultis praesidiis teneri. nec equites 3 uana referebant; iam enim Indi iugis se ostendere et Godoium circumuenire, qui subito equos conuerti iubet et concitato cursu ex ea ualle egredi uixque effugere, insequentibus per multa passuum milia Indis, potuit Limamque est reuersus. idem etiam Didaco Aguero contigit, qui fere cum totidem equitibus fuga periculum uitauit. Godoius Pizarro rettulit duces quos cum militi- 4 bus Cuschum subsidio ire iussisset esse trucidatos, Pizarrum et Morgobeium ad Parci cliuum, qui a Cuscho milia passuum ducenta abesset, et Tapiam in locorum angustiis et Gaetum in Xauxa duosque tantum eius equites ex pugna, quos secum ducebat, euasisse, a quibus se certiorem factum uix cum equitibus conuersis equis, cum iam ab Indis intercluderetur, salutem quaesiuisse; omnes Indos in insidiis esse occultisque locis 5 delitere nec se prodere, donec Hispanos in angustias et iniqua loca ingressos conspicerent; tunc undique eos telis circumducere et saxa desuper deuoluere atque ita, cum neque egredi nec retro regredi ipsi possint, una cum equis saeuissime necare. ex Aguero cognitum est 6 Ticoiopanguium Mangi Hingae legatum cum ingenti Indorum multitudine ad obsidendam Limam uenire et iam appropinquare.

Quibus rebus cognitis, Pizarrus hostibus obuiam, an- **22** tequam propius ciuitatem accederent, eundum existimauit. itaque Petrum Lermam Burgensem cum septu-

6 Ticoiopanguium *correxi, cf. 4.25.2, Zárate 488a, Gómara 239b* : Ticozo- PA | obsidendam P : occidendam A

22 1 propius A : prius P

aginta equitibus et sociis Indis praemisit et ipse cum reliquis Hispanis, praesidio in ciuitate relicto, est subse-
2 cutus. Lerma, ubi in conspectum hostium uenit, eos acriter aggreditur. hoc Pizarrus, qui iter accelerauerat, ut suis esset subsidio, facit. pugnatum est ad magnam diei partem summa cum contentione ab Hispani pro uita et imperio, ab Indis pro libertate, uxoribus, liberis, fortunis, focis et aris. ceterum cum ab equitatu multi protererentur et hastis transfigerentur, acerrime pugnando pedem hostes rettulerunt et arduum et praerup-
3 tum iugum occupauerunt. sed ita hoc in summo erat angustum ut tantam hominum multitudinem capere non posset. itaque alii alios adeo premebant ut neque arma commode expedire neque se explicare neque huc atque illuc discurrere pro more suo possent. et quamquam nonnulli exanimabantur, tamen haec mala et fortiter sustinebant et strenue hostibus resistebant. nec dubium est, si nostri institissent, quin eo die, ut ipsi etiam
4 credebant, debellati fuissent. uerum Pizarrus, cum cerneret milites uulnerari et Lermam dentibus primoribus ictu saxi fractis pugna absistere, receptui cani imperauit et uno tantum equite amisso copias Limam reduxit. quod Indi conspicientes Soli, qui eos, ut ipsi putabant, tunc defendisset atque seruasset, gratias egerunt nuncupatisque uotis multa et solemnia sacrificia fecerunt, eoque iugo relicto et amne Limae traiecto, in excelso monte qui non longe ab eo flumine aberat castra posuerunt. hinc in uallem Limam excurrere et cottidianis

post subsecutus *sic distinxit To.* || 3 ut A : et P | commode P : ammode A | exanimabantur A : examina- P | institissent P : insistissent A || 4 absistere P : asis- A

leuibusque proeliis cum Hispanis decertare et commeatus intercipere. quin et Indi qui anacones uocantur, 5 quod aliis suam locent operam, interdiu se ab Hispanis, in quorum erant ministerio, subtrahebant et ad hostes transeuntes aduersus dominos et eros suos pugnabant; noctu uero in eorum domicilia redibant. quorum perfidiam, fraudem et impietatem Hispani dissimulare ferreque cogebantur.

At Pizarrus, cum totius Perurae defectionem anima- **23** duerteret et Ciuitatem Regum obsideri, copias hostium augeri et commeatus intercipi conspiceret, dubitare de rei euentu coepit, praesertim cum pro certo duceret Ferdinandum et Consaluum fratres cum praesidio a Mango Hinga, capto Cuscho, interfectos et Almagrum cum exercitu a Chiliensibus peremptum et deletum omnino fuisse; non enim fieri posse, si illi uiuerent, quin nuntii terra per inuia deuiaue loca uel mari uenissent. itaque cum nihil subsidii ex Cuscho nec ex Chilia se 2 habiturum speraret, nauem ad praetorem Trugilli cum his mandatis mittit, ut impositos cum uxoribus in eam liberos ciuium in Panamam, urbe deserta, deferri iuberet et cum ipsis uiris, armis et equis instructis Limam ad se ueniret idque ita occulte faceret, ne Indi excessum sentientes iter impedirent. deinde Didacum Aialam cum 3 aliis nauibus quae in Callao erant portu quam celerrime Panamam ire iubet, ne milites Hispani, quos perterritos atque animis consternatos uidebat, se in eas reciperent. litteras etiam ipsi ad praefectos Terrae Firmae, Nicaraguae, Guatimalae, Nouae Hispaniae et insularum Hispaniolae et Cubae dat, quibus certiores eos faciebat

23 1 deletum P : delectum A | fuisse P : fecisse A (*ut uid.*)

4 quanto in periculo res Peruranae essent: Indos omnes desciuisse; Cuschum et Ciuitatem Regiam ab hostibus obsessas teneri; actum de se et Hispanis qui eas urbes defendebant, ni propere subueniretur, esse, ideoque uehementer orare ut quam celerrime milites, arma, equos, tormenta et uestimenta et alia ad belli usum necessaria ad se mitterent; paucos esse in Ciuitate Regum Hispanos et eos quidem iugi labore paene confectos; iam se commeatu intercludi et uereri ut, si non ferro, certe
5 fame absumantur. Aialae etiam mandat ut litteras ex Panama per certos nuntios perferendas ad praefectos curet, deinde ipse in Nicaraguam et Guatimalam progrediatur, ut deinde sine mora milites, equos et commeatus Limam deuehat.

24 His rebus constitutis et Aiala cum nauibus profecto, Pizarrus Alfonsum Aluaradum et alios duces quos ad explorandas subigendasque Perurae regiones miserat
2 Limam euocat. Aiala statim ut Panamam applicuit, suas ad quemque praefectum litteras perferri curauit et inde in Nicaraguam atque Guatimalam nauigauit breuique milites, equos et arma et commeatus in naues imposuit prosperaque usus nauigatione in Callaum portum una cum Gaspare Spinosa iuris consulto, qui ex Terra Firma ualidam Hispanorum ducebat manum, in-
3 trauit. nec multo post Didacus Fontius Maior, Alfonsi Hispaniolae pontificis frater, eos milites Hispanos quos Petrus Vergara ex Gallia Belgica in eam insulam trans-

4 obsessas A : obsessam P

24 1 alios P : alias A || 2 Gaspare P : Gascare A || 3 Vergara PA (*cf. 4.25.1 et Zárate 489b*) : Veragua *corr. To. coll. Gómara 239a, qui perperam hoc scripsit*

portauerat in terram exposuit. tunc etiam Rodericus Grialba cum una naui armis, tormentis, uestimentis et equorum ornamentis et aliis rebus et militibus Hispanis instructa, quam Ferdinandus Cortesius ex Noua Hispania ad Pizarrum mittebat, in Callaum appulit. et Cortesium quidem, litteris Pizarri lectis, dixisse ferunt in summa semper Pizarrum sibi admiratione fuisse, qui non minore uirtute quam felicitate et tam paruo militum numero Peruram et explorasset et in prouinciam redegisset, sed nunc ipsum in maiorem traduci admirationem, quod in defendenda et retinenda in fide Perura ita fortuna aduersa atque animo plus quam talem tantumque ducem decuit abiecto sit atque demisso, ut qui milites ad comprimendos atque in officio retinendos eos Indos, quos toties fuderit, ex omnibus Indiarum prouinciis atque insulis aduocarit. iam uero Alfonsus Aluaradus, acceptis Pizarri litteris, ex Chaxapoiis cum ducentis Hispanis magnis itineribus Limam contendit et Trugillum ueniens ciues cum uxoribus et liberis et sarcinis euntes in portum quem Arraciphem appellant milia passuum octo a Trugillo distantem redire in urbem fecit et, ibi praesidio relicto, uiam perrexit Limamque peruenit. qui incredibili et amore et honore a Pizarro est exceptus et legatus eius creatus; quod adeo

4 5 6

Grialba cum *correxi, cf. Gómara 239a* : Grialbacum PA | Callaum *corr. To., cf. e.g. 4.24.2* : Collaum PA || 4 abiecto P : abiect* A | demisso *correxi coll. e.g. 1.12.2* : dimisso PA | aduocarit P : -cauit A || 5 Chaxapoiis *correxi, cf. app. crit. ad. 4.10.1* : Chacha- P : Cacha- A | Arraciphem PA (*uocabulum Hispanum quo hic pro nomine proprio uti uidetur, cf. Cieza 358b. uide etiam Couarrubias s.u. 'arrazife' et Corominas s.u. 'arrecife'*) : Arre- *perperam corr. To.*

Petrus Lerma aegre tulit ut id ignominiae loco habuerit animoque plane mutato atque infesto in Pizarrum fue-
7 rit: fortissime ille cum Indis pugnauerat et collatis signis eos uicerat et in perangustum et praeruptum saxis iugum ita compulerat ut eos facile circumuenire potuisset et eo die bellum finire, ni Pizarrus absistere pugna iussisset; et ut strenue ea in re sic in ceteris, cum legatus esset, se gesserat. itaque quam plurimi milites indignari et Pizarrum inique imprudenterque fecisse palam dicere, qui Aluaradum Lermae praetulisset.

25 Ceterum Pizarrus, exercitu comparato, Aluaradum cum trecentis militibus tum equitibus, tum peditibus et his quidem tormentariis quos Petrus Vergara ducebat et copiis Indorum auxiliaribus Limam amnem traicere et in hostes qui in Pachacama ualle castra habebant mouere iussit. ea uallis ab Lima milia passuum sedecim abe-
2 rat. eo cum Aluaradus accederet, Ticoiopanguius Mangi Hingae legatus copias educit et proelium committit. cui ipsum Mangum non solum interfuisse sed praefuisse etiam tradunt. acerrime utrimque concurritur. Indi ut uictores impetum hostium sustinent, Hispani ut uincant totis uiribus adnituntur ingentique animorum contentione per aliquot horas pugnatum est. multi tam ex Hispanis quam ex Indis cadebant, sed irruentibus hinc equitibus, hinc peditibus cum sociis Indis, hostes, iam sole occidente, pedem referre ac in castra se recipere, compluribus eorum caesis, coacti fuerunt et ea nocte in
3 montes se contulerunt. insequenti die Aluaradus, cum

7 eos A : eas P | potuisset *corr. To.* : potuisse PA
25 1 et *ante* copiis *iterat* P || 2 interfuisse A : iter fuisse P | ut *ante* uictores A : et P | uincant A : uicant P

hostes in montana loca secessisse nuntiatum esset, in Xauxam contendit leuiaque aliquot proelia in itinere cum Indis fecit parumque afuit quin in solitudine quadam (tantus fuit aestus!) cum exercitu perierit. nam amplius quingenti Indi sarcinarii siti sunt absumpti et reliquos pedites, ni summa cum celeritate equites currendo et recurrendo aquam ex flumine hausissent sitimque subleuassent, uapor solis confecisset. in Xauxa quies 4 militibus data. huc ex Ciuitate Regia Gomezius Tordoia cum ducentis militibus Hispanis uenit. refecto iam auctoque exercitu, Aluaradus castra mouit et, depulsis atque deturbatis praesidiis ex uiarum angustiis et locorum iniquitate et montium aditu, regiones Perurae montanae ad pontem usque saxeum nomine Lumichacam in potestatem redegit. hic Hispani ab innumera 5 prope hostium multitudine interclusi, si quando fortiter et strenue pugnarunt, tunc certe pugnauerunt hostesque ita eo loco tam iniquo et angusto strenue propulerunt ut ingenti strage edita eos terga uertere coegerint et pontem occuparint. sed Aluaradus tam hoc proelio quam aliis multos ex Hispanis militibus et ex Indis sociis amisit. uentum est post leues aliquot pugnas ad Ab- 6 ancaium fluuium, qui super binis in utraque ripa columnis positis craticium pontem habet. hic Aluaradus ex Indis quibusdam intellegit Cuschum obsidione Mangi Hingae exemptum ab Almagro teneri et Ferdinan-

3 (tantus fuit aestus!) *sic distinxi* | sarcinarii A : -riis P | hausissent P (*cf. e.g. 3.15.2*) : auxissent A || 4 data. huc ex Ciuitate Regia Gomezius Tordoia cum ducentis militibus *om.* A | Gomezius *correxi coll. e.g. 4.7.4, 4.44.5* : Gometius P | saxeum P : saxcum A || 5 edita A : adita P | occuparint A : -runt P

dum et Consaluum Pizarros ab eo captos in uincula cum aliis esse coniectos.

26 Quibus rebus cognitis Aluaradus permotus substitit; neque enim longius progrediendum existimauit, donec per nuntios, quos Limam aduolare iusserat, quid decerneret Pizarrus cognosceret. itaque ad citeriorem fluminis ripam haud procul ponte in edito loco propter re-
2 pentinas hostium irruptiones castra communit. dum animum in haec intendit, legati Almagri, qui iam compertum habebat Aluaradum ad pontem Abancaii castra fecisse, ad eum uenerunt. eius legationis princeps fuit Didacus Aluaradus summae uirtutis et prudentiae eques. is exemplum regii diplomatis Aluarado exhibet eique nomine Almagri denuntiat ut confestim praefecturae suae finibus excederet et, si Cuschum uenire uellet, priuatus et sine exercitu ueniret; sin contra faceret,
3 se eum pro inimico et hoste habiturum. Aluaradus legatis respondit eius diplomatis notionem non ad se, sed ad praefectum Pizarrum omnino pertinere; irent Limam et ei denuntiarent atque praedicarent; se in eius prafectura non Almagri castra habere nec inde excessurum, sed ultra, traiecto amne, processurum. et extemplo, omni iure gentium uiolato, legatos comprehendi atque
4 constringi imperat. interim Almagrus milia passuum duodecim a Cuscho cum equitatu processerat et ueritus ne Aluaradus moram et impedimentum legatis intulis-

6 coniectos A : coniunctos P
26 1 permotus A : promotus P || 2 si *scr. To.* : sic PA | se eum P : secum A || 3 predicarent P : -cerent A | castra A : cuscha P | *post* uiolato *plene distinxerunt* PA | constringi P : -git A

set et alia uia in urbem, ut praeoccuparet eam, contendisset eo summa cum celeritate est regressus. erat in 5 castris Petrus Lerma, de quo supra memoraui, uir acer et factiosus. is ut insignem a Pizarro iniuriam acceptam uindicaret, occulta cum amicis consilia habebat militesque ad seditionem et defectionem sollicitabat et, cum amplius octoginta milites ad sententiam suam traduxisset et eorum nomina cum suis cuiusque subscriptionibus in libellum rettulisset, Almagrum ex Cuscho exciuit. is milites educit et in Abancaii pontem milia 6 passuum octoginta distantem pergit et, cum propius accederet, insidiis in occultis locis collocatis, Petrum Aluarum Holguinum, qui cum aliquot equitibus eo die excurrerat in agrum, capit. hoc cum ab his qui effugerant 7 in castris esset nuntiatum, Aluaradus Petrum Lermam, quem suspectum habebat, comprehendi iubet, sed ille sibi metuens eo temporis puncto ad Almagrum subito transfugerat et libellum et indicem nominum eorum militum qui conspirationi contra Aluaradum subscripserant secum detulerat et cum Almagro egerat ut ea nocte in castra inuaderet, qua milites suae factionis in statione ad pontem et ad uadum essent; et in his Tor- 8 doiam et Antonium Villalbam eum exspectare; liberum tam ponte quam uado fluminis transitum fore; multos ex militibus extra castra angustias uiarum et montium aditus custodire; multos non hastas, non pila, quod ea surrepta et in amnem sint ab aliis proiecta, habituros.

5 uir acer et factiosus P : uis aces et fastiosus A | ut P : cum A || 6 Aluarum *scripsi, cf. e.g. 7.1.1* : Aluaradum PA || 7 subscripserant P : -serat A || 8 *post* essent *distinxerunt* PA : *uirgulam scr. To.* | eum *scr. To.* : cum PA | proiecta A : proiectas P

27 His rebus Almagrus inductus copias in duas distribuit partes, cum altera ipse a Tordoia et Villalba exceptus flumen sine ullo impedimento ponte traicit, cum altera Rodericus Orgonius et Lerma, hortantibus militibus qui citeriorem tenebant ripam, uado amnem transeunt et utrimque in castra irrumpunt. 2 Aluaradus, cum hostes in castris sentiret, ad arma conclamari <iubet> et cum his militibus quos circum se habuit eos repellit et strenue depugnat. ceterum, cum milites tela conquirerent, nec ad pontem concurrere nec ad uadum ire audebant nec se ad signa recipere nec colligere neque coniungere, quod essent dispersi, nocte praesertim tam obscura poterant. 3 itaque momento temporis castra sine ulla sanguinis effusione (nemo enim interficitur ac ne uulneratur quidem, uno Roderico Orgonio excepto, qui graue in ore uulnus, fractis dentibus, accepit) expugnata et direpta fuerunt et Alfonsus Aluaradus cum aliis ducibus captus legatique Almagri ex uinculis soluti. 4 qui tametsi clementer ea uictoria est usus, tamen adeo insolens factus traditur ut propalam ad Pizarri cognomen alludens dixerit se nullum saxum aut petram in quam impingeret in tota Perura relicturum ac plane effecturum ut Pizarri sub aequatore in mangletis imperarent. 5 inde Cuschum repetiuit et triumphantis more ingressus Aluaradum et alios Pizarri duces in carcerem contrusit et indigne aspereque tractauit.

27 2 iubet *addidi, cf. e.g. 7.94.5 et de sensu Gómara 240a* | ceterum cum milites tela conquirerent *om.* A || 3 *post* effusione *plene distinguunt* PA : (nemo ... accepit) *sic distinxi* | interficitur *correxi* : -fecitur PA | *post* captus *plene distinguunt* PA | sub A : ab P | mangletis] *cf. Gómara 240a, Zárate 489a* || 5 contrusit *correxi* : -dit PA

28 Dum haec in Perura montana geruntur, Pizarrus cum sescentis Hispanis et copiis Indorum auxiliaribus in Nascam uallem uenerat, ut Cuschum obsidione liberaret. nihil enim adhuc de ea urbe ab Almagro occupata et de Pizarris et Aluarado et aliis ducibus ab ipso captis cognouerat, donec per nuntios quos Aluaradus miserat ea de re certior est factus. itaque uehementer commotus, conuersis e uestigio signis, Ciuitatem Regum repetit. 2 hic nouos dilectus habere et arma et equos parare non destitit, quippe qui sciret rem sibi cum acri et potenti aduersario futuram. interim animum eius temptare per Gasparem Spinosam aequum duxit. 3 is Cuschum uenit et cum Almagro aperte agit primum ut Ferdinandum et Consaluum Pizarri praefecti fratres et Aluaradum et alios duces e uinculis confestim solueret; deinde Cuschum regeret, neue in Peruram planam descenderet neu ducem aliquem cum copiis mitteret, donec Caesar utra in praefectura esset Cuschum decerneret finesque Nouae Castellae et Noui Toleti terminaret. 4 Almagrus condiciones recusat: inique Pizarrum fecisse, qui se in suo iure impedire uoluisset; sed ad arbitrium suum non ad eius praescriptum in sua prouincia imperaturum et, quod uictores uictis consuerint, se leges non accepturum sed daturum nec quos in uinculis haberet soluturum. Spinosa dum haec accurate agitat, naturae concessit perniciemque et caedem utriusque praefecti ante denuntiauit atque praedixit. 5 eo defuncto, Almagrus Gabrielem Roiam Cuscho praeficit custodiaeque eius Consaluum Pizarrum et Aluaradum et alios qui erant in uinculis committit. ipse uero Ferdinandum Pizarrum

28 2 habere A : -ret P || 3 Noui A : Nouae P

secum duxit et in Chincham uallem cum exercitu descendit ibique coloniam imposuit.

29 Pizarrus, dilectu facto, septingentos Hispanos praeter Indorum auxilia sub signis habuit. equitibus praeerant Didacus Roias, Petrus Anzurius et Alfonsus Mercadillus, pedites tormentarios ducebant Nunius Castrus et Petrus Vergara centuriones et hastatos Didacus Vrbina Ioannis Vrbinae uiri fortissimi, qui in Italia militum 2 tribunus fuit, fratris filius. omnia haec subsidia Pizarrus undique comparauerat, ut Limam et Cuschum obsidione Mangi Hingae et Indorum liberaret eosque in ordinem redigeret, sed aduocata tunc contione se his copiis uti uelle dicebat, ut se dignitatemque suam defenderet 3 et uim illatam propulsaret: iam enim Almagrum cum exercitu in praefecturam suam intrasse et Chincham uallem, quae haud dubie ad iurisdictionem suam pertineret, occupasse atque ibi coloniam collocasse; ideo se ex Lima exercitum adducere, ut, si ipse pergeret nec ad sanitatem reuerti uellet, eum ex praefecturae suae finibus propelleret; quod cum sine eorum auxilio fieri non posset, uehementer eos orare ne se desererent dignita- 4 temque suam tuendam susciperent. milites per Petrum Valdiuiam tribunum militum et Antonium Villalbam ordinis militaris praefectum, quem uulgo sargentum uocant, ac per centuriones respondent ne labori suo neu periculo parceret; paratos esse sese dignitatem eius armis tueri. Pizarrus studio et uocibus militum excitatus copias ex urbe educit et in Pachacamam transit. 5 per idem tempus Consaluus Pizarrus et Alfonsus Aluaradus et alii, quos Almagrus in carcerem contru-

29 3 si *om.* P || 4 Pachacamam P : Pachachamam A

serat, milites qui ab ipso cum Gabriele Roia praetore praesidio cutodiaeque urbis erant relicti largitione et promissis corrumpunt, simulque cum his (erant enim septuaginta milites) expediti in equis et Gabrielem Roiam captum et uinctum secum ducentes Cuscho profugerunt et ad Pizarrum in castra uenerunt incredibilique laetitia non ipsum modo sed exercitum etiam affecerunt. et Consaluum quidem legatum, Aluaradum uero equitum praefectum Pizarrus fecit.

Quod ubi Almagrus intellexit, noua re et militum perfidia et quod ille cum instructo telis exercitu ueniret perterritus Alfonsum Enricum et Didacum Nunezium Mercadum Caesaris procuratorem et Ioannem Guzmanum quaestorem legatos cum his mandatis ad Pizarrum mittit: quod antea de condicionibus per Spinosam iurisconsultum postulasset, id nunc per legatos quibus rem commisisset fieri liceret. Pizarrus iam Almagrum ad pacem et concordiam uenire arbitrabatur, cum id quod ipse antea petenti denegasset ultro polliceretur. itaque ea de re cum legatis magna cum contentione per aliquot dies egit. tandem in id conuenere, ut compromissum facerent arbitrosque sumerent et quod illi proferrent atque iudicarent uterque ratum firmumque iure iurando et grauissimis poenis interpositis ita haberet ut qui contra faceret ab eis condemnaretur. et quamquam nonnulli tradunt duos arbitros honorarios statutos ab Almagri legatis Franciscum Husandum et a Pizarro

5 contruserat *correxi* : -derat PA | (erant ... milites) *parenth. statui* | affecerunt A : effe- P | Pizarrus *ante* fecit *om.* P

30 1 Nunezium P : Nunecium A | id nunc per legatos quibus rem commisisset *in marg. in* P

Franciscum Bobadillam eius ordinis in Perura magistrum qui redimendis captiuis a Mauris, Turcis et aliis Christianae reipublicae saeuissimis hostibus operam impendere solet, tamen non dubium est quin et Pizarrus et Almagri legati Bobadilla tantum arbitro usi fuerint.
3 is cum arbitrium recepisset, sententiam tulit ut Almagrus Ferdinandum Pizarrum statim dimitteret et praefecto Pizarro Cuschum restitueret et uterque, exercitu dimisso, praefectos et centuriones cum militibus ad explorandas et subigendas diuersas regiones nondum compertas mitteret; praeterea, indutiis factis, uterque his de rebus Caesarem per legatos quam primum fieri posset certiorem faceret et iure iurando arbitri sententiae staret et, ut commodius haec agerentur, Pizarrus cum duodecim tantum equitibus et Almagrus cum totidem in colloquium ad Malam uallem uenirent.

31 Ea uallis a Chilca milia passuum duodecim aequo fere spatio a castris Pizarri et Almagri aberat. siluis et densissimis nemoribus est referta et ad ripam amnis
2 Malae, unde ualli nomen, domicilia habet. itaque, cum locus colloquio Mala dictus esset et dies ex eo die duodecimus, Franciscus Pizarrus prior cum duodecim equitibus in eam contendit, Consaluo fratre et legato eius per loca occulta cum copiis subsequente. qui haud procul Mala eas indoneis in locis collocauit et Nunium Castrum cum militibus tormentariis in harundineto prope

2–3 arbitro usi fuerint. is cum arbitrium recepisset, sententiam tulit ut Almagrus *om.* P || 3 Malam *corr. To., cf. e.g. 4.31.1, Zárate 490a et Gómara 240a* : Mallam PA

31 1 Chilca PA (*cf. Cieza 422b*) : Chilia *perperam corr. To.* || 2 Mala P : Malla A | Consaluo *correxi* : Gon- PA | eas P : eos A

uiam qua Almagrus erat uenturus delitere iussit, ut, si
res ferret indutiasque ille pactas non seruaret, signum
tormento manuario daret atque ex insidiis Almagrum
opprimendum curaret. is Roderico Orgonio legato im- 3
perauit ut acie instructa paratus ad omnem rei euentum
esset; si quam uim Pizarrus inferret aut ipsum detine-
ret, confestim Ferdinandum eius fratrem, quem in ca-
stris habebat uinctum, obtruncaret. haec ut Almagrus
constituit, cum duodecim equitibus quibus quam maxi-
me confidebat in Malam se contulit. eo iam Pizarrus
uenerat. ambo praefecti summa cum laetitia, praesente 4
Bobadilla, non secus se excipiunt ac si nihil inter ipsos
accidisset, dextras iungunt mutuoque se complectuntur
et iucunde et amice colloquuntur et, cum nullam pror-
sus de controuersia quam de praefecturae finibus habe-
bant mentionem facerent, unus ex equitibus Pizarri
Almagro ad aurem accessit monuitque ut sibi praecau-
erit e uestigioque, ni per insidias circumueniri uellet, in
castra se reciperet. Almagrus colloquium interrumpit, 5
celeriter equum conscendit et subito cum suis discedit,
conspectisque in harundineto tormentariis, maiorem fi-
dem indici habuit; eam uiolatam nullamque in Pizarro
ac ne in ipso quidem Bobadilla, alioqui uiro sacris ini-
tiato, esse queritur. non defuere alii ex equitibus qui 6
Pizarrum admonerent ut aut eum retineret aut necaret:
id facile ac sine ullo certamine et periculo per tormen-
tarios qui erant in insidiis confici posse. Pizarrus id ne 7

3 *post* contulit *ita distinxi* || 4 dextras iungunt P : destras tun-
gunt A | mutuoque A : multoque P | aurem P : aut A | cir-
cumueniri A : -rit P || 5 Pizarro *correxi* : Pizarrum PA | ne P :
nec A | sacris A : secus P

fieret, quando, fide interposita, in colloquium uenisset, omni studio prohibuit testatus Deum et homines nec se arbitrum corrupisse, nec ut harundinetum insidiis esset instructum nec ut Consaluus frater cum exercitu se subsequeretur imperauisse. et profecto maxima admiratio eum ceperat grauiterque Almagrus commouerat, qui tam repente Mala excessisset, sed, cum Ferdinandum Pizarrum ille in potestate sua haberet, rem ad concordiam, ut ipse libertatem obtineret, perduci optabat.

32 Posteaquam Almagrus in castra rediit et militibus relatum est qua perfidia Consaluus Pizarrus insidias struere Almagro temptasset eaque res colloquium diremisset, id certe animos omnium magis incendit magis-
2 que infensos et inimicos Pizarro fecit. et quamquam alter in alterum ira et odio ferebatur, non tamen Didacus Aluaradus destitit de pace inter utrumque agere, quoad rem his condicionibus confecit, ut Almagrus Ferdinandum Pizarrum, fide publica interposita, confestim dimitteret et Pizarrus portum tutum et nauem Almagro daret, qua ipse legatos cum litteris et postulatis suis ad Caesarem mitteret; interim alter contra alterum ne ueniret neu contra faceret, dum Caesar causa inter utrumque cognita nouo regioque edicto eas de finibus praefecturarum controuersias sedaret atque tolleret.
3 Almagrus, Roderico Orgonio et aliis ducibus contra sentientibus et consulentibus ne Ferdinandum Pizarrum dimitteret, eum liberum fecit, sed statim sera paeniten-

7 profecto P : praefecto factae A | ceperat *corr. To.* : coe- PA | perduci P : -cit A

32 2 quoad A : quo ad P | inter P : iter A | tutum *om.* A | *post* tolleret *plene distinxi* | 3 eum P : cum A

tia ductus, si ab itinere ipsum retrahere potuisset, aut rursus catenis constrinxisset aut certe interfecisset. ceterum Ferdinandus sibi metuens tanta celeritate iter continuauerat ut equitibus qui castris exierant, ut eum exciperent, protinus occurrerit incolumisque ad Pizarrum fratrem peruenerit. huius aduentu magnae subito com- 4 mutationes factae fuere et res summa cum perfidia et fraude gestae. hinc fides, hinc fraudatio pugnabat. nam Pizarrus, qui consilio Ferdinandi fratris utebatur, edictum regium quod Petrus Anzurius ex Hispania a Caesare impetratum attulerat secreto habebat neminique illud communicauerat nec uti eo uoluerat, donec Ferdinandum e uinculis exemptum uideret. itaque sta- 5 tim illud denuntiari recitarique Almagro iubet, ut finibus praefecturae suae excederet Cuschumque, quod ipse expugnasset et quasi de integro condidisset, et regiones Perurae, quas explorasset et coloniis occupasset, liberas sibi relinqueret; si contra faceret, se eum inde armis eiecturum; iam fidem publicam ex nouo edicto, sicuti inter utrumque conuenisset, esse solutam. summa eius decreti erat ut uterque gubernator ibi subsisteret, etiamsi in alterius esset praefectura atque iurisdictione, ubi regium edictum ei denuntiaretur. Almagrus 6 se quod Caesar ex edicto imperaret libenter facturum respondit atque in Chincha et Cuschi et in aliis planae montanaeque Perurae locis et regionibus quas tunc possidebat mansurum et se eodem regio edicto requirere

aut rursus catenis constrinxisset *om.* A || 4 exemptum P : exemplum A || 5 excederet A : -dere P | expugnasset A : -nansset P | eum *uel* cum A : cum P | nouo P : noua A | gubernator A : -tos P | edictum P : eductum A

atque flagitare et Pizarro ante denuntiare atque praedicere ne se in suo iure impediat neu bello pacem et quie-
7 tem perturbet. ad haec Pizarrus respondit ipsum indutias et fidem fregisse, Cuschum inuasisse, illud per uim tenere, propterea quod sub praefectura Noui Toleti comprehendi existimaret; itaque pertinacia absisteret et ad sanitatem reuerteretur et urbem ei restitueret; iam enim nouo eo Caesaris decreto et fidem publicam quam dedisset et pactionem quam fecisset impleuisse liberumque se prorsus esse; si pergeret, se bello eum
8 persecuturum et armis ex tota Perura expulsurum. Almagrus constanter in id perstitit quod praedixerat. nec enim a Caesaris uoluntate nec ab edicti sententia declinabat nec sensum detorquebat, siquidem aperte et clare ex edicto constabat ut, dum Caesar aliud imperaret, uterque ubi edictum denuntiatum esset ibi maneret.

33 Ceterum Pizarrus, consulente Ferdinando fratre, qui ira in Almagrum exardebat illatasque iniurias et quas in carcere acceperat, ut erat natura ferox et indomitus, ulcisci ea occasione oblata uolebat, copias ex Mala ualle produxit. manebant enim adhuc ueteres simultates et odia illa Ferdinandi animo menteque reposita quae a Panama usque in Almagrum conceperat. et Pizarrus quidem castra in Chincham, ubi erat Almagrus, mouit.
2 is cum per exploratores aduentum aduersarii cognouisset, et quod aduersa tunc ualetudine uteretur et quod proelio decernere nollet, motis castris, Cuschum repetere constituit instructaque acie in montanam Peruram

6 atque praedicere *om.* A | perturbet A : -tubet P || 8 nec ab edicti sententia declinabat *om.* A

33 1 ualle *corr. To.* : uallae PA || 2 per *om.* A

conscendit. et cum equitatum, quo plurimum Pizarrus 3 ualebat, se consequi et iam nouissimum agmen male habere et carpere conspiceret, superioribus constitit locis et, praesidiis in angustiis dispositis, arbores caedi et transuersas, ut iter impedirent, poni et pontes interrumpi mandauit. itaque maturius quam constituerat iter per montes et iuga accelerauit, ut equitatum effugeret, qui insequi et morari agmen, quamquam interposita mora propter impeditas uiarum angustias et interruptos pontes, non desistebat. erant ea itinera adeo difficilia et angusta ut facile equites qui insequebantur impediri itinereque prohiberi possent. nam etsi aliquantulum itineris campestris intercesserat, illud tamen loca aspera et montosa excipiebant. at Ferdinandus, qui cum equitibus et 4 tormentariis militibus hostes insequebatur, summe contendebat ut Almagrum anteuerteret celeriterque angustias occuparet. sed iam ille excelsum Guaitarae montis iugum conscenderat ibique, ut exercitum pugna et itineris labore defessum reficeret, angustiis praesidio firmatis, substiterat. Ferdinandus in proximo colle castra po- 5 suit et de tertia uigilia studio et uocibus militum, qui nullum recusabant laborem, excitatus, cum equitatum se circumfundere et hostes, si ex monte descenderent, insequi atque morari iussisset, cum expeditis tormentariis tramitibus occultis montem conscendit et angustias quibus Almagrum exiturum putabat incredibili usus celeritate occupauit. qua re per exploratores intellecta, Alma- 6 grus, cum imperasset Orgonio ut agmen caute duceret et pugna abstineret et monte exiret, ne hostes Cuschum

3 et iam P : etiam A || 5 colle *corr. To.* : collae PA | laborem *om.* A

praeoccuparent neu loca et itinera obsiderent, cum amicis et expeditis equitibus, ut periculum uitaret, montem Guaitaram reliquit et ad Cuschum est reuersus. Orgonius copias eo die, ne, si confligere cogeretur, defessum
7 militem proelio obiceret, in castris continuit. nec dubium est, si tunc cum Pizarranis pugnasset, quin eos clade affecisset, quippe Almagrani, etsi numero inferiores, tamen uirtute superiores erant; nam labore, glacie, aestu, fame et armorum usu durati et regionum naturae et alimentis et aquis assueti facile in eo saltu niuibus obducto omnia mala sustinebant. at Pizarri tirones frigore et nausea iuxta, ac si in salo essent, paene confecti nullo negotio oppressi fuissent. et id quidem his accidere solet qui ex planis locis in iuga niuosa conscendunt, ut perinde ac procella in mari conflictati nauseam faciant.
8 sed Orgonius, quod Almagrus cum hostibus congredi inhibuisset, tametsi centurionibus et militibus maxime obsecrantibus ne hostem, quem haud dubie debellasset, ex manibus dimitteret, pugnam committere noluit exercitumque incolumem, nemine impediente, Cuschum re-
9 duxit. Ferdinandus autem milites et frigore et nausea fere absumptos conspiciens quam celerrime potuit ex monte deduxit equitesque et pedites, quos Pizarrus ad montis radices habebat, nauseantes et proelio prorsus inutiles inuenit ideoque Pizarrus exercitum in ualles Perurae planae, ut ibi reficeretur, protinus reduxit eumque Ferdinando, quem praetorem Cuschi creauit, et Consaluuo legato commisit et in Limam est profectus.

7 clade A : claude P | fame P : famae A || 8 debellasset P : deue- A | incolumem *om.* A || 9 et *ante* pedites A : *nescio quid in* P | nauseantes P : nauscantes A

Et sane omnis controuersia et contentio Pizarri et **34**
Almagri de utriusque praefecturae finibus erat. non
enim ab his qui caelestium rerum, terrae atque maris
capaces habebantur ex sententia utriusque praefecti dis-
tingui potuerunt, quamquam ea de re frequenter actum
et disceptatum est multaque senatus consulta facta, qui-
bus res prudentissimis uiris, ut eam definirent, est com-
missa. sed nemo id apertius clariusque tractauit, nemo 2
exactius fines utriusque praefecturae descripsit atque
terminauit, ut suo demonstrabimus loco, quam Chris-
tophorus Vacca Castrus, qui utramque praefecturam et
Nouae Castellae et Noui Toleti post Franciscum Pizar-
rum praefectum summo cum imperio obtinuit.

Iam uero Almagrus, cum Pizarros non conquieturos **35**
intellegeret, quoad Cuschum reciperent, illud uallo et
fossa munire, dilectus habere, equos conquirere et coe-
mere, tormenta fundere, arma non solum ex aere sed ex
argento etiam facere atque ea demum omnia comparare
quae ad belli usum et ad urbis propugnationem neces-
saria fore putabat. ceterum magno erant ei impedimen-
to et grauis aetas et parum prospera ualetudo. nihilo
setius tamen omnia constanti fortique animo munia
tum per se ipse, tum per legatum Orgonium obibat.
nec Ferdinandus et Consaluus Pizarri in statiuis quies- 2
cere poterant, qui, militibus iam nausea discussa in
Chincha fertilissima ualle post bimestre tempus refectis,
exercitum in Cuschum duxerunt. Almagrus ut hostes 3

34 1 sane A : sani P || 2 demostrabimus P : -uimus A |
Noui *correxi* : Nouae PA

35 1 aetas P : aestas A | secius P (*ut uid.*) : se eius A ||
2 statiuis A : statiis *uel* status P

non longe ab urbe abesse per speculatores cognouit, Hispanos quos Pizarris fauere sentiebat in duas arcis regiae turres detrudi imperauit, quorum nonnulli et loci angustia et odore taetro sunt exanimati. deinde contionem aduocat et milites cohortatur ut strenue pugnarent 4 et sese dignitatemque suam defenderent: eo enim proelio futurum, si aduersarios funderent, ut amplissimis praeter immortalem laudem et gloriam, quam ex tanta uictoria essent relaturi, diuitiis fruerentur; se ex summo quodam iugo uirtutem uniuscuiusque qualis quantaque foret prospecturum ac magnis postea praemiis remuneraturum; nec se dubitare, cum propter aduersam ualetudinem non modo non praeesse sed ne interesse quidem proelio posset, quin Almagrum dignitatemque eius ob oculos ipsi essent habituri et, quamuis numero impares, operam daturi ut uirtute, sicuti sperabat, hostes prosternerent 5 atque uincerent. contione habita, Orgonio legato imperauit ut milites in aciem produceret, dum ipse cum paucis militibus iugum, unde prospiceret pugnam, conscenderet. Orgonius exercitum educit et milia passuum duo ab urbe ad uiam regiam consistit et aciem instruit. equitibus praeerant Franciscus Chauius, Ioannes Tellius et Vaschius Gueuara. Moscosus uero et Salinas et Ferdinandus Aluaradus centuriones pedites ducebant.

36 Ingens erat planities palustris et maxime caenosa. eam paruus amnis interfluebat et, quia non uidebatur a tergo adiri posse, oram eius Orgonius instructa acie tenuit et tormenta campestria qua hostes erant uenturi

3 tetro P : *etro A | pugnarent P : -runt A || 4 praeesse P : preesses A | ob *scripsi* : ab PA : ad *scr. To.* | ut P : et A | uirtute P : uirtuti A || 5 Moscosus A : Mus- P

collocauit. Pizarri fratres, qui ea nocte in iugis castra 2 fecerant, in planum descenderunt. ibi Ferdinandus aciem instruit et Mercadillum cum equitum turma extra ordinem ire et subsidio Indis sociis esse iubet. ipse sinistrum cornu, Consaluus et Aluaradus dextrum ducebant. utrumque ex equitatu et peditatu constabat. hoc 3 ut Orgonius intellexit, aciem in totidem agmina diuisit. primi omnium Indi auxiliares magnis clamoribus sublatis et ingenti in iugis contentione pugnam inierunt. his utrimque Hispani milites, qui ipsos concitarent ad certamen, mixti atque praepositi erant. at Ferdinandus na- 4 turam loci atque regionis contemplatus Petrum Vergaram centurionem cum tormentariis ab hostium tergo palustria temptare loca et, si ea inaccessa non essent, eos aggredi iubet. is sine mora pedites ex acie educit ac 5 paruo circuitu et fluuium, quamuis summo cum labore, traicit et ad hostium aciem prope accedens momento temporis turmam equitum unam manuariis tormentis solutis prosternit atque dissipat. quod ubi Valdiuia tribunus militum conspexit, magnis uocibus clamauit: 'irruite, milites, acriter irruite, qui Pizarri dignitatem armis defenditis! uestra est uictoria.' nec Vergara eo contentus 6 per caenosa inaccessaque fere loca transiens tormentariis, cum iam propius accessissent ad hostes, imperat ut in hastas quas Almagrani pedites erectas manibus tenebant ictu certo tormenta dirigerent. ea res magnum Almagranis detrimentum attulit; nam tormentariis globulis quinquaginta amplius hastae fractae fuerunt. Or- 7

36 2 fratres qui A : fractesqui P[2] : fractesque P | descenderunt P : descin- A || 5 educit A : aducit P | *post* defenditis *sic distinxi* : defenditis? PA : defenditis, *To.* || 6 ea A : eas P

gonius, cum tantum incommodum a tormentariis acciperet, subito in eos tormentum campestre displodi imperauit, unaque glande quinque militibus obtruncatis, reliqui sunt repressi, et cum iam hostium acies accederet, signum pugnae Orgonius dedit et impatiens morae atque clamitans 'sequimini, equites, me inter primos moriturum' agmen in sinistrum hostium cornu, quod ducebat Ferdinandus, tanto direxit impetu ut ipse unum atque alterum hasta transfixerit et gladio equitem quem Ferdinandum putauit ore traiecerit equoque deiecerit et strenue, sequentibus equitibus, hostes adeo reppulerit ut, nisi tormentario globulo secundum frontem ictum accepisset, quo uires roburque et oculorum lu-
8 men paulatim amittere coepit, eos in fugam uertisset. at Consaluus et Aluaradus, cum agmen Ferdinandi acriter ab hostibus premi uiderent, subito ex aduerso in eos irruunt compluresque iam pugnando fessos simul cum equis prosternunt atque trucidant. utrimque tunc acies animis plane obstinatis et aut uincere aut mori paratis
9 concurrere. atrox erat certamen; acerrime enim et summa quidem contentione, ut inter Hispanos, aliquot horas pugnatum est, sed cum Pizarri fratres et tormentariorum numero, qui ingentem faciebant stragem, et equitatu praestarent, inclinari Almagri acies incepit et, interfectis Moscoso et Salina et Aluarado centurionibus et Orgonio et Roderico Decio captis, Almagrani pedem referre et terga uertere, Pizarrani eos insequi ac crude-

7 displodi *correxi* : diplodi PA | reliqui A : reliquit P | clamitans P : -tas A | in *ante* sinistrum *om.* A | reppulerit *correxi* : -rint PA | quo A : quod P || 8 premi P² : praemi A : permi P | paratis P²A : par*tis P

lissime caedere et ne deditis quidem parcere, praesertim hi milites qui una cum Alfonso Aluarado ad Abancaii pontem uicti captique ab Almagranis fuerant, siquidem et Orgonium iugularunt et Decium et alios, qui abiectis armis se dediderant, hastis transfixerunt et Samaniegus Petrum Lermam humi et uulneribus procumbentem obtruncauit.

37 Indi, cum Almagranos uictos audirent eosque diffugere conspicerent, ultro pugna abstiterunt et castra, quod ea sine praesidiis essent, diripuerunt et in planum descendentes Hispanos occisos atque uulneratos armis et uestimentis spoliauerunt et nudos reliquerunt. 2 qui, si, ut antea inter se constituerant, uictores simul et uictos omnino defessos atque sauciatos aggressi fuissent, non dubium est quin sese patriamque suam perpetua seruitute liberassent Salinasque (sic enim ea palustria loca ubi proelium est commissum uocant) clade Hispanorum nobiles fecissent. 3 at uero Almagrus, cum suorum stragem fugamque conspiceret, ex iugo unde pugnam prospiciebat et celeriter descendit et in arcem regiam profugit, ubi a Consaluo Pizarro et Alfonso Aluarado, qui eum insequebantur, captus in eundem carcerem in quem ipse eos detruserat est coniectus. is dies erat ad sextum kalendas Maii anni MDXXXVIII.

38 Capto Almagro, Ferdinandus Pizarrus, quem praetorem Cuschi a Francisco fratre creatum dixeramus, ur-

9 caedere P : ced- A | et *ante* uulneribus P : ex A
37 1 spoliauerunt *corr. To.* : -rint PA | reliquerunt A : relinquerunt P || 2 liberassent *om.* A | sic *om.* P | (sic enim ... uocant) *ita dist. To.* | sic *om.* P || 3 arcem P : aciem A | eum P (*ut uid.*) : cum A

bem occupauit et eos quos Almagrus in arcis regiae turribus concluserat et alios quos uinculis constringi iusserat confestim soluit eisque aedes et agros restituit. deinde ducibus et militibus pro contione laudatis gratias egit, alios muneribus ornauit, alios ad inquirendas atque subigendas nouas regiones misit eisque Almagranos, ne quid noui temptarent neu tumultum in urbe concitarent et quod diminutae admodum essent cohortes, attribuit. 2 multo enim plures erant milites quam aut opes ullae ad referendam gratiam sufficerent aut se omnibus ipse satisfacturum speraret, praesertim his qui eo ingenio, ambitione, auaritia et insolentia erant ut Peruram sibi quisque pro meritis suis deberi existimaret. 3 ceterum cum Ferdinandus omni studio contenderet ut, dimisso iam exercitu, Cuschum hominibus factiosis et publicae quietis perturbatoribus purgaret, nuntiatum est Alfonsum Mesam praefectum tormentorum Pizarri cohortem quam Petrus Candia Cretensis Cuscho eduxerat, ut opulentam quandam regionem sed aditu difficilem exploraret, ad defectionem una cum Almagranis quibusdam concitauisse et, renitente Candia, cum ea in Collaiam uenisse. quin et palam dixisse se eam regionem, inuito etiam Ferdinando Pizarro, obtenturum et Almagrum liberaturum.

39 Itaque Ferdinandus eo nuntio permotus, cum intellegeret Almagri amicos ipso uiuo non conquieturos, sed bellum reparaturos, in eum animaduertere decreuit et, quo causam occidendi Almagrum aequiorem faceret, 2 crimina criminibus accumulauit: quod praeter omne ius

38 2 satis facturum P : factis facturum A || 3 renitente P : retinente A | obtenturum P : obuenturum A

Cuschum armis inuasisset atque occupasset, alios ex ciuibus interfecisset, alios urbe expulisset, alios agris multasset et, cum nullam Caesaris facultatem haberet, eos pro arbitrio suo dedisset atque cum Mango Hinga foedus contra Hispanos percussisset; ad haec ciuilis exitiabilisque belli et complurium Hispanorum caedis causa fuisset et Aluaradum ad Abancaii pontem multis Hispanis occisis captum cum aliis Pizarri ducibus in uincula coniecisset; praeterea in Chincham uallem, quae 3 haud dubie ad Pizarri praefecturam pertineret, cum exercitu intrauisset ibique coloniam constituisset; denique quod collatis signis in Abancaii ponte et in Salinis contra regia signa pugnasset miserosque ciues, antequam exercitum in aciem produceret, propterea quod eos suspectos haberet, in angustissimis arcis regiae turribus conclusisset, quorum multi interclusa anima compressi mortuique sunt, aliaque crimina perpetrauisset. quibus ipse ductus, ut communi omnium saluti et publicae libertati atque quieti consuleret, Almagrum capite damnauit. et sane omnes qui ius fidemque pensi habebant 4 et integrae sanaeque mentis erant aperte uidebant summo iure et peruerso aequitatis et legum ordine cum Almagro agi, siquidem Ferdinandus et accusatoris partes sibi sumens et iudicis officio fungens nullum reo defensionis locum relinquebat. ille crimina illata propulsat: se 5 Cuschum obsidione Mangi Hingae exemisse; nullum cum eo, qui se per insidias circumuenire uoluisset, foedus sanxisse; neminem a se ex Pizarri fratribus et ami-

39 2 expulisset P²A : expulsisset P | agris *corr. To.* : agri P : agr** A || 3 quae P : qua A *ut uid.* | produceret P : -rent A | consuleret A : -lere P || 4 sane P : ani A || 5 ex *om.* P

cis, quamuis eos in sua potestate habuisset, interfectum et, cum in urbem non admitteretur quae ad praefecturam suam pertinebat, eam, inuitis aduersariis, sine ullius ciuis caede ingressum et Aluaradum, cum ei prius denuntiatum esset ut finibus praefecturae suae excederet nec ipse uellet sed excursiones in agrum faceret, uictum
6 captumque Cuschum duxisse; non se ius iurandum uiolasse, non fidem fregisse, non societatem rupisse, sed ipsos Pizarros, qui sibi in Mala ualle insidias posuissent, qui se bello, pactionibus non seruatis, persequerentur nec eo abstiterint, donec intra praefecturae suae fines duces et milites Hispanos, qui ut eos tuerentur Cuscho exierant, atrocissime ad Salinas obtruncarint ne his quidem qui traditis armis se dediderant parcentes; et se eius urbis praefectum aetate et morbis paene absumptum in carcerem, nulla dignitatis habita ratione, contrusissent. sed nec haec durum feroxque Ferdinandi ingenium mouerunt nec ullae amicorum, qui pro eo intercedebant, preces eum flexerunt.

40 Hoc cum Almagrus audiisset, caelum querelis implere, fidem hominum implorare atque ea dicere et facere quae tam excelso ducis animo indigna plane uiderentur et his qui aderant (aderant autem quam plurimi) lacrimas excuterent fortunamque hominis et iniquam sor-
2 tem misererentur. et cum Ferdinandus eo uenisset, Almagrus eum intuitus 'oro' inquit, 'et obtestor te per

6 armis A : *nescio quid ante* mis *in* P | morbis A : moribus P | contrusissent *correxi* : -dissent PA | flexerunt P[2] : flux- P : fecerunt *in* flexerunt *corr.* A *ut uid.*

40 1 cum A : eum P | (aderant ... plurimi) *sic distinxit To.* || 2 eum P (*ut uid.*) : cum A

tuam fratrisque tui praefecti fortunam et per beneficia quae ego miser in utrumque contuli ne me iam senio et morbis confectum occidas, sed in isto taeterrimo carcere detineas, ut id paulum quod reliquum est uitae in expiandis impendam sceleribus, quae non in Franciscum Pizarrum, quem meis opibus meaque uirtute ad id fastigium atque amplissimum dignitatis gradum in quo nunc est collocatus euexi, non in te, quem in meam perniciem, inuitis meis ducibus, seruaui, at in optimum maximum Deum miser commisi. quod si te nulla honesti ratio mouerit, si nulla aequitatis et clementiae uis flexerit, si nulla beneficiorum quae in te fratresque tuos contuli memoria impulerit, ut ingratissimi hominis notam effugias, at saltem hoc unum misero seni concede, hoc tantum supplici nunc da, nempe ut me Caesari, quem nunc ipse appello, etiam catenis constrictum submittas. ille causa cognita, si aequum esse censuerit, caput abscidi imperabit perpetuamque tu inde laudem aequitatis et clementiae gratissimique animi reportabis.' 3

41 Ad ea Ferdinandus se eum demirari inquit, quod ipse dux fortis et acer et eo animo praeditus quo tot labores pertulerat, tot pericula tam mari quam terra subierat, quo tot bella summa cum laude confecerat, mortem tam abiecte et demisse ferret ac timeret; quin hoc in animo induceret, se in sententia sua permansurum nec eam precibus nec lacrimis nec minis mutaturum ac ne eum Caesari quidem submissurum; itaque extemplo 2

fratrisque A : fatrisque P | contuli P : -lit A | Deum *om.* A || 3 in te A : inter P | seni P : se ni A | nunc da P : nunaeda A | inde A : in P

41 1 abiecte P : abiede A

mentem in caelum tolleret, animum expurgaret et res suas more rituque Christiano, ut talem deceret ducem, 3 recte disponeret. ad haec Almagrus respondit nemini mirum uideri debere, si tantis ipse obnoxius criminibus mortem tam indignam et perpetua ignominia insignem timeret, quando sanctissimi pariter et fortissimi uiri eam maxime timuissent; ceterum sperare se eam clementiam in summo misericordiae Parente, quam ipse sanguinis caedisque suae auidissimus denegasset, inuen- 4 turum. et cum Almagrus se nihil proficere uideret, quod ille non magis quam si dura esset silex moueretur, fidem Didaci Aluaradi requirit atque implorat, qui pro Ferdinando, ut eum ipse dimitteret et ne occideret, se uadem dederat. et cum alii ex Pizarri etiam ducibus tum praesertim ipse Didacus Aluaradus ab eo contendebat ut Almagrum Caesari submitteret atque adeo dies noctesque in id insistebat ut et uadimonii quod Almagro pro ipso promisisset et fidei quam interposuisset, ut ille tutus esset atque indemnis, nequiquam eum ad- 5 moneret. nam Ferdinandus nulla re induci potuit ut Almagrum in Hispaniam mitteret, quippe cum metueret ne, si Caesar eum absolueret, crimen in caput suum intenderet imperiumque Francisco Pizarro praefecto abrogaret. et cum ex Collaia graues de Alfonso Mesa et aliis, qui cum ipso coniurauerant, se in itinere Almagrum, si uinctus Limam portaretur, erepturos rumores perferrentur, caedem Almagri, quam etiam ex Pizarri

3 misericordiae P : -dia A || 4 admoneret *correxi* : admonebat PA || 5 cum *post* quippe A : quum P[2] : qum P | eum P : cum A | Collaia P : Colaia A | si A : suos P | erepturos P : eceptu-ros A

sententia futuram sciebat, maturandam existimauit. itaque Ferdinandus ipsum admonuit ut sine mora rationem sui Deo redderet mortemque aequo animo ut strenuus dux atque Christianus ferret. quod Almagrus, ut tempus extraheret uitamque paululum prorogaret, difficulter admodum fecit. ceterum cum auxilio nemo esset tortoremque adesse cerneret, Caesarem et Didacum filium adulescentulum, quem ex Inda Panamensi susceperat, testamento heredes reliquit. tortor in carcere laqueo gulam fregit et in foro caput amputauit. ita ille Almagrus, dux fortis et acer, qui in Perura praefecturam Noui Toleti habuerat, indignum moribus factisque suis exitum uitae inuenit. 6 7

42 Mortem eius cum milites tum Didacus Aluaradus sane quam grauiter molesteque tulit, ut pote qui omnes neruos eo intenderat, propterea quod uadimonium ei pro Ferdinando promiserat, ut in Hispaniam Caesari Almagrus submitteretur. et cum id impetrare (tanta fuit obstinati animi Ferdinandi pertinacia) non potuisset, in Hispaniam, ut eum iuris iurandi et fidei publicae uiolatae coram Caesare postularet, est profectus. milites autem, quibus Almagrus propter largitionem erat omnino carus, siquidem his qui in Chiliam erant eum secuti amplius centum aureorum milia, quae per syngraphas crediderat, liberaliter remiserat (rem plane principe magis quam milite dignam!), eum inique caesum dolebant et, cum plerique indigerent neque id opis quod in Al- 2

6 strenuus P : strenuis A || 7 Perura Prefecturam P : Peruram A

42 1 (tanta ... pertinacia) *sic distinxit To.* | ut eum *scr. To.* : ut cum PA || 2 (rem ... dignam!) *sic distinxit To.*

magro habebant in Pizarris inuenirent, desiderio eius cottidie magis tenebantur Almagrumque, ac si uiueret, praesentem in oculis habere et de uindicta eius iam cogitare et id ipsum animis usque adeo infigere et imprimere ut is in mortuum amor, fides et militum uoluntas nullo metu, nullo labore ac ne ullis quidem uitae periculis auelli umquam potuerit, atque eo indigniorem iniquioremque eius caedem ducere, quo ille in aduersa-
3 rios clementior fuisset. constat enim neminem ex Pizarri fratribus consanguineisque et amicis ab eo non modo peremptum, sed ne, cum ipsos in uinculis retinuisset, uulneratum quidem fuisse. et hoc sane maxima dignum est admiratione: neminem ex iis quos ipse tot beneficiis tantaque largitione sibi obstrinxisset repertum, qui iugulo eius uel linteum supponeret aut cadauer exsequiis, pompa, laudatione exspoliatum in sepulcrum, ut par
4 erat, inferendum curaret. usque adeo misera atque fragilis est humana sortis condicio ut magnorum etiam ducum iniquam fortunam, acerbos casus et infaustos uitae exitus admirari numquam desinamus.

43 Ferdinandus, supplicio de Almagro sumpto, Didacum Almagrum adulescentem cum Ioanne Rada eius custode et aliis, ne eo duce Almagrani se coniungerent tumultumque in urbe facerent, Limam relegauit. deinde, rebus Cuschi compositis, equitatum, ut Mesae et aliorum militum qui a Petro Candia desciuerant cona-

Pizarris A : Pizarri P | indigniorem P²A : in dignationem P | clementior *scripsi coll. Gómara 242b* : dementior PA || 3 fratribus A : -tibus P | laudatione expoliatum in sepulcrum P² : laudatione spoliatum in sepulchrum A : *om.* P

43 1 relegauit A : relag- P

tus reprimeret, in Collaiam eduxit. ea regio, quamuis 2 sub Perura montana continetur, plana est. auro et pecore lanigero tam domestico quam siluestri plurimum abundat. milium propter caeli rigorem non prouenit sed aliunde aduehitur et papis radicibus, quae specie et sapore tubera reddunt, incolae uescuntur. eo cum Ferdi- 3 nandus peruenisset, Mesam et quosdam alios comprehendit atque interfecit, reliquis uero militibus Petrum Anzurium praefecit, ut eam regionem quam Candia propter seditionem militum adire non potuerat ipse repeteret atque exploraret. ceterum in Collaia Consaluum 4 Pizarrum, ut eam subigeret, cum equitatu reliquit et magnis ipse itineribus ad Franciscum Pizarrum se contulit, qui ex Ciuitate Regum in Cuschum uenerat et Chalicuchimam Atabalipae legatum nouas res molientem in Xaquixaguana ualle uictum et captum combusserat Indosque in officio manere fecerat.

Ferdinandus quid in animo haberet cum ipso consul- **44** tat. multi inter utrumque sermones habiti fuere; plurimum enim dubitabant quo animo Caesar Didaci Almagri praefecti caedem et praefecturam eius armis occupatam et tot Hispanos ad Salinas crudelissime necatos esset accepturus. et cum omnia inter se contu- 2 lissent, ea potissimum sententia placuit, quamquam dissuadentibus amicis ne id facerent, propterea quod Didacus Aluaradus eos caedis patratae et fidei publicae

4 Chalicuchimam *correxi, cf. e.g. 3.1.1, 3.2.2 et Cieza 437a* : Calicuchimam *corr. To.* : Chalichimam P : Calichimam A | Xaquixaguana *correxi coll. Cieza 437a* : Xaquiguana PA | fecerat P : faceret A

44 1 crudelissime P : -mae A

uiolatae esset postulaturus, ut Ferdinandus Pizarrus in Hispaniam traiceret, ingentem auri et argenti uim, quae ad Caesarem uectigalis nomine pertineret, nauibus
3 deueheret et quae gessisset ad eum referret: se Peruram hominibus seditiosis et pacis tranquillitatisque publicae perturbatoribus liberasse et Franciscum Pizarrum, ea re confecta, duces cum cohortibus Hispanorum ad explorandas diuersas Perurae regiones misisse atque imperi-
4 um protulisse. futurum inde putabant ut Caesar Pizarros de se atque de republica Hispana quam optime meritos aeterna laude, maximis praemiis et honoribus dignos non culpae obnoxios censeret. hoc cum in animum induxissent, Franciscus Pizarrus res Cuschi pru-
5 denter constituit. Alfonso Aluarado Chaxapoias Indos, Francisco Chauio Conchucos, Gomezio Aluarado Guanucos et Petro Vergarae Bracchamoros decreuit. Alfonso Mercadillo Moiobamba et Ioanni Porcello et Ioanni Perezio Gueuarae aliae trans Andes regiones obuenere. Petrus Valdiuia Chiliam et Consaluus Pizarrus Collas
6 habuit. quos ita magnis affecit cladibus ut, Mango Hinga ad Viticos Indos, qui regionem ultra Andes positam incolunt, fugato et Tico eius legato in proelio, cui Ferdinandus Pizarrus interfuit, capto, ad Charcas usque eos perdomuerit. eo bello confecto et Collaia in pro-

2 gessisset A : gessisse P || 3 liberasse: P : liberasse: *uel* liberasset A || 4 honoribus P : hominibus A || 5 Alfonso Aluarado ... decreuit. *om.* A | Chaxapoias *correxi, cf. adn. ad 4.10.1* : Chacha- P | Guanucos *correxi coll. Gómara 242b, Cieza 428b et Zárate 493a* : Gannucos P | Vergarae Bracchamoros *correxi, cf. 7.145.2* : Vergara Braccamoros P | Pocello P : Pozello A | Valdiuia P : Bal- A || 6 Tico] *cf. Zárate 492b*

uinciam redacta, Ferdinandus et Consaluus Cuschum
sunt reuersi. inde cum Francisco Pizarro fratre in Li- 7
mam descenderunt et Consaluus Quitum, cuius prae-
fecturam Pizarrus praefectus ei detulerat, est profectus.
nam Sebastianus Benalcazar Popaianam tunc prouinci-
am, quae ultra Quitiam est, cum imperio tenebat atque
subigebat. Consaluus autem, factis aliquot proeliis cum
Indis, Quitum peruenit et, Petro Puellaeo praetore cum
praesidio ibi relicto, cum ducentis Hispanis et Indorum
quattuor milibus et multo commeatu in Cumacum regi-
onem cinnamomo abundantem contendit. at Ferdinan- 8
dus Pizarrus, imposito in naues auro et argento, Francis-
cum Pizarrum praefectum grauissime monuit ut ab
Almagro adulescente et Chiliensibus caueret nec crede-
ret eos cessaturos, donec Almagri caedem uindicarent,
et cum quinque aut sex ex his simul coniunctos uideret,
eos non alia de re quam de necando ipso acturos puta-
ret. deinde Panamam nauigauit et alia ex Nomine Dei
classe in Hispaniam traiecit.

Multae per id tempus urbes, Francisco Pizarro iu- **45**
bente, sunt conditae et coloniae deductae et in his
Leuantum in Chaxapoiis ab Alfonso Aluarado et in
Guancabilcis Guaiachilia a Francisco Orellana et in
Charcis Plata nobile oppidum a Petro Anzurio et non
longe ab Andibus inter Cuschum et Limam Guamanga
a Francisco Cardena. et hi quidem duces et alii quos 2
commemoraui incredibili uirtute summoque labore at-

Consaluus P : Consaluũ A || 7 Puellaeo *correxi coll. e.g. 6.9.1 et 7.37.1* : Puelleo PA | Cumacum A : Cu*a*um P

45 1 Chaxapoiis *correxi, cf. app. crit. ad 4.10.1* : Chacha- PA || 2 commemoraui A : -auit P

que uitae discrimine regiones ab occasu ad solis exortum ad tricies centena milia passuum protensas explorauerunt easque sub Perura comprehensas imperio Hispaniae adiecerunt.

46 Nec Caesar eo tempore uitam ignauo otio traduxerat, sed Barcinone cum maxima et instructissima tam nauium longarum quam onerariarum classe soluens in Africam traiecerat, Guletam munitissimam arcem expugnauerat et Tunetem eius prouinciae longe maximam urbem, Ariadeno Ahenobarbo Turcicarum triremium 2 summo praefecto, qui eam tenebat, fugato, ceperat. qui, Mulaeio Hazenio in Tunetense regnum restituto, Neapolim et inde Romam concesserat et coram Paulo III pontifice maximo et amplissimo cardinalium ordine de Francisco Galliarum rege questus, qui propter Franciscum Sfortiam Mediolani ducem defunctum ipsi absenti pacem eripuerat, cum ualidissimo exercitu superatis Alpibus in Galliam transierat, uastataque Prouincia pacem summo pontifice procurante cum rege fecerat.

47 Inde in Hispaniam redierat et eodem prope tempore Toletum intrauerat quo Didacus Aluaradus in eam urbem questum de Pizarrorum iniuriis ex Perura uenerat. quem, cum ad Caesarem esset introductus, sic dicentem 2 accepimus: 'maximas plane et immortales Deo optimo maximo, Caesar inuictissime, gratias ago quod me a Perura usque saluum et incolumem hoc potissimum tempore in Hispaniam duxerit atque in conspectum tuum uenire fecerit, quo Africa perdomita, imperio tot

46 1 Barcinone P : -nae A | longarum quam onerariarum *om.* A || 2 Hazenio *correxi coll. Calu. Aphr. e.g. 15* : Azanio PA
47 2 incolumem A : -men P

prouinciis aucto, Gallo in ordinem redacto et pace per orbem terrarum constituta, uictor atque triumphator in Hispaniam redieris. neque enim dubito quin pro tua 3 incredibili aequitate, pro inuicti animi tui magnitudine, pro eximia publici priuatique boni cura me de Pizarrorum iniuriis querentem eo libentius et attentius sis auditurus quo iuris iurandi contemptam religionem et fidem publicam uiolatam, pro qua tot labores fortissime sustinuisti, tot pericula constantissime subiisti, tot tantaque bella felicissime confecisti, uerius apertiusque intelleges. unde incipiam? quo me uertam? ad quem confugiam, nisi ad te, magnanime clementissimeque Caesar? etenim qui <ius> iurandum uiolat, fidem publi- 4 cam uiolat, religionem contemnit, dignitatem senatus populique Hispani offendit ac maiestatem regiam laedit. o rem non puris hostiis, non maioribus uictimis procurandam, sed Ferdinandi Pizarri capite expiandam! ma- 5 gnas quidem et praeclaras res Franciscus Pizarrus eius frater gessit, primus Peruram explorauit, Atabalipam proelio uicit atque cepit, Cuschum expugnauit. at quibus opibus? quo fauore? quo auxilio? certe Didaci Almagri. is nauem ad explorandam Peruram instruxit et parauit. is, cum in Gorgone insula milites Pizarrum, tredecim tantum exceptis, deseruissent, nauem unam cum commeatibus remisit. nam quominus supplementum ille militum mitteret Riuius Panamae praefectus

triumphator P : triumphanter A *ut uid.* || 3 fortissime P : -mae A | felicissime P : -mae A | quo me uertam? ad quem confugiam *om.* A || 4 ius *add.* *To.* | o rem *corr.* *To.* : orem PA | *post* expiandam *sic distinxit* *To.* || 5 Riuius *et in marg. nomen Hispanum* Ríos *scr.* PA

graui interdixerat edicto. qua naui ad Tumbezium Perurae amnem Pizarrus penetrauit cognitaque regionum natura Panamam est reuersus. qui non in Hispaniam transire, non in conspectum tuum senatusque uenire potuisset, nisi Almagrus pecuniis mutuo acceptis eum
6 iuuisset. sed quam gratiam ille rettulerit, qua fide societatem cum eo initam seruarit quis non intellegit? nam in senatu ea quae in Perura gessisset coram grauissimo conspectu tuo referens omnia sibi Pizarrus, nulla Almagri socii habita ratione ac ne mentione quidem facta, non secus tribuit ac si ille alia naui non esset confestim eum consecutus, ac si cum Indis ad ingens illud flumen cui Diui Ioannis nomen indidit pugnando alterum oculum non amisisset. quin et militibus et commeatibus subinde naues suppleuit atque ipsum Pizarrum animum iam plane despondentem et expeditionem illam relinquere uolentem erexit atque confirmauit. atqui Pizarro amplissimis et quidem merito muneribus donato eius regionis praefecturam certis praescriptam finibus detulisti nec dubium est quin Almagrum aeque ac Pizarrum, si hic ea quae debuit fide res gestas rettulisset, pro tua, Caesar, in fortissimum et optimum quemque eximia
7 propensione et animi altitudine decorauisses. sed Panamam ille cum Pizarris fratribus et non parua Hispanorum manu rediit et aliquamdiu ibi consedit. non enim in Peruram traicere, non eam sine Almagri ope subige-

6 seruarit A : seruauit P[2] : *nescio quid in* P | tuo P : tuo *uel* suo A | ac *ante* ne *corr. To.* : hac PA | ac si ille alia naui non esset confestim eum consecutus *om.* P | aeque A : aequae P | quemq. P : quemquam A || 7 aliquandiu P : aliquando A | consedit P : concedit A

re ualebat. infirmae eius uires erant atque tenues adeo facultates ut tantam rem nullo ipse modo aggredi conficereque posset. iam fame morbisque milites quos adduxerat ex Hispania absumebantur, nemo miseris et afflictis Hispanis subueniebat, nemo Pizarro opem ferebat. eam ab Almagro tantum exspectabat ideoque omni studio contendebat ut eum sibi per amicos conciliaret. in id dies noctesque Pizarrus insistebat, qui fidem laeserat, qui foedera ruperat, qui societatis uinculum dissoluerat, qui sanctissimum amicitiae numen uiolauerat. quae etsi animum mentemque mutare abalienareque poterant, non tamen Almagrum ab instituta re dimouerunt. plus apud ipsum honesti ratio ualuit, plus nomen Caesaris effecit, plus Hispaniae amor mouit quam ullae Pizarri pollicitationes, quam amicorum preces, quippe cum de rege suo patriaque benemereri semper studeret. extemplo naues militibus, equis, armis, commeatibus instruxit et ornauit. quibus Pizarrus in Peruram nauigauit et in 8 Tumbezium, capta Puna insula, milites exposuit et in Caxamalca Atabalipam proelio uicit. huc Almagrus cum militum supplemento uenit; deinde, capto Cuscho, in Quitiam prouinciam contendit eamque in potestatem redegit. primus in Chiliam superatis iugis niuosis penetrauit. primus in eam regionem auro et argento scatentem uiam aperuit multisque proeliis cum Chiliensibus factis ad Copaiapum flumen peruenit. iam nuntii et quidem frequentes afferebantur Indos, cum saeuum et asperum Pizarrorum imperium ferre non possent, rebellasse et Mangum Hingam cum ducentis hominum

uiolarat *in* uiolauerat *correxerunt* PA || 8 Puna *scr. To.* : Pugna P : pugna A

milibus Cuschum obsedisse. qua re intellecta, Almagrus et Indorum defectione et Hispanorum periculo grauissime est commotus confestimque, ut sociis esset auxilio, de discessu cum centurionibus et militibus egit. non illum tanta uis auri quanta in ea erat regione tenuit, non priuatae quorumdam in Pizarros inimicitiae atque odia ut iter supprimeret bellumque Chiliense conficeret
9 admonentium flexerunt. sed dum ille animum in iter intendit, decretum regium accipit, quo, Caesar, praefecturam Noui Toleti ei decernebas. non dicam quantum munus illud amplissimum ille fecerit, quantum extulerit, quantum maiestati nominis tui se debere asseruerit, ut qui honoris, famae, laudis auidior quam auri, argenti
10 et gemmarum esset: "an non uidetis," inquiens, "milites, magnanimum Caesarem rebus plane quas ego gessi cognitis praefecturam mihi aeque ac Pizarro decreuisse et intra eam quidem Cuschum, quod obsidione cinctum auditis, contineri? quin iam, conuersis in Peruram signis, hanc operam, ut decet, Caesari praestemus, urbem obsidione eximamus et socios iam iam perituros e manibus hostium eripiamus" extemplo castra mouet, iuga iterum niuosa transcendit, incredibili celeritate Cuschum rediit, obsidione liberauit, Mangum Hingam in fugam uertit ingentique clade per Orgonium legatum
11 affecit. sed nec ita Almagrus copias in urbem induxit, priusquam decretum regium quo praefectura Noui Toleti ipsi deferebatur senatui populoque Cuschano esset

grauissime P : -mae A || 9 Noui P : Nouae A || 10 *signum interrogationis post* contineri *transposui, quod post* decreuisse *codd. et To. scribunt* || 11 nec *ante* ita P : ne A | noui P : nouae A

denuntiatum. at ciues ingrati et beneficii tam recentis accepti immemores, Pizarris, qui urbem praesidiis tenebant, consulentibus, nec decretum tuum, Caesar, audire nec praefectum liberatoremque urbis excipere uoluerunt, sed portas claudere, urbem munire, pontes interrumpere atque ea similiter parare ac si Almagrus alter Mangus Hinga esset omni studio, cura, labore contenderunt. ille, ut ciuium caedes uitaret, oppugnatione abstinuit et oblatam beneficio perobscurae noctis occasionem non omisit urbemque sine sanguine et caede ulla ciuium intrauit. Ferdinandum et Consaluum Pizarri fratres, quod se praefectum admitti in urbem prohibuissent, in uincula coniecit. at non breui eam 12 prouinciam pacauit? non Indos in fide retinuit? non in officio manere fecit? certe in hoc unum tantum erat intentus, ut fines imperii tui prorogaret, ut signa regia cum sacrosanctae religionis incremento proferret. at quominus sicut optabat id praestare posset Franciscus Pizarrus fecit, qui Alfonsum Aluaradum gentilem meum cum quingentis Hispanis in prouinciam Cuschanam misit. eum Almagrus in praefecturae suae fines ingressum nec inde, quamuis ab eo primo admonitum, excedere uolentem sine ullius Hispani caede ad Abancaii pontem uictum atque captum Cuschum perduxit finesque praefecturae suae, ne Pizarrus eam occuparet, defendere laborauit. et ne res in bellum ciuile magna cum 13 Hispanorum pernicie eo praesertim tempore prorumperet quo Indi desciuerant in armisque adhuc erant, in

oblatam P : abl- A | admiti A : amitti P || 12 pacauit? A : pacauit. P | *post* fecit *sic distinxerunt* PA : *signum interrogationis scr. To.*

Chincham Perurae planae regionem descendit. inde legatos ad Pizarrum misit, qui cum eo de pace et concordia agerent. hoc Almagrus ideo fecit, ne maiestatem nominis tui dignitatemque senatus populique Hispani offenderet. erat tunc Pizarrus cum septingentis Hispanis et auxiliaribus Indorum copiis in Pachacama ualle sedecim passuum milibus a Ciuitate Regum distante et legati quidem eo rem deduxerunt, ut uterque Franciscum Bobadillam uirum religione et doctrina insignem compromisso facto arbitrum daret. hic certis quibusdam pactionibus decreuit ut ambo indutiis factis in Malam uallem, quae aequo fere spatio ab utriusque castris
14 aberat, ad colloquium uenirent. o perfidiam inauditam! hic Consaluus Pizarrus, qui, corruptis custodibus et Gabriele Roia praetore capto atque secum in uinculis ducto, ex Cuscho una cum Alfonso Aluarado profugerat, Almagro insidias posuit copiasque in occultis locis collocauit. qui per indicem certior factus, cum iam in Malam peruenisset, ne circumueniretur, in castra se recepit. et quamuis Pizarrorum fraudem intellegeret, ta-
15 men ille de pace ac de concordia agere non destitit. ego rem, Caesar, suscepi, ego unus confeci, ego unus Almagro, si dicere fas est, imposui et indignae eius caedis causa fui, quippe qui controuersiam quam ille et Franciscus Pizarrus inter se habebant ita sedaui, ut in sua quisque prouincia usque eo subsisteret, quoad Caesar nouo regioque edicto aliud imperaret, et pro Ferdinando Pizarro me ipsum Almagro uadem dedi, ut eum, quem in liberis custodiis habebat, confestim dimitteret,

13 Chincham *correxi, cf. e.g. 4.39.2, 4.47.17* : Chicham PA | Pachacama *corr. To.* : Pachachama PA

hac tamen condicione, ut prius fidem publicam ille mihi interponeret eamque sacramento confirmaret: se non modo quicquam detrimenti Almagro non illaturum, sed ne quidem, si ab alio inferretur, passurum. uadimonium ego promisi, ille fidem publicam mihi interposuit. Almagrus, qui bona fide rem tractabat, uadimonio facto, Ferdinandum contra omnium ducum atque amicorum suorum sententiam atque uoluntatem dimisit. qui sta- 16 tim ut in castra ad Franciscum Pizarrum peruenit (peruenit autem quam celerrime), fidem publicam ab se interpositam fregit, ius iurandum uiolauit omniaque ita perturbauit ut ingens rerum commutatio atque animorum fuerit repente facta, siquidem Pizarrus, qui dolo malo agebat ut quoquo modo posset Ferdinandum liberaret, edictum regium tunc protulit quod, multo antequam ego controuersiam inter eum et Almagrum dirimerem, Petrus Anzurius ex Hispania attulerat. hoc 17 Almagro sine mora denuntiat atque palam praedicit iam se ex illo nouo regioque edicto non pactionibus ullis, non sacramento teneri; iam fidem publicam liberasse; proinde Chincha ualle confestim excederet et Cuschum restitueret; si id ita faceret, sibi perpetuam gratiam atque amicitiam cum eo futuram; sin minus, sese Pizarrorum fratrum iniurias non neglecturum eumque ex tota Perura expulsurum. Almagrus ex edicti regii sententia 18

15 ne *correxi* : nec PA | promissi A : promisit P | fide A : fide *uel* fides P || 16 (peruenit ... celerrime) *sic distinxit To.* | omniaque A : omnique P | liberaret P : liberarit *uel* liberauit A || 17 predicit A : praedixit P | restitueret A : -tuere P | futuram *corr. To.* : fucturam PA | fratrum A : -tum P | expulsurum. PA : expulsurum? *To.* || 18 edicti A : edictis P

respondit se Caesari, ut semper fecisset, parere atque in eo loco manere in quo edictum sibi esset denuntiatum. et ea sane erat edicti sententia, ut uterque praefectus ibi
19 consisteret ubi edictum denuntiaretur. atqui Pizarrus nihil amplius cunctatus praeter edictum regium in Almagrum mouet. ille, ne proelio decerneret, montes conscendit. aduersarii eum celeriter insequuntur. quos Almagrus, cum in Guaitara iugo frigore, fame, labore paene confectos nullo negotio delere potuisset, satis habuit optimumque factu putauit, ne Caesarem offenderet, ne rem Peruranam in summum discrimen adduceret, si milites incolumes Cuschum reduceret, si sociis consanguineisque Hispanis quamquam de se male meri-
20 tis parceret. an hoc beneficio animum Pizarri flexit? an ideo ille diu Almagrum Cuschi quiescere passus est? quod dominandi magis libidine quam eius opprimendi uoluntate Pizarrus fecerit non satis dixerim; certe utrumque euentus rei postea comprobauit. nam uix bimestri tempore in Chincha ualle, ut milites reficeret, exacto, cum Limam ipse repeteret, Ferdinando et Consaluo fratribus imperauit ut cum omnibus copiis Cuschum contenderent illudque pulso Almagro reciperent.
21 qui, cum iam aduersarios urbi appropinquare per speculatores cognosceret, Orgonio legato mandauit, quod ipse aduersa ualetudine impediretur, ut eos milites qui tot proelia cum Indis fecerant, qui Chiliam inuenerant, qui Cuschum obsidione Mangi Hingae exemerant, in aciem produceret, ut praefecturae suae fines tuerentur.

19 male P : mali A | *post* reduceret *plene distinguunt* PA || 20 an hoc beneficio animum Pizarri flexit? *om.* P | flexit *scripsi, cf. e.g. 7.33.1, 7.55.1, 4.47.25* : fregit *scr. To.* : fecit A

eos proelio ad Salinas, quae haud procul urbe aberant, commisso Pizarrani, quod multo plures numero essent, crudelissime obtruncauerunt. Orgonium etiam legatum 22 et Rodericum Decium et Petrum Lermam centuriones et alios qui traditis armis se dediderant immanitate plus quam barbara hastis transfixerunt. non Turcae, non Mauri, non Afri, non aliae gentes barbarae, quas inuictis tuis armis, Caesar, perdomuisti, de quibus tot uictorias rettulisti, tot triumphos egisti, tam immane facinus commisissent. quid crudelius quam supplici hosti non parcere? quid inhumanius quam eum qui se abiectis armis dediderit trucidare? et Pizarri quidem eo proelio 23 rem Peruranam in tantum deduxere periculum ut, si Indi arma in eos uertissent, sicuti animum ad diripienda castra adiecerunt, amisisses, Caesar, Peruram prouinciam omnium Indicarum longe ditissimam, amisisses Chiliam auro et argento multo abundantissimam easque magno certe cum labore et difficultate ac militum caede recepisses. nam Indi nostris calamitatibus et dissidiis iam edocti strenue eas defendissent. sed quo digredior? 24 Pizarri Cuschum occupant, Almagrum praefectum tuum in ea urbe, quae ad praefecturam eius pertineret, indigne capiunt et in taeterrimum carcerem coniciunt. quem Ferdinandus Pizarrus etiam ex Francisci praefecti sententia atque uoluntate capite damnauit. non tuum 25 nomen, Caesar, quod sceleratissimis quibusque saluti

21 eos *ante* proelio *corr. F. Socas me teste* : eas PA || 22 Decium A : Dezium P | parcere A : parare P | parcere? ... trucidare? *sic interpunxit To.* : *post eadem uerba plene distinguunt* PA || 23 recepisses P²A : recepisse* P || 24 *signum post* digredior *scr. To.* : *sine interpunctione codd.* | in teterrimum P : interrimũ A

aliquando esse solet, Almagro profuit, non iuris iurandi uiolati Ferdinandus rationem habuit, non uadimonium quod pro eo Almagro promiseram ipsum mouit, non amicorum preces, etiam ex ipsius Pizarri ducibus, qui pro eo intercedebant, obstinatum eius animum flectere potuerunt, ut, quoniam ipse Caesarem appellasset, Cae-
26 sari in Hispaniam submitteretur. quid? non pudor, non fides publica toties fracta, quam barbarae etiam nationes religiose sancteque seruant, eum deterruit, non denique pristinae libertatis receptae et uitae ab Almagro seruatae beneficium ab eius caede abduxit, qui uitam ei dederat, qui amicos et consanguineos eius quos in potes-
27 tate sua habuerat non occiderat. o rem indignam! Ferdinandus, ut clementiae laudem referat, in carcere Almagro gulam laqueo frangit et, ut aequitatis nomen et famam apud Indos sibi comparet, praeeunte et clamante praecone, non secus ac si Almagrus maiestatem regiam minuisset, ac si senatus populique Hispani dignitatem offendisset et patriam prodidisset ac demum in perduellionis crimen incurrisset, in foro ceruicibus caput absci-
28 dit. etenim, Caesar, si maiores tui grauissimas poenas in fidei publicae uiolatores, in homicidas, in sicarios, in pacis quietisque publicae perturbatores, in patriae proditores statuerunt, quibus poenis, quibus suppliciis Ferdinandum Pizarrum dignum censes, qui fidem publicam fregit, qui ius iurandum uiolauit, qui Almagrum

26 religiose sancteque P : religiosae sanctaeque A | eum A : cum P | o rem indignam! *correxi* : orem indignam *sine interpunctione* PA || 27 frangit P : fragit A | et *post* frangit *om.* P | famam P : famen A | offendisset et P : offendisse*** A || 28 publicae *ante* perturbatores A : publica P

praefectum tuum indicta causa necauit, qui, cum ille maiestatem nominis tui appellasset, se in Hispaniam eum submissurum negauit, ut qui uereretur ne Almagrus absolutus et amplissimis praemiis, muneribus et honoribus a te decoratus crimen in eum intenderet et quae deliquisset ultimo supplicio lueret? hoc ille a 29 Francisco Pizarro acceperat, qui Atabalipam Perurae regem potentissimum, cum ad Caesarem prouocasset, fide quam ei dederat uiolata se eum saluum et incolumem dimissurum, indigna morte, ut auro eius se expleret, impune peremit. atque eo res, Caesar, est deducta 30 ut, Almagro interfecto, Pizarrus utramque praefecturam, sicuti semper ambierat, summo cum imperio sed maiore cum Hispanorum pernicie, nisi quam maturrime sit prouisum, futura teneat. haeret enim, certe haeret militum animis qui proelio effugerunt mortui memoria, praesentem in oculis habent et nomen quidem Almagri infixum impressumque uisceribus animisque gestant. et certe, ut olim Italia in Gibellinorum et Guel- 31 phorum factiones fuit diuisa, unde tot bella, caedes, latrocinia, stupra, incendia, urbium euersiones sunt secutae, sic Perura in Chilienses et Pachacamenses est iam distributa. hi Pizarri partes agunt, illi de uindicanda Almagri caede cogitant, grauissimasque inter se hae duae factiones inimicitias exercent intestinisque odiis dissident atque flagrant. et haud dubia res est quin quod

interrogationis signum quod PA *post* cernes *scribunt post* lueret *transposui* | praemiis *om.* P || 29 incolumem *correxi* : incolumen PA || 30 uisceribus animisque gestant *om.* P || 31 stupra P : strupa A, *ut solet* | euersiones P : eunsiones A *ut uid.* | Pachacamenses P : Pachaxa- A

nunc parturiunt tandem aliquando pariant et uniuersam Peruram euertant Indosque funditus deleant atque efficiant ne religio et pietas, quae tuae sunt maximae et 32 praecipuae, Caesar, curae, inter ipsos propagentur. iam templa profanari, caedes committi, rapinas agi urbesque et oppida diripi uideo. haec auaritia et ambitio Pizarrorum faciunt. quis durum et asperum eorum imperium ferre potest? quis se in Perura alteri credere audet? an parum est fidem publicam uiolare, uadem fallere et perpetua iniuria et ignominia afficere? corruunt certe respublicae cum fides publica non seruatur, cum ius iu- 33 randum uiolatur, cum uadimonia deseruntur. scis hoc, Caesar, scis hoc unus omnium maxime. an non Franciscum Galliarum regem, cum fidem publicam fregisset, cum pactis non stetisset, ad singulare certamen prouocasti? an non ipsum Gallum, quod Francisco Sfortia Mediolani duce defuncto, pacis foedera rupisset et in Caroli Sabaudi Allobrogum principis dicionem inuasisset, fidei publicae uiolatae coram Paulo III pontifice maximo et amplissimo cardinalium ordine detulisti? eum non modo non regis sed ne uilissimi quidem abiectissimique hominis fidem habere palam asseruisti atque id te, si congredi ille auderet, gladio monstraturum eo tempore obtulisti quo, Caesar, de Guleta munitissima arce expugnata, de Tunete capto et de Africa subacta 34 Romae triumphasti. etenim, Caesar, si tu tantus imperator fidem publicam a Gallo uiolari et pacem non seruari tam grauiter molesteque tulisti ut nullum non uitae

33 an *post* prouocasti? P : at A | *post* detulisti *signum interrogationis add. To.* : *plene distinguunt* PA | Tunete P : Zunete A *ut uid.*

discrimen subire non dubitaris, quid me militem tuum in Ferdinandum Pizarrum facere oportet uides, quem, uadimonio Almagro pro eo facto, ex uinculis eripuerim morteque liberarim, qui, fide publica qua se mihi ideo obstrinxerat fracta, Almagrum nequiquam Caesarem appellantem tam inique in carcere necarit. ego Ferdinando Pizarro diem capitis dico, fidei publicae uiolatae postulo, caedis indignae Almagri arcesso, maiestatis regiae defero. uera, Caesar, dico atque adeo in Perura manifesta ut non oporteat me probationes implere, non firmissima argumenta exagitare, non uerissimis testimoniis rem confirmare. quod si ille criminationes quibus in absentem utor falsas esse affirmarit easque repellere temptarit, Ferdinandum Pizarrum, si hoc, Caesar, permittis, ad singulare certamen prouoco; sic enim ueraene an falsae sint hae criminationes plane constabit. hoc te per tot uictorias, per tot triumphos, per tot tropaea quae per uniuersum terrarum orbem ad aeternam inuicti nominis tui memoriam sunt posita ut permittas obsecro et obtestor. hoc praemium pro magnis laboribus quos pro augenda religione in Guatimala, in Perura et in exploranda Chilia sub regiis signis tuis pertuli summe peto, hoc munus pro his uulneribus quae pro finibus Hispani imperii proferendis pugnando cum Indis accepi ut a te, magnanime Caesar, impetrem potissimum exopto maximeque contendo.' 35 36

48 Caesar Almagri caedem et dissidia inter Hispanos atque factiones aegerrime tulit. ingentia enim mala inde

35 manifesta A : -festo P | exagitare P : excogitare A | ille A : illae P | inuicti A : inuicta P || 36 *post* obtestor *sic distinxit* P, *sine interpunctione* A | exopto P : ex apto A

nasci uidebat, nisi discordias componeret et seditiones comprimeret, nec Christianam religionem in Perura propagari nec Indos pietate imbui nec imperii fines
2 prorogari existimabat. Aluarado benigne respondit se eum pro maximis suis in rempublicam meritis eximie ornaturum nec decere ipsum cum Ferdinando Pizarro in certamen descendere, sed quod ex iure et aequo et bono esset facturum atque in eum causa cognita seuerissime animaduersurum eamque rem sibi curae praeci-
3 puae fore. nec Caesar hoc distulit; extemplo enim senatui Indico iniunxit ut ea quae de Pizarris Aluaradus detulisset diligenter inquireret et operam daret ne quid detrimenti res Peruranae acciperent, insuper uirum iustitia, uirtute, prudentia insignem deligeret, cui tantae rei cognitio tuto committi posset, ut seditiones tolleret, discordias inter Hispanos sedaret et Indos in officio
4 manere faceret. erat tunc eius Indici senatus princeps et summus Indiarum praefectus Garsias Loaysa Dominicanus cardinalis et pontifex Hispalensis et senatores Ioannes Xuaraeus Caruaialis pontifex Lucensis, Bernardus Lucus, Beltrandus Ventura et Gutterius Velaschius et aduocatus fisci Villalupus et scriba Ioannes Samanus. et hic quidem senatus omnem curam adhibuit ut ea

48 2 se eum *scripsi* : secum PA : se cum *corr. To.* | eximie A : eximi** P | aequo P : equo A | praecipuae A : -pue P || 4 Indiarum P[2] : Indarum PA | Loaysa *correxi, cf. e.g. 6.7.4, 6.24.3* : Loaisa PA | Xuaraeus *correxi, cf. e.g. 6.24.3* : Suareus PA | Caruaialis *correxi, cf. 6.24.3* : Caraua- PA | Ventura P *(perperam ipse Caluetus, ut uidetur, hoc scripsit, cf. Calu. Gasca 393b, Gómara 249b et Busto s.u. 'Beltrán, Ventura')* : Bentura A | scriba P : seriua A | hic P : hi A

quae Caesar mandauerat ex his potissimum inquireret atque cognosceret qui nuper ex Perura uenerant.

49 Dum senatus in hoc animum intendit, Ferdinandus Pizarrus cum multo comitatu ex Perura Toletum ad Caesarem peruenit ingensque auri et argenti pondus attulit. qui, cum se de fide uiolata, de Almagri caede, de maiestate minuta ab Aluarado delatum ad Caesarem audiret, omni studio curaque contendit ut se Caesari per amicos purgaret et oblatas ab Aluarado criminationes depelleret. 2 nec deerant proceres summae apud Caesarem auctoritatis qui Pizarro fauerent iniquumque dicerent Pizarros, qui Peruram explorassent atque subegissent, in ius uocari atque traduci capitisque deferri; id Aluaradum odio magis et inuidia ductum quam ulla iniuria lacessitum facere. atque ita rem (tanta uis est auri!) in dies protrahebant. 3 ceterum cum Aluaradus diem capitalis Pizarro diceret actionemque perduellionis in eum intenderet, res in senatu Indico cognosci agique coepta est et Pizarrus causam de fide publica uiolata, de Almagri caede, de maiestate laesa dicere est coactus. 4 at, cum Aluaradus in eam dies noctesque incumberet grauissimeque Pizarrum accusaret, in morbum tam acrem ancipitemque incidit ut die tertio animam efflarit. creditum est eum ueneno fuisse sublatum. eo mortuo, causa est intermissa et Ferdinandus Pizarrus in Methymnae Campensis arcem deductus et Ioannis Vaccae praefecti custodiae traditus.

49 1 ex *om.* P ‖ 2 fauerent P : facerent A | capitisque A : captisque P | inuidia P : -diae A | (tanta ... auri!) *sic distinxi* ‖ 3 perduellionis A : perdullionis P | coepta A : capta P | maiestate P : -tati A

50 Plurimae tunc et grauissimae res Caesarem sollicitabant et angebant animumque eius huc atque illuc impellebant in diuersaque trahebant, sed imprimis obitus Isabellae Lusitaniae augustae uxoris suae lectissimae et sanctissimae, quae Toleti kalendis Maii decesserat, deinde Ganduum natale Caesaris solum et Belgii longe maximum atque opulentissimum oppidum, quod ab imperio eius desciuerat, postremo res Peruranae, quas propter Hispanorum dissensiones et mutuas inter ipsos
2 caedes in summo fore periculo uidebat. uerum haec omnia altitudine animi sic sustinebat atque tegebat ut nec ullum maeroris aut doloris signum daret nec reipublicae curam abiceret. qui, tametsi eam rem senatui Indico delegauerat, tamen multum dubitabat cui tam arduum tamque difficile Perurae munus committeret, siquidem in memoria Caesar ea habebat quae Aluaradus, cuius mortem etiam permoleste tulerat, et uere et prudenter dixerat, ac secum in animo agitabat ea odia, dissidia, discordias, seditiones, bella ex Hispanorum cupiditatibus nata summam omnium perniciem euasura exitiumque prouinciae, ni quam celerrime prouideret,
3 allatura. multi certe uiri et uirtute et doctrina praestantes, quibus maximae difficillimaeque res committi posse uidebantur, in mentem Caesari ueniebant. ceterum cum ipse diuino quodam dono et ingenii summi acumine

50 1 Isabellae P : Isabella A | Lusitaniae P : Lusitanae A | Maij P : Maj. A | decesserat P : desce- A | deinde P²A : denaque P *ut uid.* | longe P : longae A || 2 tamque P : tamquam A | nata *corr. To.* : natam PA || 3 maximae A : maxime P | difficillimae P² (*ut uid.*) A : difficillime P | Caesari P² (*ut uid.*) A : Caesaris P

naturam moresque unius cuiusque cognosceret, rem in aliquot distulit menses, ut ex animi sui sententia aliquis se offerret quem tanto dignum munere censeret.

51 Erat in conuentu Pintiae iuridico Christophorus Vacca Castrus Legionensis ex clarissima Vaccarum et Castrorum gente. sunt enim in Hispania hae duae familiae celebres atque peruetustae et maiorum titulis atque imaginibus illustres et magnis rebus tam pace quam bello gestis insignes. 2 is Vacca unus ex his duodecim iudicibus eius conuentus Pintiani et consilii regii, qui auditores dicuntur, magnum in eo munere specimen uirtutis, iustitiae, integritatis dederat. summa in eo erat uis ingenii, multae et reconditae et exquisitae litterae, multa et priuati et publici iuris cognitio, multus rerum tam ciuillium quam forensium usus et singularis industria in agendo et labore perferendo et celeritas in conficiendo et consilium in prouidendo. par animi magnitudo atque prudentia. 3 et profecto ita se ille a pueritia instituerat, ut de uirtute, de pudore, de abstinentia cum strenuo et optimo atque modestissimo quoque certaret et ut aeque rigorem et aestum ac famem et sitim perferret. et quod sane quam mirum est, cum in castris numquam fuisset, numquam stipendia fecisset, adeo scientiae militaris erat peritus ut ea etiam re clarus haberetur. 4 et cum uirtute plurimum praestaret, gloria etiam maxime excellebat. itaque, cum Vacca eo animum intenderet ut in eo munere quod obibat caste integreque uersaretur, eam gloriam est consecutus ut multitudo eum diligeret, fidem

51 1 clarissima A : charissima P | peruetustae A : peruentustae P || 3 profecto P : praefecto A | fuisset, numquam *om.* A || 4 caste integreque P : casteque A

haberet et cum admiratione quadam honore dignum putaret. non enim diu uirtus in occulto esse potest, mercedem honoris, laudis, gloriae desiderat.

52 Haec certe uirtus et eximiae aliae animi dotes et tam multa generis, nominis, ingenii, doctrinae ornamenta fecerunt ut Caesar Vaccae fama tantum ductus ad eum scriberet gratissimum sibi futurum, si eam prouinciam susciperet, in qua uirtus eius magis enitesceret. ad haec Vacca respondit se paratum quodcumque uitae discrimen subire quod e re Caesaris eque republica esset; quod uellet imperaret se omni studio, fide, cura id ipsum exsecuturum. 2 nec multo post Caesar Toleto Pintiam ueniens Vaccam ad se euocari iussit. multa rogat, multa inquirit et cum eo consultat et de summis et grauissimis rebus agit aperteque indicat res Peruranas, ni confestim et sine mora prouisum fuerit, in maximum discrimen atque exitium uenturas: se eas uiro forti, graui et prudenti committere uelle eumque in Peruram cum imperio mittere, qui contentiones et discordias Hispanorum sedaret, rempublicam componeret atque constitueret et in ordinem summa fide, prudentia atque integritate redigeret, ut Hispani seditionibus et armis abstinerent, Indi religione et pietate imbuerentur et termini imperii cum sacrosanctae religionis incremento prorogarentur. 3 ad haec Vacca ita prompte, acute et prudenter respondit ut Caesar ingenium eius sublime et iudicium tam acre et magnum et cum utriusque iuris et maximarum rerum scientia coniunctum admiraretur

52 2 maximum A : marixum P | rempublicam componeret atque constitueret *om.* P || 3 prompte P : promptae A | scientia P : sententia A

magnitudinemque animi atque constantiam egregie calleret aetatemque firmam ac plane militarem, cui grauitas oris dignitatem addebat, maxime probaret. itaque Caesar nactus uirum aptum, integrum et idoneum et ex animi sui sententia ad id munus obeundum et ad eam rem exsequendam, quae ipsum uehementer angebat, extemplo Vaccam in amplissimum ordinem et senatum regium legit et in numerum militum diui Iacobi ascribit eique, ut utramque praefecturam et Nouae Castellae et Noui Toleti summo cum imperio obtineret, Peruram prouinciam decernit. deinde litteras ipsi ad senatum Indicum dedit, ut quam celerrime fieri posset edicta et decreta regia atque diplomata expediret et Vaccam in Peruram dimitteret. 4

His rebus Pintiae constitutis, quamquam proceres et amici Caesarem monebant ne salutem suam Gallo committeret, quem in Insubria per legatos, exercitu eius fuso, captum et in Hispaniam deductum in liberis custodiis habuerat et qui toties fidem fregerat et pacem non seruauerat, tamen Caesar nihil tunc de Francisci regis fide dubitans, quod ei Lianoram reginam sororem suam in matrimonium dedisset et ille pacem interuentu Pauli III pontificis maximi Niceae factam et in Fossis Marianis postea confirmatam eximie coluisset, illa inuicti animi sui magnitudine fretus nullaque umquam re territus Pintia mense Nouembris eius anni qui erat Christi mil- **53**

aetatemque firmam P : etatemque firmum A ‖ 4 adscribit P : abscriuit A | Noui *correxi* : Nouae PA | celerrime P : -mae A | edicta et *scr. To.* : edicta ex A : et dicta et P

53 1 Pintiae *corr. To.* : Pinciae P : pinctae A | III P : 3 A | Pincia P : Princia A | Nouembris P : Nouembri A

lesimus quingentesimus tricesimus nonus discessit et 2 per Galliam in Belgium contendit. Vacca uero Madritium, quae Mantua Carpetana olim fuit, se contulit. eo iam, Caesare Toleto discedente, Philippus princeps cum magna procerum et omnium ordinum caterua uenerat. et Vacca quidem edictis et decretis regiis a principe et senatu Indico, quae ad gerendam administrandamque prouinciam pertinere uidebantur, recte prudenterque constitutis et celeriter expeditis Hispalim, ubi classis instruebatur, cum optimo comitatu est profectus.

Subscriptio: Finis Quarti Libri A

LIBER QVINTVS

Iam quae belli Indici initia, quos progressus in inquirendis lustrandisque per uastum et incognitum Oceanum nouis insulis et regionibus Hispani sub Columbo primum fecere, quas deinde prouincias sub Cortesio aliisque ducibus explorauere atque subegere, quae bella postremo et seditiones ab inuenta deuictaque Perura Franciscus Pizarrus et Didacus Almagrus, nulla societatis, fidei, sacramenti ratione habita, dum alter in alterius praefecturae fines et quidem summa cum utriusque pernicie inuadere pertinaciter contendit, gessere primo prioribus libris exposui. tanta enim ira odioque hi de imperio certauere ut exitiabili calamitosoque bello numquam abstiterunt, donec Ferdinandus et Consaluus Pizarri praefecti fratres signa cum Almagro ad Salinas haud procul urbe Cuscho contulerunt eumque uictum et captum uita imperioque spoliarunt et Didacum Almagrum adulescentem eius filium Limam relegarunt, qui postea in paternae caedis uindictam Franciscum Pizarrum praefectum regium obtruncauit. primus hic arma in regem sumpsit, milites conscripsit, dilectus habuit, Peruram occupauit caedibusque et latrociniis impleuit ac demum proelio cum Christophoro Vacca Castro legato regio et Perurae praefecto haud longe ab oppido Goamanga dimicauit, a quo fusus et captus meritas perfidiae rebellionisque poenas dedit. **1** 2 3

Ceterum ea uictoria et res pace belloque prudenter ac fortiter in Perura gestae ingentem Castro inuidiam **2**

1 1 oceanum A : occeano P | subegere P : subigere A | seditiones P : *nescio quid ante* tiones *in* A | in *post* alter *om.* P | primo *om.* P | exposui A : exposuit P

conflauere eumque in summum uitae, honoris, dignitatis, fortunarum discrimen adduxere. nam is, qui uirtute sua Peruram receperat, iuste moderateque gubernarat, religionem Christianam propagarat, Indos uera pietate imbuerat atque conseruarat, uectigalia regia auxerat, fines imperii Perurani protenderat prouinciamque pacatam successori tradiderat, falsis ac sinistris Chiliensium omnis profecto uirtutis, pacis et quietis hostium accusationibus, quas ipsi propter priuata commoda sua in eum intenderunt, apud Caesarem delatus causam pro se dicere fuit coactus multoque maiores labores quam in recipienda Perura tulerat, dum in liberis fuit custodiis,
2 pertulit. sed ea est praestantium et fortium uirorum sors iniqua, ut pro multis et magnis in rempublicam officiis collatis non aliud praemium quam mortem aut exilium aut carcerem reportent. sic Miltiades et Aristides Athenienses, sic P. Cornelius Scipio Africanus, sic Belisarius, sic alii quam plurimi spectatae uirtutis duces et rerum gestarum gloria maxime insignes ac de republica principibusque suis quam optime meriti hanc dubi-
3 am fortunae aleam subiere. et Castrus quidem in iudicium adductus causam suam in senatu Indico, multis falsisque criminationibus in eum congestis, egit eaque supra decennium (tantum enim aemulorum improbitas et iniquitas potuere) protracta fecit ut maximam ipse calamitatem grauissimaque incommoda et detrimenta domi forisque acciperet. nam et Mariam Magdalenam Quignoniam coniugem et Ferdinandum filium natu ma-

2 1 eum A : cum P || 2 hanc A : haoc P | aleam P : aliam A || 3 (tantum ... potuere) *sic distinxit To.* | coniugem *add.* P[2] *in marg.* : *om.* PA | Ferdinandum] *errat Caluetus*; Hieronymum *enim scribendum erat*

ximum amisit incredibilemque iacturam bonorum fecit. sed tot tantaque infortunia magno fortique animo Castrus tulit ac tam indignas fortunae iniurias constantia et grauitate superauit obtrectationemque et inuidiam maleuolorum, qui iniquis delationibus et persuasionibus Caesarem et Philippum principem ac senatum Indicum induxerant ut ipsum magistratu Perurano mouerent, una iustitiae et ueritatis ui prostrauit atque obtriuit. haec namque tametsi quam diutissime in occulto latet, tamen emergit omniaque impedimenta uincens in publicum prodit magisque nitet, ut medius fidius in ipso semper Castro enituit, qui amplissimi senatus Indici iudicio tandem absolutus et in pristinam dignitatem cum summa omnium ordinum approbatione et eximia apud regem gratia et auctoritate ac cum maximo uirtutis, fidei et integritatis testimonio fuit restitutus. 4 5

Quod nomini, famae, honori, gloriae et laudi tanti uiri deberi is nimirum qui inuidia prorsus uacabit animoque erit libero et iudicio plane sincero facile ex iis quae deinde exponentur iudicabit. nam sancte affirmare possum (id imprimis praefandum duxi) quae Castrus domi militiaeque gessit me summa fide et religione scripturum. non enim ea ex ducum commentariis collegi, qui res utcumque ab se gestas pro arbitrio suo ita supra ueri fidem plerumque extollunt ut parum sibi constare uideantur, non ex iis litteris excerpsi, quae ad scribas regios, quos nunc secretarios uocant, mittuntur, 3 2

4 delationibus A : delatatio- P || 5 absolutus A : ab solatus P | maximo A : -ma P

3 1 (id ... duxi) *sic distinxi*

in quibus res adumbratae magis quam suis expressae sunt coloribus. aeque enim in his atque in illis difficilis, incerta ac plane precaria est inuestigatio ueri homini praesertim libero, qui caste et integre facta et consulta fortium et sapientium uirorum litteris mandare atque in ueritatis lucem proferre plurimum satagit maximeque
3 contendit. at nunc rerum gestarum memoria non ex aliis monumentis quam ex publicis priuatisque eorum quos dixi scriptis colligitur et posteris ex principum uoluntate et senatus sententia proditur. sed quis umquam ex Graecis, Latinis barbarisque scriptoribus historiam
4 ex rebus iudiciariis conquisitam scripsit? quod si quis post hominum memoriam fecit quod certe nos fecimus, an non pro uerissimis quae ille scripsit perinde sunt habenda atque ea quae a Castro tam pace quam bello gesta memoriae publicae tradentur? utpote quae desumpta ex instrumentis et utriusque partis testimoniis fuere, quae testes nominatim euocati et iurati ac diligenter examinati apud amplissimum Indiarum senatum in iudiciaria quidem controuersia dixere, in quibus sane expendendis et aliis testimoniis cum aliis, ut ueritas erueretur, inter se conferendis cum in tanta rerum uarietate tum praecipue in tam peruersis aduersariorum calumniis et delationibus ac in tam multis longisque contentionibus non parum fuit elaborandum, quippe quae decem amplius annis a Christophori Vaccae Castri ex Perura in Hispaniam reditu usque eo fuere perductae, donec ipse a calumniatoribus iudicio se absoluit, ut ex rebus eius, quas iam hinc persequemur, apparebit.

2 aeque P : aequae A || 4 *interrogationis signum post* tradentur *scripsi, quod To. post* fuere *posuit* : *sine interpunctione* PA

Castrus a Philippo principe et a senatu Indico dimissus Mantua Carpetana, sicuti supra demonstratum est, discessit iterque quam celerrime potuit confecit Hispalimque peruenit. hanc urbem ab Hispalo, Herculis Libyci filio ac Hispaniae rege, conditam et ab eius nomine dictam ferunt. utcumque sit, inter omnes constat originem eius antiquissimam et coloniam cognomine Romulensem conuentuque iuridico sub Romanis insignem fuisse. eam Ferdinandus tertius sanctissimus et fortissimus rex a Mauris recepit. sita est Hispalis ad Baetis nobilissimi amnis ripam in loco plano atque peramoeno, cunctasque ciuitates non Baeticae solum prouinciae sed totius etiam Hispaniae diuiti cultu et fertili ac peculiari quodam nitore multum longeque nunc antecellit. nam et moenibus et turribus ac propugnaculis est circumdata et magnificis atque splendidis procerum titulis, fortunis ac nobilitate illustrium et locupletissimorum ciuium aedibus exornata. ad haec praeter plurima et ditissima fana, delubra, coenobia hospitalesque domos templum habet magnitudine, splendore, diuitiis et sanctitate inclutum et augustum et antiquissima diuae Mariae uirginis matris imagine, unde ei nomen est inditum, et altissima turri tanta arte constructa ut nullo negotio ad summum eius fastigium equo conscendi possit sane quam memorandum. quin ad huius templi maximi gradus, qui uicem spatiosae porticus supplent, ingens mercatorum ex uniuersa prope Europa numerus concurrit. magna enim et copiosa est in hac urbe negotiatio,

4 2 Libyci A : Libycio P || 3 ripam A : ripiam P | circumdata P (*cf. e.g. Tac. Ag. 20.3*) : -ducta A || 4 conscendi A : -di* P

magna et infinita fere commercia fiunt ac tot tantaeque merces ex aliis prouinciis in eam urbem conuehuntur quot quantaeque in alias quamuis multi nominis ciuita-
6 tes apportantur. sunt et alia urbis praeclarissima aedificia; in his pulcherrima arx regia et amplissima publicanorum seu commercii domus, in quam omne plane aurum et argentum gemmaeque et uniones ac margaritae aliaeque res pretiosae ex Indiis aduectae deferuntur, exponuntur atque eatenus seruantur, quoad triumuiri, quibus cura eius administrandae domus est commissa, quintam partem, quae ex huius modi rebus Indicis uectigalis nomine regi penditur, deducunt. reliquum uero summa fide et aequitate suum cuique reddentes tradunt.
7 est etiam hic maxima monetae officina, in qua incredibilis paene et immensa auri et argenti uis cuditur atque signatur eaque iumentis inde sarcinariis non in alias modo Hispaniae ciuitates ac prouincias sed nauibus eti-
8 am in Galliam Belgicam et Italiam portatur. iam uero ager Hispalensis maxime iucundus et fertilis est ac uineis, palmis, citris aliisque arboribus fructiferis sed
9 praecipue oliuis eximie cultus. in eo milibus passuum ab urbe sedecim fons est aquae dulcis magnus, qui altissimis cuniculis amplius dimidium spatii deductus supra terram prorumpit. hinc in arcus speciem defluens non paruum frumentis in farinam molendis usum praebet. inde aperto iam riuo se colligens usque eo decurrit, donec arcuato opere mille passuum interuallo ad muri us-

5 tantaeque A : tantaque P | multi A : muti P || 6 arx P : ars A | commissa P : commissã A || 7 sarcinariis A : sarcinarii P | in *ante* alias A : an P || 8 citris P : curis A || 9 ab A : ad P | inde aperto iam riuo se A : inde iam riuo se P^2 : iam iam P

que pinnas ex lateribus coctis exstructo in urbem per canales inducitur castelloque recipitur, unde aut fistulis ligneis aut tubulis fictilibus in eius regiones, uicos, fora, templa et aedes publicas et priuatas immittitur compluresque fonticulos et quidem conspicuos ex se gignit, aquasque hortulis amoenissimis et urbanis citretis uiridariisque rigandis large suppeditat atque subministrat multasque et magnas utilitates ciuitati affert. haec autem 10 sacerdotum religione, conuentus regii auctoritate, senatus prudentia, principum amplitudine, equitum splendore, ciuium multitudine et negotiatorum frequentia longe florentissima atque opulentissima euasit. atque adeo in multas Indiarum commercio et frugum et fructuum ubertate et Baetis nauigabilis commoditatibus, quibus ipsa urbs abunde fruitur, opes creuit ut merito eius Baeticae prouinciae tractus, qui a Vandalis nomen accepit, princeps atque caput et nunc sit et habeatur.

Baetis uero ex Tyngensi Tarraconensis prouinciae sal- **5** tu, quem montem Segurensem esse dicunt, ortus per mediam fere regionem, cui dedit nomen, decurrit ac primo in occasum descendit, deinde in austrum deflectens multis fluminibus acceptis crebris utrimque oppidis accolitur, sed et dextra Cordubam clarissimam urbem iam inde nauigabilis Baetis alluit et laeua Hispalim et Trianam, quae in occidentem spectat solem, interfluit. celeber est hic uicus ponteque ex compactis trabi- 2

canales P : aanales A | immititur P : ammit- A || 10 equitum splendore, ciuium multidudine et negotiatorum *iterat* P | nauigabilis P : nauis abilis A

5 1 Tyngensi] *cf. Plin. Nat. 3.9* | cui A : an P | quae *scripsi* : qua P : quam A

bus et tabulis facto, quem decem et septem ingentes cumbae aequis inter se spatiis distantes sustinent, urbi adiungitur et continetur frequentissimusque per eum
3 est ultro citroque transitus. at uero Baetis uiridissimis est cinctus ripis et frugiferis utrimque arboribus refertus multisque et uariis abundat piscibus, potissimum mugilibus et thrissis. eius aquae tingendis lanis perquam utiles et potui sunt salubres atque eo magis quo
4 diutius asseruantur. ceterum ipse amnis hibernis auctus imbribus et partem urbis et magnum terrarum spatium et duas quas efficit insulas, ubi permulti armentorum reliquique pecoris greges pascuntur, longe lateque inundat itineraque etiam concidit et aestuariis praesertim ad Nebrissam, Veneriam olim cognominatam, et ad Luci-
5 feri Fanum impedit. hic portum, qui milia passuum sexaginta Hispali abest, ostio suo facit seque in Atlanticum Oceanum effundit. cuius hinc accessu cum aliae multae naues, quae merces ex Britannia, Gallia atque ex ipsa etiam Hispania et Italia important, tum maxime illae quae ex Indiis aurum, argentum et gemmas deuehunt flumen ad pontem usque ligneum subeunt et ad turrem quam uocant Auream onera exponunt. quae deinde uino, oleo et aliis rebus onustae marino aestu recedente in Luciferi Fanum referuntur indeque cursum uel ad Indias uel ad alias regiones dirigunt.

6 Hic Luciferi sideris templum sane sanctum apud Baetis accolas et religiosum et ab ipsis ideo structum fuisse traditur, quod uiderent hanc Veneris stellam pul-

3 cinctus A : cintus P | multisque A : mutis- P | Thrissis P : Trissis A || 4 permulti A : permuti P || 5 Indiis A : -dis P | aestu P[2] : aestus PA | ad *ante* alias A : au P

chritudine et claritatis magnitudine longe ceteris post solem et lunam praestare ipsamque nunc ab exortu diem ducere, nunc ab occasu lucem prorogare, eandem Luciferum, cum solem antegrederetur, dici, eandem Hesperum, cum subsequeretur, uocari eamque a sole non longe discedere et uices lunae reddere, et quod etiam illi existimarent magna et diuina quaedam bona ab ea tribui atque eius natura cuncta in terris generari et genitali quodam rore tam plantas quam animantes, ut fetus procrearent atque ederent, conspergi. itaque his rebus gentes Baeticae adductae et uana et insana tunc superstitione imbutae Veneri sub Luciferi cognomine templum arasque ad Baetis ostium posuerunt summaque cum relegione coluerunt. sed uero propius est Luciferi 2 templum, ut Gaditanum Herculis Libyci, et Carteia, quae nunc Taripha dicitur, et Methymna Sidonia a Phoenicibus potius, qui eas tenuerunt loca, quam a Baeticae prouinciae populis conditum fuisse. huius ne uestigium quidem ullum praeter nomen fere iam abolitum est relictum. illic enim, ubi Luciferi fanum fuisse proditur, oppidum est, quod Sanctus Lucar hodie appellatur. hoc Astam Regiam fuisse putant, propterea 3 quod ad Baetis aestuaria in edito et salubri loco est situm et muris et arce egregie munitum atque assiduo eorum qui mercaturam faciunt concursu ac commercio et celeberrimo et plenissimo nauium portu ualde insigne ac opulentum, atque eo magis quod frequentissime

6 1 conspergi P : -git A | ostium *corr. To.* : hostium PA | cum P : eam A | coluerunt P[2] : colurunt PA || 2 Carteia *correxi, cf. e.g. Plin. Nat. 6.214* : Cartheia *corr. To., fortasse recte* : Catheia PA

a Methymnae Sidoniae principibus, sub quorum est dicione, incolitur.

7 Iam uero Vaccam Castrum, quem Hispalim peruenisse supra dixeramus, clarissimi et optimi quique ciues identidem adire, gratulari ac summo in honore habere laudi gloriaeque ducebant, ut qui certo scirent eum propter singularem uirtutem et prudentiam a Caesare in Diui Iacobi militiam ascriptum et in senatum regium lectum iudicemque constitutum, ut de Didaci Almagri caede ac Francisci Pizarri rebus cognosceret, statueret atque iudicaret, magnasque et difficiles ei res esse commissas, sed imprimis ut Castrus arces quasdam insularum inuiseret diligenterque inspiceret ac praefectis quae gerende quaeue facienda in muniendis retinendisque arcibus essent, ne in hostium potestatem 2 uenirent, praescriberet; deinde ut lege censoria in conuentus Panamensis iudices ageret corruptosque et deprauatos mores reformaret et corrigeret; postremo ut Peruranas Cuschanasque prouincias cum imperio obtineret, quin et eas ille pari potestate gubernaret easdemque praerogatiuas et immunitates haberet eisdemque honoribus et praemiis et splendore atque Pizarrus et Almagrus, qui Peruram subegere atque administrauere, 3 decoraretur; tum denique ut eam ipse prouinciam in ordinem redigeret, fines eius propagaret, uectigalia augeret atque conseruaret, colonias deduceret et colonos in fide et officio retineret discordiasque inter ipsos componeret ac feras Indorum gentes uera religione molliret et ut eam susciperent uehementer curaret eos-

7 1 eum P : cum A | quaeue P : quae A || 2 quin et eas ... gubernaret *om.* P : *add. in marg.* P[2]

que in libertatem uindicaret ac demum ea ageret quae e republica et Caesaris commodo fore intellegeret.

Itaque magistratus et principes ciuitatis triumuirique **8** publicanorum, cum haec quae per urbem ferebantur accepissent, fama, dignitate, amplitudine et Castri auctoritate ducti eum mirifice colere et obseruare diligereque, dum in urbe fuit, non desierunt; at uero ipse operam 2 dare, in id animo et studio incumbere, ut classis omnium rerum copia abundaret et ut ea compararet et prouideret, quae ad tam longam impeditamque nauigationem necessaria fore putabat. iam magnum commeatuum numerum expediri, iam multam et lautam supellectilem undique conquiri, multa uestimenta et serica et lanea et linea praeter libros et arma et equorum ornamenta coemi, multa etiam uasa tum aurea tum argentea ad sacros domesticosque usus parari et ea omnia in naues imponi imperauit. his rebus prudenter et celeriter constitutis et 3 classe in Baetis ostium traducta, Castrus cum nobilium iuuenum comitatu urbe excessit secundoque flumine in Luciferi Fanum (hoc enim deinde nomine oppidum Sancti Lucaris Barrameti appellabimus) inuectus classem iam instructam et paratam inuenit. nihilo tamen 4 setius ipse tres naues adornari et in unam atque alteram praeter pulcherrimarum rerum quam plurima onera maximam nautici panis, farinae, uini, olei et aliorum commeatuum uim et in tertiam nauim uiginti seruos imponi mandauit, quos publica fide et facultate a Cae-

8 1 diligereque P²A : diligere queque P || 2 fore P : fuisse A | et linea *om.* A | coemi A : ciemi P | ad *ante* sacros P : an A || 3 excessit A : excessi P | (hoc ... appellabimus) *sic distinxi*

sare data ut secum eos traiceret (neque enim aliter ipsos transuehi in Indias permittitur) Zafrae, quod Baeticae
5 prouinciae est oppidum, fuerat mercatus. multa tunc hominum turba ad spectaculum classis in portum undique concurrerat. ex quibus partim Vaccam officii causa prosequebantur, partim Perurani auri argentique fama exciti eo conuenerant, ut ea classe in Peruram transi-
6 rent. itaque satis omnibus instructis et apparatis, cum ea dies iam adesset quae nauibus cursum daret, Vacca Castrus sacrum fieri iussit precatusque Deum ut prosperam nauigationem prosperosque succesus daret beneque et feliciter ita eueniret, uti bono reipublicae Hispanae et suo Peruram uideret, praetoriam nauem conscendit.
7 qui ut intellexit omnes in nauibus esse, signo proficiscendi tuba dato, bene iuuantibus superis, e portu soluit et ex Baetis ostio egressus (is erat dies Nonarum Nouembrium anni Christi MDXL) naues, quae numero erant decem et septem, in insulas Fortunatas dirigere iussit.

9 Quae cum e conspectu terrae celeriter essent ablatae et leni et secundo uento in sinum, cui nomen est Equarum, peruenissent, tanta tempestas subito coorta est quantam omnes qui in ea erant classe se numquam passos fuisse ac ne uidisse quidem constanter affirmarent.
2 ea naues adeo afflixit et disiecit ut aliae in Hispaniae litus, multis in mare proiectis sarcinis et nonnullis armamentis amissis, deicerentur et ex his duae demerge-

4 (neque ... permittitur) *sic distinxi* | in *post* mercatus *add.* A | *ante* multa *plene distinxit* P : *sine interpunctione A* || 5 partim Vaccam officii causa prosequebantur *om.* A || 7 (is ... MDXL) *parenth. statui*

9 2 deiicerentur P²A : deiierentur P | duae P : auae A

rentur, aliae ad insulam Gades abriperentur, sed et praetoriam nauem ab aliis, quae cursum tenere non potuerunt, destitutam et in altum magno cum sui periculo prouectam ita atrox tempestas afflictabat ut nullam facultatem aut gubernandi ipsam aut exsequendi munera nautis gubernatorique daret. nam uentus imbre mixtus, cum in ipsorum ora ferretur, spiritum intercludebat nec reciprocare animam sinebat. tum autem caelum et mare ingenti perinde sono strepebant et inter horrendos fragores ignes micabant ac si media tunc aestate nauigaretur. iam omnes metu torpere, clamores in caelum tollere: importunum esse tempus nec ad nauigandum idoneum; idcirco Castrum uehementer orare ne longius progrederentur neu se suoque tam iniquae et saeuae fortunae committeret. at Castrus nullis nautarum precibus flecti, nullis sociorum rationibus adduci umquam potuit ut ab instituto cursu dimoueretur, sed ille eos hortari et monere ut caelestes maritimosque terrores animis incussos discuterent timoremque abicerent et laborem propter communem salutem sustinerent. 'neque enim' inquit, 'ego, etiamsi scirem sortem mihi uitam ademptur am aut uim aliquam maiorem me peremptur am, in Hispaniam nunc regrediar. non id e republica est, non Caesari expedit. longe aliud quam uos expetitis et postulatis res Peruranae, quae in summo uersantur discrimine, exposcunt. ubicumque Deus et submergere

post tenere *leuiter distinxerunt* PA | gubernandi A : gurbernandi P[2] : gurbenandi P | ipsam PA : ipsum P[2] *ut uidetur* | *post* munera *plene distinxit* P | ferretur P[2]A : feretur P | strepebant P : -ehant A || 3 importunum P[2]A : -tuum P | iniquae A : -que P | animis P : -mos A

nos et seruare potest. eamus quo fluctus ferent. animos iam recipite et uires colligite, ut sua quisque munia nauiter obire possit. non enim dubito, si tam aduersum maris casum fortiter feramus, quin salui in Gomerae
5 portum fauente numine inuehamur'. quibus sane uerbis ita Castrus omnium animos comfirmauit ut nautae se inuicem cohortantes intermissa officia repeterent: alii gubernatori, ut ipse clauo sedulo haereret, adesse, eumque acriter teneret et regeret curare; alii pro uenti natura nunc uela contrahere, nunc pandere ac pro se quis-
6 que adniti, ne fluctibus nauis compleretur. multum certe laboris, operae et diligentiae Cosmus Farfanius Trianensis, nauis magister, et Hermosilla nauiculator, quem propter eximiam nauticarum rerum scientiam et usum et litoris Hispanici et Africi et eius maris notitiam magna conductum mercede Castrus ex Luciferi Fano secum adduxerat, in gubernanda naui et salua in
7 portu collocanda contulerunt. ceterum ea tempestatis erat uis ut nequiquam elaborare et eniti nihilque proficere posse nautae gubernatorque uiderentur. itaque cuncti animis consternati rebus suis iam diffidere salutique desperare, alii aliis aperte atque ingenue peccata confiteri, diuos inuocare ac se religionibus obstringere uotisque obligare, ut uim tempestatis effugerent saluique in aliquem portum peruenirent, et ut hoc summis precibus impetrarent ualde ab optimo maximo Deo contendebant. sed interim nauis fluctibus huc atque illuc iactabatur et increbrescente uento parum aberat

5 compleretur A : -rentur P || 6 Trianensis P^2A : Trinensis P || 7 impetrarent P^2A : impretarent P | increbrescente P : -bescente A

quin demergeretur. non auctoritate, non uirtute, non adhortatione quicquam Castrus iam proficiebat; usque adeo cuncti labore, inedia, nausea et uigiliis paene confecti omnem salutis spem abiecerant. atque eo magis quod noctes horrendae et obscurae, quae conspectum caeli ademerant incertioraque omnia fecerant, mortem ipsis minari uidebantur. iam unus et alter processerat 8 dies et uis uenti magis magisque accendebatur, quo fiebat ut ipsi nauem, quae tempestatem amplius ferre non poterat, fluctibus statim mergendam existimarent. sed enim, cum in tanto essent uitae discrimine seque iam obrutum iri crederent ac pro certo haberent, repente et summi mali carchesium et antemnae multis luminibus colluxerunt. nautae, luminibus uisis, diuum magno clamore salutare et Sanctum Helmum eum nominare et nautico cantu, quod ipsis in tam manifesto uitae periculo subuenisset, gratias agere non cessabant. Castrus eos 9 bene sperare et bono animo esse iubet, propterea quod se compertum habere diceret ea lumina, quibus nauem collustrari ipsi uidissent, denuntiare uentum statim remissiorem fore: eum autem fulgorem, sicuti ueteri rerum memoriae proditum esset, stellis Castoris et Pollucis, qui fratres gemini fuissent, assignari; eas laeta omnia et prospera portendere; quietem, pacem et concordiam significare salutemque et prosperum cursum, si malum et antemnas nauis ipsae circumfulserint, ita praenuntiare ut diram illam stellam Helenae, quae dissi-

abiecerant P : abiic- A | incertioraque *scr. To.* : incertiora atque P² : incertior atque A : in ce*tior atque P || 8 alter A : aliter P | seque A : sed P | luminibus P : hominibus A || 9 ipsae *corr. To.* : ipse PA

dii bellique causa inter Graecos et Troianos fuisset, perniciem et exitium nauigantibus afferre nauesque, nisi ab stellis Geminorum fugaretur, aut mergere aut exurere; ob id olim gentes suis diis hostias immolare solitas et uanis superstitionibus imbutas Castorem et Pollucem in mari, dum uehementi uento premerentur periculumque intenderetur, ut opem ferrent, deos inuocasse; hoc nunc Nicolao, Helmo, Barbarae aliisque diuis pie sancteque attribuitur eosque nautae Christiani ingrauescente tempestatis furore magna uoce inclamant auxiliumque

10 ab eis implorant. haec nautae et uectores aequis auribus accipientes in spem uenerunt nauem secundum cursum habituram, animosque a tanto pauore receperunt et suum

11 quisque officii munus est exsecutus. iam uentus lenior erat factus et, cum deinde lux tam inquietam noctem insequeretur, caelum, caligine discussa, conspici, fluctus sedari et tempestas commutari coepit. itaque nautae cursum corrigere atque eo dirigere quo prius instituerant omnibus neruis contenderunt tandemque in Gomerae insulae portum salua naue peruenerunt.

10 Gomera una est ex Fortunatis insulis, quae ueteribus tantum sex numero fuere his nominibus dictae, Ombrion, Iunoniae duae maior et minor, Capraria, Canaria, Niuaria, atque ideo Fortunatae appellatae, quod ipsae omnibus rebus circumfluerent et abundarent, quamquam, si Iulio Solino credimus, non tanta fructu-

nunc P : nun A | Diuis P : Diis *in* Diuis *corr.* A *ut uid.* || 11 coepit P : cepit A | naue P²A : nauem P

10 1 ex *om.* P | Ombrion] Ombrios *malim, sed perperam, ut uid., ipse Caluetus legit Plin. Nat. 6.203* | ipsae *corr. To.* : ipse PA

um ubertate fuere quantam illi ueteres praedicauere, quod sane haud absimile uero uidetur. nam id quod Solinus tradit uehementer nunc cum insularum natura et fertilitate congruit. sunt qui Fortunatas insulas eas 2 esse contendunt quas ad promunturium Viride sitas Lusitani tenent. utcumque sit, constat tamen has insulas, quae ab Hispanis Canariae dicuntur, in Atlantico mari ex aduerso Mauritaniae Tingitanae, a qua milia passuum septuaginta et ab Hispania decies et ducenta absunt, ab occasu in ortum directo fere ordine esse positas et haud paribus inter se spatiis distantes milibus passuum quadringentis contineri. sunt autem Canariae praeter tres 3 desertas et ignobiles septem numero Lanzelota, Fortis Ventura, Magna Canaria, Teneriffa, Gomera, Palma, Ferrea ab Hispanis inuentae et excultae, quippe qui omnium primi, Ioanne Bethancoro Gallo duce, cum ei Catharina regina Ioannis II Vlterioris Hispaniae regis mater praerogatiuam dedisset, ut in eas nauibus transiret militibusque Hispanis occuparet atque in potestate haberet, Lanzelotam, Fortem Venturam, Gomeram et Ferream subegerunt Christianamque religionem in ipsas induxerunt. at cum Bethancorus decessisset, insulae ad 4 Menautium nobilem Gallum et eius heredem peruenere, qui postea Ferdinando Perazae equiti Hispalensi eas uendidit. is deinde Agnetem filiam Didaco Herrerae nobilissimo equiti in matrimonium dedit et, cum iam fato concederet, testamento eas insulas ipsis reliquit.

ubertate P : ubertatae A || 2 et ab Hispania decies et ducenta *om.* P | quadringentis A : quadrigintis P || 3 desertas A : defertas P | Bethancoro P : Betan- A | Ferream P : Ferreum A | subegerunt A : seb- P

5 qui post mortem eius, cum Magnam Canariam bello frustra temptassent, quod Canarii se strenue defenderent, in controuersiam ea de re cum regibus Ferdinando et Isabella uenerunt. quam ut omnino tollerent, hac condicione cum eis transegerunt, ut pro sumptibus quos in eo bello ipsi fecissent milia aureorum quattuordecim ab regibus acciperent Gomeramque et Ferream cum illustri aliquo titulo et imperio tenerent. quam rem cum Didacus Herrera et Agnes Peraza facile ab illis impetrassent pecuniamque, sicuti transactum erat, accepissent, ius et actiones quas habebant regibus cesserunt.
6 qui confestim Canariam Petro Verae Xerizensi et Michaeli Moxicae et Teneriffam et Palmam Alfonso Lucensi decreuerunt. hi autem classe instructa et ornata in eas traiecerunt Canariosque bello ita acri presserunt ut, multis illatis acceptisque detrimentis, tandem eos perdomuerint easque insulas omnes in regum Hispaniae
7 potestatem redegerint. quarum princeps et caput est Canaria, quae eodem nomine ciuitatem habet et pontifice et iuridico conuentu ornatam et negotiatorum frequentia locupletem et refertam.

11 Hanc autem Canariam a canum multitudine, quos ingentis magnitudinis aluisse ferunt, uocatam pro certo habetur, etiamsi Vera et Moxica duces, cum in eam inuasissent, non modo tantos ac tales canes quales etiam Iubae Mauritaniae regi exhibitos olim fuisse litteris traditum est non inuenerunt, sed ne uiderunt quidem.
2 aliae uero sex insulae a Canaria siue, ut quibusdam pla-

5 strenue A : estrenue P | Isabella P : -bela A | uenerunt P : ueherunt *in* uenerunt *corr.* A

11 1 sed P[2] A : sed sed P

cet, a cannarum copia, ex quibus saccharon exprimitur et colligitur, quo ipsa potissimum Canaria, Teneriffa et Gomera abundant, nomen accepere. pleraeque etiam ex 3 his insulis frumento, uino, pecore, melle pomisque et auibus omnis generis abundant. est et multa nux pinea. sunt et plurima palmeta caryotas ferentia. gignunt et amnes siluros qui et in Nilo Aegypti flumine sunt frequentes et in Danuuio reperiuntur nec adeo dissimiles sturioni, quem acipenserem piscem apud ueteres laudatissimum Rondeletius esse contendit. hinc Canarii auiculae subuiridi colore et cantu dulcissimo, quae in deliciis nunc habentur, in alias insulas et continentis regiones transportantur. hinc pulcherrimum illud saltationis genus quod Canarium uocant est natus. iam uero 4 Teneriffa, quam docti Niuariam putant, iugum nomine Teydam immensa prope altitudine et cacumine plane nebuloso habet. hoc ad radices herbescenti uiriditate excultum est et ad medium perpetuis niuibus obductum. quin et in Ferrea, quae Pluuialia esse creditur, 5 quamquam nullae sunt aquae, nisi quae ex imbribus in puteos cisternasque colliguntur, tamen ea arborem quandam proceram et haud procul ab oppido in edito loco natam habet. haec, simul atque dies illucescit, caligine quadam in nubis liquidae speciem obtegitur statimque frondes, quae semper ut lauri uirent, ut ea circumfunditur, dies noctesque aquis potui iucundis distillant, quae in crateres lapideos decidentes hominibus pecoribusque abunde suppetunt. sed haec sane in-

3 Rondeletius *correxi coll. ipso Rondeletio 13.9, p. 413* : Rondoletus PA || 5 pluuialia P[2] : pluui alia PA | illucescit *corr. To.* : illuscescit A : illuscesit P | ut *ante* lauri A : aut P

certa sunt ratione et in naturae miraculis penitus retrusa atque abdita.

12 Ceterum Castrus nauem refici et commeatibus suppleri et Ioannem Carranzium in Teneriffam, ut inde Liburnicam unam uel conductam uel emptam adueheret, in quam pars commeatuum et onerum imponeretur, ire iusserat. qui cum nihil ex ea adduxisset nec ullae naues ex iis quae tempestate ad Hispaniae litora erant eiectae uenissent, non amplius exspectandum ille existimauit. 2 itaque Castrus decem dies in Gomera commoratus, cum idoneam tempestatem esset nactus, ad XIIII kalendas Decembris uela fecit et una tantum praetoria naue in Hispaniolam nauigauit ampliusque uiginti dies, cum nihil terrarum prospiceret, leni prosperoque uento per uastum Oceanum est uectus.

13 Iam in conspectum insularum, quae in eo mari quod a Venezilia ad Hispaniolam interest hinc atque inde conspiciuntur, peruentum erat. hae insulae denis uicenisue aut quadragenis inter se passuum milibus distant et paulatim ad Cubam usque ab iis Indis cultae traduntur, qui ex ea continente in eas transiere. quod simile admodum uero uidetur; multi enim longius maris spatium ab Hispaniola et Cuba ad alias continentis regiones intercedit quam Indi, qui nauibus carebant, suis monoxylis 2 lintribus aut ratibus traicere possent. quin et Cubenses per manus traditum habent eas insulas non ab aliis quam ab Veneziliae aduenis coli habitarique coepisse. nam, quamuis Indi ex ea regione quae Florida nunc uocatur ad Martyrum insulas et ab his ad Lucaias et

12 1 ut P² A : *nescio quid in* P
13 1 hae P²A : haec P | transiere P²A : transire P

inde ad Cubam Hispaniolamque incolendas transuehi potuerint, tamen non est credibile in eas commigrauisse, quippe cum Florida prouincia parum frequens cultaque sit nullique in Lucaiis, quod longe secus in aliis est insulis, cultores remanserint. et Hercule si uerum esset 3 quod Plato de Atlantica insula monumentis prodidit, eam, cum a Gadibus in occasum quadraginta dierum nauigatione protenderetur, simul horribili maris inundatione, simul maximo terrae motu submersam fuisse, haud res in dubium ueniret, quin omnes insulae a Gadibus toto eo Oceano longe lateque usque ad Cubam dispersae partes illius uastissimae Atlantidis essent et, quod demersae in profundo non fuerint, cum cultoribus relictae. sed nec hoc in Timaeo asserit Plato nec in tanta rerum uetustate et commutatione et temporum longinquitate et caligine fidem habere res uidetur. hae 4 autem insulae a Canibalibus incoluntur, quibus moris est humanis carnibus uesci et uenenatis sagittis in hostes uti, quibus leuiter etiam saucii pari maximorum dolorum cruciatu ac rabie inflammati unius diei spatio animam efflare solent. quod certe magno est argumento 5 et indicio eas Canibalum insulas ab Veneziliae et Marthae indigenis, ubi ingens uis pomorum, herbarum, radicum et aliarum rerum pomiferarum prouenit, ex quibus uenenum conficitur, quo sagittae intinguntur, cultas inhabitatasque fuisse.

Accidunt hic frequenter subitae procellae et nimbi **14** atque adeo saeui exsistunt turbines ut naues horrendo impetu et fragore circumagant, inuoluant et peruertant;

3 quadraginta P : quadringinta A || 5 pomiferarum P^2 *ut uid.* : *nescio quid ante* ferarum *in* P : mistiferarum A

nec multum afuit quin nauem Vaccae, qui iam insulis
2 appropinquabat, demergerent. nam cum ipse pridie eius
diei quo sacrosanctum et salutarem Christi natalem die
festo anniuersario celebramus et, ut decet, religiose co-
limus pieque ueneramur nubem exiguam ad ortum pro-
spiceret, nauicularium admonuit ut celeriter uela colli-
geret: plurimum enim se uereri ne ea nubecula uentum
procellosum daret neu tempestas nauem iterum afflige-
3 ret. et cum ille uix respondisset nihil periculi ab ea nu-
be parua, quod maris faciem non pertingeret, instare et
esse, adeo subita procella nauem incessit improuidus-
que turbo ita denso nimbo perculit ut Vaccae nautisque
conspectum caeli insularumque abstulerit et ipsam fere
4 nauem euerterit. at cum uentus uehementer saeuiret,
plerique nautae et uectores magna uoce inclamarunt sa-
luam rem esse; iam Diui Helmi candelas super malo et
antemnis splendere. quibus Vacca tacitus, ne illi, qui se
a morte propius abesse credebant, animis conciderent,
assentiebatur, etiamsi ipse probe intellegeret non candelas
sed lucidas imbrium esse guttas, quae, cum nauis arma-
mentis inhaesissent, illis quidem nocteque elucere uide-
5 bantur. flabat tunc circius uentus tanta uiolentia ut
nauis a puppe fluctus et imbres susciperet. quo fiebat
ut nautae gubernatorque laborem suum in gubernacu-
lum, ne ui uenti reuelleretur, intenderent atque in id
omnes acriter incumberent, ut eo unde caurus nascitur,
quo commodius nauigarent, cursum dirigerent. iam De-
sideratam et Antiquam et alias insulas et in his Guada-

14 3 perculit *scripsi, cf. e.g. Plin. Pan. 66.3* : proculit PA ‖ 4 elucere P : lucere A ‖ 5 gubernaculum P[2]A : gubernandum P | atque in id omnes acriter incumberent *om.* A

lupeam, quae siluis est referta et milia passuum sexaginta in longitudinem extenditur, praeteruehebantur. qui 6 cum Portum Diuitem, furente uento, capere non possent, nunc obliquia hinc atque illinc uela transferentes, nunc dolones tantum erigentes eo appulere ubi haud dubie omnes, ni Turrius nauta conclamasset breuia illic esse et mare uadosum, naufragio facto demersi fuissent. itaque nautae, quo tantum periculum uitarent, omnibus uiribus contenderunt ut nauem in altum agerent atque euerterent. quo maximo cum labore euecti Georgiam insulam transgrediuntur.

Ceterum cum iam uentus, qui quadriduum ita per- **15** flauerat ut nauis in extremum paene discrimen adduceretur, mitior esset factus, Castrus tot tempestatibus actus ostium tandem Ozamae fluuii kalendis Ianuariis anni MDXLI ingreditur et, ancoris non longe ab arce iactis, et a Fontio Maiore pontifice et a senatu populoque ciuitatis Sancti Dominici Hispaniolae insulae principis comiter et iucunde excipitur et in praetoriam domum deducitur. postero die ludi publice editi et 2 spectacula taurorum more Hispano in foro exhibita fuere. nihil enim cum ipsi ciues tum maxime Fontius Maior eius urbis pontifex et conuentus iuridici praeses ac senatus quod ad dignitatem iucunditatemque Castri spectare uiderentur omisere.

Haec autem ciuitas a Bartholomaeo Columbo Chris- **16** tophori Columbi, qui primus Hispaniolam insulam inuenit et in regum Hispaniarum potestatem redegit,

15 1 ut P²A : aut P | Ianuaris P : Ian. A | et *ante* ancoris *om.* A || 2 ludi P²A : laudi P | ipsi A : ipsis P | Fontius P²A : Fortunius P

2 fratre ad Ozamae fluminis ripam fuit condita. arcem habet in praerupta et praecelsa rupe Ozamaeque amnis ostio imminenti constructam. quam Castrus, ut mandata quae a Caesare habebat iam exsequeretur, inuisit diligenterque inspexit atque in eius praefectum inquisiuit, quem iis stipendiis quae extra ordinem militibus dedisset condemnauit numerumque ipsi militum quem deinde in praesidiis custodiaque arcis habiturus esset praescrip-
3 sit. quin etiam instituit, quo arx munitior tutiorque foret, ut parietes qui ad eius circuitum erant diruerentur, propterea quod existimabat hostes magnum inde detrimentum arci, si eum locum campestribus tormentis ad
4 concutiendam eam occuparent, illaturos. oportere etiam Castrus censebat arcem ex omnibus partibus quae ciuitatem spectarent muro cingi; eam uero partem quae in flumen uergeret, cum inaccessa inexpugnabilisque propter altissimam rupem, super quam ea posita erat, et fluuii altitudinem uideretur, nulla munitione indigere; initio etiam eius muri unum propugnaculum et alterum ad medium cum suis quodque fenestris, ut inde muralibus tormentis moenia illa defenderentur et hostes dis-
5 siparentur, erigi debere. tum etiam, cum ora maris paulum se illic inflecteret stationemque et insulam paruam, in quam hostes descendere possent, faceret, commodissimum fore uidebat si turris eius arcis paulo editior fieret, in qua, quia egregie id pondus ipsa sustinere posset, tormenta aerea collocarentur, quibus inde praesidiarii milites et stationem et insulam tutarentur et

16 3 quin *scr. F. Socas me teste* : qui PA || 4 uideretur P : -rentur A | muralibus P : murabilibus A || 5 tormenta P : tormententa A

naues hostium demergerent; denique tutissimum esse ostium fluminis catena ex ferro in transuersum posita concludi, ut hostiles naues aditu ciuitatis prohiberentur.

Haec Castrus, cum omnia prudenter animaduertisset, **17** in commentarium rettulit eumque et effigiem formamque arcis a pictore pulchre expressam atque effictam ad Caesarem, qui tunc erat in Belgio, misit. nam is ex Hispania discedens per Galliam iter fecerat incredibilique amore et honore omnique apparatu plane regio a Francisco et Lianora Galliarum regibus Parisiis exceptus fuerat. nihil enim quod ad ornatum portarum, itinerum locorumque omnium qua Caesar iturus erat excogitari posset relictum est. omnis ordo, omnis aetas et sexus obuiam processit, noxii e carcere sunt emissi, supplicationes et spectacula per urbes et oppida indicta et ludi in laetitiae publicae signum facti. tanta fuit regum Galliarum magnificentia, tanta omnium uidendi Caesaris cupiditas. qui cum triumphantis more, deducentibus ipsum principibus Francisci regis filiis, Galliam percurrisset, Valentianas peruenit ac mox Caesar Gandauum amplissimum et ornatissimum totius Galliae Belgicae oppidum et natale eius solum, quod rebellauerat, cum senatus populusque Gandauensis misericordiam eius imploraret et exposceret, in deditionem atque fidem recepit et oppidum deinde ingressus grauissimum de quibusdam ciuibus, qui principes capitaque coniurationis fuerant aliosque ad rebellionem incitauerant, supplicium sumpsit. ceteris autem clementia et misericordia permo-

(margin: 2 at "nam is ex His-"; 3 at "qui cum triumphantis"; 4 at "ceteris autem")

17 1 Belgio A : Beligio P *ut uid.* || 3 Valentianas A : -tinas P

tus facile ueniam dedit et, ut in reliquum tempus eius modi motus et conatus omnino prohiberet Gandauensesque in fide et officio contineret, munitissimam arcem, ubi diui Alouini Bauonis coenobium fuit, Caesar construi imperauit, rebusque Gandaui compositis, Bruxellas sese recepit.

18 Ceterum Castrus postquam ea quae ad custodiendam muniendamque arcem necessaria erant constituisset, calices et capudines et urnulas polubrumque et urceolos aliaque uasa argentea, quibus ad cultum sacrorum opus esse intellegebat, et uestes linteas et sericas aliosque ornatus, quibus sacerdotes, dum rem diuinam facere uolunt, se ornare solent, sedulo comparari et quindecim equos aliaque iumenta, quibus Indorum, quos onera umeris accipere cognouerat, laborem subleuasset, emi iussit. ea omnia et reliquae sarcinae in Petri Aulae nauem (neque enim Cosmus Farfanius ultra progredi 2 uoluit) impositae fuere. Castrus, ubi primum illuxit (is dies erat ad quintum Idus Februarii), tormentis ex arce more militari ita displosis ut litora ingenti fragore circumsonarent, ex Ozamae fluminis ostio ad Nomen Dei est profectus secundumque uentum usque habuit, donec ad montium qui Niuosi dicuntur prospectum et ad fluuii Grandis ostium peruentum est.

4 (facile ueniam dedit) *post* motus *perperam add.* A (*scilicet librarius quae iam antea scripserat iterauit et, cum animaduertisset, seclusit.*)

18 1 necessaria P^2A : neessarias P | aliaque A : alique P | ea *ante* omnia A : et P | Aulae A : *nescio quid in* P : Auilae *corr. To.* | (neque enim ... uoluit) *sic distinxi* || 2 (is dies ... Februarii) *parenth. statui* | ex *ante* Ozamae A : et P

19 Montes illi ab Noua Hispania uenientes citra ultraque aequatorem longe lateque ad fretum usque Magallanicum excurrunt. immensi sunt et innumerarum gentium arbitri et unde exurgunt quindecim partes in septentrionem a linea aequinoctiali et ab ea quinquaginta tribus in austrum extremo fine absunt ac perpetuis niuibus et recentibus, sicuti primo libro demonstratum est, nisi ubi dehiscunt seque populis aperiunt, obducti sunt. 2 amnis uero Grandis haud procul ciuitate quae Sancta Martha uocatur, unde etiam nomen ille accepit, tanto impetu tantaque aquarum mole in Oceanum septentrionalem euoluitur ut non ingentem modo arborum et lignorum uim secum ex rapto trahat, sed mare etiam ipsum amplius XXV milia in longitudinem et quidem haustu dulci uincat, siquidem naues toto eo spatio aquam ex eo dulcem hauriunt. 3 at nonnumquam ipsae et amnis ui et subitis densisque nimbis, qui in eo et austrino mari crebri exsistunt, cum non longe ab eius fluuii ostio aguntur, ad extremum plerumque uitae periculum adeunt. quod etiam Castrus illic fere subiit, quippe nauis eius tum aduersa procella, tum furente et uiolento fluminis impetu paene demersa fuit. 4 at uero nimbi et in mari interiori a prouinciis quae Profundae appellantur ultra Veneziliae sinum et in exteriori a Nicaragua ad eam oram quae non longe a Portu Vetere abest subinde funduntur. et hi quidem tam praecipites et ingentes exsistunt ut non imbres cadere, sed aquae urnis fundi et cum ea fulgurum et tonitruum et fulminum ui ut cuncta ea litora perstringi, concuti percutique uideantur. naues subito tunc imbri-

19 2 amnis P : annis A || 4 tonitruum et fulminum A : tonitrum et fluminum P

bus complentur et in summum saepe discrimen adducun-
5 tur. hoc ex regionum natura prouenire certum est, utpo-
te quae inter duo maria sitae uberrimam gignendis uapo-
ribus umidis materiam suggerunt. qui statim, quod sol
magnam illic excitandi resoluendique eos uim habeat, in
nubes coguntur. unde horribili fragore maximus densis-
simusque imber perinde effunditur ut aestate in Europa,
cum eius modi nimbos, solis calore nubes tunc resoluen-
te, decidere contingit. sed hic aestiuo tempore materies
uix producendis umoribus suppetit, qui in nubes con-
creti uapore solis, quia extenuati sunt, protinus disso-
luuntur. quo fit ut non tam assidui hic sint nimbi, qui
6 licet simul et confertim cadant, tamen cito transeunt. at
in prouincia cui Terra Firma nomen est et in aliis regio-
nibus maritimis inter utrumque mare, sicuti diximus,
positis tanta est uis umoris ut inde ultra quam oportet
uapores aquosi generentur atque eo ardore est illic sol ut
longe plures ipse excitet attrahatque. qui ubi se in nubes
induerunt, non tam facile, quod crassi pinguesque sunt,
sole, etiamsi is calore suo omnia illic adurat, resoluun-
tur. itaque, quamuis tam subiti et magni imbres illic ex-
sistant et ui incussuque quodam furente nubibus effun-
dantur, tamen plus (neque enim cessant amplius sex
horarum spatio et interdum duodecim ingruere decide-
reque) quam in Europa durant. eadem etiam solis ui
tanta tonitrua illic eduntur, tot fulgoribus nubes fin-
duntur et tam frequenti fulminum iactu dirumpuntur.
20 Ceterum Vacca, ui procellae nimis in nauem ingruen-
te, ut onus aliqua ex parte alleuaret, sarcinas quasdam

5 suppetit A : suppeti P || 6 adurat A : aduerat P | (neque ... decidereque) *sic distinxi*

et nonnulla iumenta de naui in mare deici mandauit, non paruamque illic iacturam accepit. tandem ostio 2 fluuii Grandis cum multo labore et uitae discrimine traiecto, Carthaginiensem oram legit et insulas Barutas, quarum una Salomonis nomen habet, praeteruectus in aliud aeque magnum atque in amne Grandi periculum uenit, ne ea quae relicta erant simul cum uita amitteret, quippe qui loci inscitia et Canelae nauarchi neglegentia in Aclensem Vrabanumque sinum delatus, in quo multae naues et in his ea quae Petri Agurti Cantabri fuit, qua pars onerum Vaccae Castri ab Luciferi usque Fano conuehebatur, fractae atque obrutae fuerunt, aegre se ex tanto periculo eripuit. est enim sinus ille uadosus 3 atque scopulosus patetque in aditu et ore milia passuum uiginti quinque et sexaginta longitudinis. et in ipso quidem aditu, ubi primum ex alto in continentem ab litore inflectitur, tanta est uis accedentium et recedentium fluctuum ut crebris ille uerticibus exaestuet, quibus naues eum sinum ingressae ita torquentur atque circumaguntur ut aut protinus mergentur aut difficulter, nisi aspirante a continenti uento, egrediantur. et cum 4 alii per eam oram sinus, ubi uehementissimus accessus recessusque maris exsistit, uerticosi sunt tum maxime Veneziliae sinus, qui amplius milia passuum trecenta in circuitu habet, atque in eo tantus est fluctuum incursus et usque adeo aestus marini feruent et rapidis spumosisque uerticibus mare illud inuoluitur ut naues quae eo

20 2 discrimine A : discrimen P | Carthaginiensem *correxi* : -nensem PA | aeque P : aequae A | Agurti *correxi, cf. García p. 43* : Arguti PA | conuehebatur P²A : -bantur P || 3 recedentium P²A : credentium P | egrediantur P : regre- A

appelluntur ad extremum casum deductae uideantur, quod inde numquam uelut in nauali inclusae, nisi raro, quod si quando contingit, portenti ac prodigii simile
5 numeretur, egredi possunt. certe ante hunc diem inauditum ac nouum est ullam nauem quae in eum sinum acta fuisset euadere potuisse. nam ea nauis qua Martinus Bilbilitanus Hieronymita Sanctae Marthae pontifex et alii complures uehebantur, cum in eum sinum uenisset, uertice usque eo intorta et circumacta per multos dies fuit, donec pontifex ceterique uectores et nautae, omni plane spe simul cum naui ex sinu emergendi abiecta, eam relinquentes in terram descenderunt campestrique itinere in eam urbem contenderunt sed, alimentis quae ex naui eduxerant consumptis, partim fame et lassitudine confecti, partim a Canibalibus, qui eas regiones incolebant, interfecti fuere. reliqui uero cum pontifice et hi quidem numero pauci, etsi in Sanctam Martham peruenere, tamen, quod herbis et radicibus et corticibus in eo itinere uixissent, non adeo diu superfuere.

21 Castrus autem ex Vrabano sinu in altum euectus promunturium insularum quae appellantur Captiuae et a Nomine Dei quadraginta milium spatio absunt superauit. ab his incolumi naue in eam urbem ad XII kalen-
2 das Martii appulit. nullum certe amoris, studii, pietatis ad excipiendum Castrum officium a ciuibus defuit. qui cum ipsum e naui egredientem conspicerent, quod constans rumor per urbem eum naufragio interiisse iam

5 ac *scripsi* : at PA | potuisse A (*p. corr.*) : potuisset P | numero P : puniero A | et si in P²A : et fiunt P *ut uid.*
21 1 superauit P : superabit A | incolumi P : -mis A

increbruerat, pro miraculo habuerunt. et frequens, simul atque in praetorium est itum, gratulantium concursus ex tota urbe ad Castrum est factus. ea in litore sep- 3 tentrionalis Oceani est posita, primordiumque ab ea arce parua cepit quam Didacus Nicuesa, ut se suosque ab Indis sagittariis defenderet, super promunturium quod appellatur Marmoreum erexit eamque Nomen Dei cognominauit, cum eo, ut regionem Veraguam lustraret atque subigeret, ex Hispaniola octo nauibus onerariis anno MDVIII traiecisset. quae suis progressioni- 4 bus usa eo incrementi iam processit ut oppidum Nomen Dei nobile et illustre apud omnes gentes sit. e cuius portu classes, quibus merces ex Hispania conuehuntur, auro, argento et gemmis onustae in eam transmittuntur.

Abest autem Nomen Dei a Panama, quae in austrini **22** maris ora sita est, bidui itinere, quod tam terra quam aqua flexuosum et prope imperuuim est. nam per unius aut alterius fluuii alueum aqua plerumque aduersa milia passuum circiter octo et uiginti militaris est uia. amnes 2 uero ea sunt altitudine, praesertim cum increscunt (increscunt autem de improuiso, ut qui e proximis montibus et his quidem cedris aliisque arboribus refertissimis decurrant), ut equos nonnumquam natare atque etiam submergi contingat, quippe cum, licet adnitantur, in terram emergere nequeant, quod non alia quam per alueum uia sit nec alius aditus nec egressus quam per flexus. quibus e uestigio unus aut alter fluuius occurrit, sed is potissimum cui nomen est Chiagrus, quem equi-

22 2 increscunt *secundum om.* A | (increscunt ... decurrant) *sic distinxit F. Socas*

tes et pedites plus centies transire coguntur; nec enim per summas imasque ripas iter expedire possunt, quia arboribus ac multo gramine sunt uestitae et ramis
3 utrimque transuersis impeditae. sed nec in his ripis uia, etiamsi magistratus eam exigant, nisi assiduo multitudinis labore et opera et immenso fere sumptu aperiri munirique potest. quod, si id fieret, nec diu certe persisteret nec ea uia apertior faciliorque quam per alueum esset; tanta est in hac regione arborum et herbarum abundantia et luxuries, tanta pluuiarum uis ut imbres, exceptis duobus aut tribus mensibus, semper defluant, tanta etiam caeli temperies ut perpetuum ibi uer esse uideatur, siquidem in planitie procul etiam a fluminibus, in qua nullae aut paucae arbores nascuntur, longe deterrima est uia et ea quidem continuis imbribus inexplicabilis exsisteret, ni cottidie amplius quadraginta serui, qui regii uocantur, praeter ingentem muliercularum et puerorum turbam, quibus duo Hispani, ut instent operi, praesunt, eam purgandam curarent. eo namque illi omnes neruos intendunt: arbores caedunt atque euellunt, herbas radicibus eruunt, interrupta aquis et ardore dehiscentia terra obruunt atque ita consternunt
4 ut uiam ad libramentum redigant. sed ea est medius fidius uirium humanarum imbecillitas atque infirmitas ut stulte ac temere contra naturae potentiam contendat, praesertim illic ubi ipsa tantam arborum et herbarum copiam producit et tam continentes largosque imbres diffundit. nec enim fieri potest ut tantum laboris et operae quantum ad reficiendam eam uiam est necessari-

imasque A : inimasque P *ut uid.* || 4 stulte A : -tae P | ipsa P : ipsam A

um impendatur, quo commodius ac sine tam magno taedio et defatigatione terrestre illud usque Panamam iter confici queat. quod ita prorsus esse Castrus re ipsa 5 expertus est, qui existimans controuersias eius urbis et, quod praeses conuentus Panamensis esset, ad se pertinere atque eo magis officio suo conuenire, quod Caesar hoc in mandatis sibi dedisset, eas diremit multaque ad retinendum statum et ad incrementum urbis recte prudenterque constituit.

Deinde uero, cum prius senatui populoque Panamen- **23** si diem ad excipiendum signum regium edixisset, in uiam quae Panamam ducit se dedit difficulterque et aegre tam terra quam aqua iter fecit. et cum iam ipse urbi, 2 compluribus Hispanis offici causa eum prosequentibus, appropinquaret, signum regium ex argento factum educi et acri equo phalerisque insigni et purpura adornato inuehi iussit ac mox eius urbis pontifex et senatus, qui iam ex urbe cum magna ciuium multitudine prodierant, ei obuiam uenere. qui Vaccam Castrum praesidem summo cum honore excipientes equum, quo signum regium uehebatur non secus ac reges deduci solent, apertis capitibus circumstetere et omnes pulchro ordine utrimque dispositi solemni pompa et apparatu plane regio in praetorium induxere. Castrus signum illud regium Xi- 3 menio iuris consulto Panamensi tradidit, munusque obsignandi eo signo regio edicta et decreta et alia quae conuentus deinceps Panamensis nomine Caroli V Cae-

5 prorsus A : prosus P

23 1 iter fecit P^2 : interfecit PA ‖ 2 eum P : cum A | et *ante* acri *iterat* P | uehebatur P^{2}A : -bantur P | ac *ante* reges *om.* P | circumstetere P^2 : circum stetere A : circumstere P | in duxere P : eduxere A

saris imperatoris et Hispaniarum et Indiarum regis con-
4 scriberet atque faceret ipsi detulit. insequenti autem die Castrus in praetorium uenit, ius dixit, senatui praefuit eumque conuentum in ordinem redegit. multa certe tum iuste, tum sapienter, ut suum cuique ius redderetur, ipse decreuit atque instituit, sed imprimis accurate et diligenter cauit et sanxit ut iudices deinde in causis expediendis, in sententiis ferendis ac in iudiciis pronuntiandis ordinem conuentus Pintiani, qui in Hispania principem tenet locum, sequerentur atque conseruarent
5 ac ne interrumperent eum neu inuerterent. quin etiam Castrus auctoritate censoria (hoc enim munus Caesar etiam ei iniunxerat) Turrium iuris consultum, qui eius prouinciae praefectus et unus ex senatu Panamensi erat, magistratu mouit et in alios, qui repetundarum insimulabantur, quid ipsi egissent, quemadmodum uixissent inquisiuit.

24 Ceterum multa tunc ipsum impediebant, quominus eam censuram perageret. nam partim amici Francisci Pizarri praefecti, partim familiares et domestici Didaci Almagri adulescentis, qui eo Panamam uenerant, ut animum Castri intellegerent consiliumque inde pro tempore pro re sibi caperent, maxime urgebant et cottidianis paene efflagitationibus instabant ut quam primum fieri
2 posset in Peruram nauigaret. itaque cum temporis angustiae tum praesertim res Peruranae Castrum coegerunt ut eam curam animaduertendi censoria nota in iu-

4 ne P : sane A || 5 Turrium *correxi, cf. 1.37.3, 3.8.2* : To- PA | (hoc ... iniunxerat) *sic dist. To.* | ei A : et P | repetundarum A : -runt P

dices, scribas, procuratores et alios id genus homines conuentus Panamensis, qui largititonibus, pecunia pretioque corrupti fuissent, Villalupo et Paccio iuris consultis et senatoribus regiis delegauit ac mox quae ad eam profectionem necessaria forent comparari et praeter iumenta quaedam equos emi, quorum singuli plus ducenis aureis constabant, eosque, qui numero decem et septem fuere, in nauem Sepuluedae claudam quidem et debilitatam et, ut uocabant, infelicem simul cum oneribus imponi mandauit. 3 neque enim naui Francisci Pizarri praefecti, quae multo ualidior et instructior erat, ne suspicioni, a qua plurimum abesse in ea praecipue parte studebat, locum daret, uti nec Liburnicam, quod mercibus esset referta, conducere uoluit nec aliae tunc naues in portu Panamensi erant quam illae tres, quibus Castrus in Peruram nauigare posset.

25 Itaque, omnibus rebus iam dispositis, nauem Sepuluedae eo conscendit die qui fuit ad XIIII kalendas Aprilis et e Panamensi portu egressus cursum in Peruram direxit. 2 in quam, sicuti supra iam demonstratum est, difficilis periculosaque propter accedentes et recedentes fluctus est nauigatio multaeque et subitae in eo mari austrino procellae et densi nimbi cum ingenti tonitruum fragore exsistunt, quibus naues uehementer afflictantur frequenterque aut terrae inferuntur aut eo unde sunt profectae referuntur. 3 Castrus in altum prouectus, cum iam se Matthaei sinui appropinquare putaret, ad Gallum insulam continenti proximam et milia passuum

24 2 Paccio] *retinendum censui coll. 7.65.1 et Calu. Gasca 24a* : Paecio *corr. To.* (*cf. Cieza*[2] *189b*) | imponi P : -nit A
25 2 inferuntur aut eo unde sunt profectae *om.* A

ultra Gorgonem sexaginta, ut aquationem faceret, applicuit. unde cum prodire uellet, etsi semel atque iterum hoc temptauit, tamen uerticibus, qui in eo mari crebri sunt et rapidi, nauem retro intorquentibus numquam potuit. qui cum maxime in id insisteret, tandem, duobus ancoralibus iam ruptis, magno certe cum periculo, ne in breuia, quae passim illic occurrunt, aestu tunc furente detruderetur, nauem ex Gallo eduxit parumque afuit quin ipsa ad litus deiceretur. quod diuino factum numine multi crediderunt, ne ex insidiis Castrus, quae
4 instruebantur ei in Paita portu, interiret. nauis autem Pizarri praefecti et Liburnica, quae praetoriam nauem sequebantur, quod eam insulam non cepissent, incolumes in Peruram uenere. Castrus uero, cum ab spe tenendi eum cursum iam decidisset, portum Bonae Venturae, quem in eo litore esse audiebat, petere contendit, unde terrestri itinere in Paschalis Andagoiae praefecturam et ab ea per Popaianam in Quitiam regionem Perurae penetraret. sed is portus adeo occultus erat ut non tam facile inueniri, praesertim recurrentibus fluctibus,
5 posset. quibus incommode per eam oram (tanta est ibi uis aestus!) in Peruram nauigatur, quippe tantum nocte naues retro, nisi in salo et ancoris sint, regrediuntur
6 quantum die progediuntur. etenim praetoria nauis austro ualde reflante et maritimo aestu remeante, cum ad Gorgona insulam, quae ultra Bonae Venturae portum est, milia passuum centum reiceretur, Liburnam quan-

3 Paita *correxi, cf. e.g. 3.11.4* : Payta *hic et postea semper scribunt mss., quod silentio posthac praetermittam* || 4 portum Bonae Venturae] *is est portus qui in prioribus libris* Bonae Fortunae *appellatur, cf. e.g. 3.14.4* || 5 (tanta ... aestus!) *sic distinxi*

dam ex Nicaragua in Peruram euntem obuiam habuit. quam Castrus, quod in tanto tunc esset discrimine, longius inde procedere non permisit, sed nautis dominoque eius Liburnae imperauit ut se protinus in quemcumque euentum subsequerentur, ne, si casu ipse naufragium faceret, litterae regiae et decreta quaedam et alia Caesaris scripta, quae ex Hispania secum adducebat, simul cum naui perirent. ea namque adeo tunc mutilata erat ut non amplius tantam procellam nec tam assiduos magnosque imbres, qui iam pleraque lintearum sericarumque uestium onera putrefecerant, alimenta corruperant nonnullosque equos atque alia iumenta absumpserant maioremque iacturam Castro attulerant quam ipse in fluuii Grandis ostio acceperat, latura uideretur, atque eo magis quod aduersa fluctuum agitatione, cum nec aestus maris decresceret nec uentus remitteret, Liburna eam sequente, huc atque illuc iactaretur. qua demum ipsa nauis in insulam, quae a palmis nomen traxit, hominibus rebusque saluis est deiecta. 7

26 Castrus statim ut in terram descendit, omnia ex naue onera et cibaria aquis iam uitiata educi et equos macie corruptos et alia iumenta quae superauerant exponi nautasque cum cumbis ad quaerendum Bonae Venturae portum ire iussit. ea insula circuitu est sex milium et a continenti duodecim interuallo distat. culta olim fuit; apparent enim atque exstant adhuc uestigia quaedam domus ex trabibus forma rotunda constructae. nunc nihil in ea alimenti praeter agrestia palmeta et aquas ex 2

6 esset A : esse P || 7 atque A : aque P
26 2 trabibus P²A : trabimus P | aquas PA : aquae P² *ut uid.*

fluuiis dulces et herbam nomine hyuchaboniatam nucis
3 castaneae sapore iucundam inuenitur. iam uero litus ex aduerso insulae propter praerupta saxa et impendentium montium altitudines et complures et reciprocos amnes, qui ex illis in mare decurrunt, inhospitale est. nullus portus, nulla in eo statio quieta, nisi ea tantum, cui Bonae Venturae nomen est inditum, et haec quidem aditum ita difficilem et angustum atque scopulosum per cuiusdam fluminis inter duas rupes ostium, quo Oceanus reciprocans eam influit stationem, habet ut nautae quibus natura locorum non satis erit cognita nec ostium fluminis prius exploratum aegre atque periculose
4 naues eo introducant. quo fiebat ut illi quos Castrus miserat nequiquam Bonae Venturae portum quaererent, propterea quod is ultra fluminis ostium positus esset scopulusque maxime eminens aditum eius praecludere inaccessumque facere uideretur nec ex saxo, in quo Paschalis Andagoia eius tractus qui est ultra citraque Sancti Ioannis amnem praefectus, cum eam oram lustraret, nomen et locum portus Bonae Venturae grandibus litteris inciderat inscripseratque, satis percipi ubinam ille pateret, quod litterae propemodum essent exesae, pos-
5 set. ceterum cum multos iam dies Castrus tempestatibus in ea insula deserta retineretur nec nautae eum portum reperirent, tanta fame laboratum est ut in singulos homines quaternae tantum milii unciae cottidie distri-

hyuchaboniatam *correxi, cf. e.g. Oviedo*[1] *477a* : Hynchaboniatam P^2A : Hynchabonita*s P *ut uid.* | nucis P^2A : neucis P *ut uid.* || 3 et complures et reciprocos amnes *om.* P : *add.* P^2 | Bonae A : Benae P | *leuiter ante et post* stationem *distinxerunt* PA : *sic tantum post* influit *interpunxit To.* || 4 quos P : quo A | *post* uideretur *plene distinxerunt* PA || 5 fame P : famae A

buerentur. famem deinde siue ex caeli intemperie siue 6 ex ciborum mutatione (is contractus fuerit, quod plerique palmis uiridibus, hyuchaboniata et aliis herbis ac radicibus uescerentur) siue alia qua de causa grauis pestilensque morbus excepit, quo in dies ingrauescente multi moriebantur.

Iam corpora fere omnium tabo affecta et mors ob **27** oculos erat, dum Castrus Liburnicam forte transeuntem conspexit, oculos intendit et, ut ipsam contendentem intra fluminis ostium ad scopulum ingredi prospexit, subito nautis quibusdam imperauit ut confestim cumbam remis impellerent, eam Liburnicam sequerentur ac de Bonae Venturae portu inquirerent magistroque nauigii denuntiarent ut sine ulla mora ad se ueniret. nautae non secus ac iussi sunt faciunt acerrimeque re- 2 migantes et uim tempestatis, quae saeua tunc erat et immoderata, repellunt et Liburnicam ad illud fluminis ostium, quo ad Bonae Venturae stationem et portum aditus est, consequuntur. eam Ioannes Decius Guerreri- 3 us ciuis Panamensis ducebat. qui cum ex nautis audiret Vaccam Castrum praesidem in Palmarum insula subsistere, et portum Bonae Venturae ipsis monstrauit et extemplo in insulam cumba traiecit et Castrum et alios, qui una cum ipso Liburnam, omnibus rebus prius impositis ac naue Sepuluedae ibi relicta, conscenderunt, eo introduxit, ubi nauigium ipse suum ad ancoras deligarat. quo Ioannes etiam Andagoia, Paschalis Andagoiae 4

6 (is ... uescerentur) *sic distinxi* | palmis P²A : palmas P | hyuchaboniata et aliis herbis *om.* P : *add.* P² | hyuchaboniata *correxi, cf. app. crit. ad 5.26.2* : Hinchabo- A : Hynchauo- P²

27 1 ob A : ab P || 2 et *ante* uim A : ut P

praefecti filius, ex amne Sancti Ioannis, qui ultra Bonae Venturae portum milia passuum circiter sexaginta in austrinum mare effunditur, tunc appulit.

28 Hanc uero Bonae Venturae stationem, quae mille amplius naues capit, excelsi undique montes cingunt, ex quibus multi ingentesque amnes in ipsam defluunt. ex his unus in Oceanum delabitur, ex quo naues per ipsum amnem (neque enim alius aditus quam per eius ostium ad stationem patet) in Bonae Venturae portum 2 inuehuntur. quo etiam flumine aduerso Ioannes Andagoia Castrum in eum uicum et portum, ubi tabernaculum in quod se ille reciperet iam erat positum, duxit. quo simul ac peruentum est, Castrus in tertianas febres incidit satisque grauiter et diu aegrotauit. quin et morbus ita permultos ibi inuasit ut nonnulli tam ex Vaccae Castri domesticis quam ex aliis qui cum ipso ex insula eo transierant intra triduum aut quadriduum fuerint ab-3 sumpti. at Castrus, cum uehementer febris urgeret, Sebastianum Merlum scribam suum Calim, quae Popaianae prouinciae urbs est in mediterraneis et Hispanorum colonia, milia passuum ab eo portu centum et quadraginta, ubi tunc Sebastianus Benalcazar eius proinciae praefectus erat, ire iussit, ut Indos sarcinarios adduceret commeatusque importandos curaret.

29 Nulla enim in eum tunc uicum, quem Ioannes Ladrillus aedificauit, qui ordines sub Paschale Andagoia praefecto duxit, et amnem, quo in Bonae Venturae portum itur, cum eam percurreret oram, primus inuenit,

28 1 (neque enim ... patet) *sic distinxi* || 2 Andagoia A : -goiae P *ut uid.*
29 1 percurreret A : -rent P

cibaria deferebantur. nam propter contentionem, quae per idem tempus quo Castrus eo applicuit inter Benalcazarem et Andagoiam de praefecturarum terminis erat, uicus ille parum frequentabatur. quod ubi Calitanae urbis senatus intellexit, ne omnino Bonae Venturae portus desereretur, praefectum quendam eo misit, qui cum aliquot militibus Hispanis, quibus mercatores stipendia pendere tenerentur, eum uicum obtineret, quo naues quae ex Noua Hispania et Nicaragua et Terra Firma appellerentur tutae ab Indis essent, sed et mercatores tuguria, ad quae se reciperent, et tabernas, ubi sarcinas et merces suas reponerent, ibi haberent. ceterum Bonae Venturae praefectus nihil nisi de senatus Calitani sententia decernit, causas tantum et disceptationes cognoscit et eas protinus ad Calitanae ciuitatis praetorem remittit. Indos uero sarcinarios (hoc enim onus praecipue illi impositum est) ex montibus qui Bonam Venturam intersunt et Calim arcessit, ut non sarcinas modo, sed mercatores etiam Hispanos per arduos ferosque montes illos Calim usque umeris portent. neque enim iumenta sarcinaria per eos saltus agi nec Hispani, nisi admodum sint expediti, pedibus iter conficere ualent. nam hi montes et locorum iniquitate et uiarum asperitate ceteris qui in Indiis assurgunt longe multumque antecellunt. densis et horridis siluis sunt uestiti. in his arbores tam incredibili proceritate uigent et senescunt ut sagittis superari nequeant, quae ramos ita inter se implicant at-

praefecturarum P : praefecturarum *in* praefecturam *corr.* A *ut uid.* || 2 pendere A : -ret P | eum P : cum A | appellerentur A : appellarentur P || 4 (hoc enim ... est) *sic distinxi* | agi A : agit P | conficere A : conficeret P

que intertexunt ut eos sol radiis suis uix penetrare possit, nonnullaeque truncis sunt adeo crassis et cauis ut cauernarum uicem suppleant; octonos enim aut denos homines singuli trunci intus capiunt. haec ubertas soli, temperies caeli et aquarum abundantia faciunt.

30 Sunt autem hae siluae cum aliis feris tum praesertim simiis immanibus et tigribus saeuissimis refertissimae. hae in Indos et Hispanos qui ultro citroque frequenter a mari Calim usque commeant ex occultis locis irruunt ac multos dilaniant; illae inter arborum ramos desiliunt et ingentes ueluti uulpes gannitus edunt, qui a mille passibus exaudiuntur, et uia transeuntes lignis aut saxis 2 desuper coniectis uulnerant. haec autem iuga inter Bonam Venturam et Calim numero sunt quinque digitorum manus rectae in modum posita, tertium enim altitudine ceteris praestat. omnia uero haec iuga directa ex utraque parte et praerupta et aspera sunt ascensu et descensu plane difficili et arduo. uiae artae et lubricae uepribusque et arborum radicibus et caeno limoque impeditae. in his frequentes ac praecipites et diruptae utrimque ac ualde periculosae sunt angustiae, potissimum illae in altissimis et summis rupibus, quae angustissimi acutissimique gladii formam reddunt, conclusae. 3 aegre enim hae nisi pedetemptim et caute transiri queunt, quibus etiam Hispani propter imminens periculum, ne per praecipitia deferantur et in immensum altidutinis deiciantur, nomen uerbi Credo dedere; tantum est ab illis rupium angustiis periculi, atque eo ma-

30 1 hae (*bis*) A : haec P | passibus A : apassibus P || 3 aegre *corr.* *To.* : egrè P : egrae A | pedetentim A : -denten- P | imminẽs A : -nes P

gis quod iter multo difficilius est illic atque arrectius quam sit in aliis iugis, propterea quod ii qui a Bona Ventura ueniunt per cliuum arduum perindeque directum ac parietem ad angustissimum eum transitum ascendunt.

31 At uero Indi montani intrepide quidem ac nullo negotio et, quod uix fidem capit, onusti eas angustias, quamuis praecipites atque periculosas, non secus euadunt ac si per plana et procliuuia incederent, quippe qui peruersis rupibus assueti iuxta inuia ac deuia discurrunt facileque ea iuga confragosa et praerupta transcendunt. 2 robusti sunt et agiles summaque alacritate et cupiditate aut onera (hoc enim illis praecipuus est labor et studium) ceruicibus imponentes ferunt aut Hispanos insidentes in sellis, quas ex quibusdam corticibus conficiunt et ab umeris per pectus in tergo acriter religant, ea quam diximus uia binis tantum baculis, quorum alterum dextra alterum sinistra manu tenent, singuli innitentes Calim usque portant. 3 et tam assiduum exportandi et importandi sarcinas usum habent ut mirum omnino sit quam prompte, celeriter et expedite cliuos et tumulos subeunt ac nullo prope labore asperrimas siluas, angustissimas fauces ac demum iuga ipsa superant. sed statim ut illi ad Calitanae urbis planum descendunt, quod admiratione prorsus dignum est, aegre sustinere se a lapsu ac uelut afflicti uestigio suo uix haerere queunt nec sese penitus erigere aut subleuare ualent, donec in montes remearint. 4 quorum ualles ipsi,

sit P : si A | arduum A : aduum P

31 1 et *ante* procliuuia P : ac A || 2 (hoc ... studium) *sic distinxi* || 3 est *om.* P || 4 ualles P : uilles A

quae ualde fertiles sunt et fructiferae, incolunt, unde et ex Cali in Bonam Venturam (neque enim sine eius ciuitatis fauore, ope et consilio ea se sustinere potest) commeatus deferuntur. et Indi quidem montani tuguria habent humilia et palmis agrestibus, quibus maxime montes illi abundant, contecta et undique sudibus stipitibusque praeacutis propter nocturnas tigrium atque
5 aliarum ferarum irruptiones cincta. quin et per Daguam flumen praealtum et rapidum atque inter impendentes undique montes decurrens alia est uia, qua iumenta et alia pecora Calim deducuntur. hoc aqua plerumque aduersa ter et sexagies transire coguntur compluraque aut incremento fluuii, imbribus frequenter illic cadentibus, quod traduci tunc nisi difficulter non possint, demerguntur aut fame absumuntur; reliqua uero ita labore macieque confecta Calim perueniunt ut nulli ad multos dies sint usui.

32 Ceterum Castrus, tametsi morbo conflictabatur, tamen nihil intermittebat, quo quam breuissime fieri posset iter ex eo portu in Peruram aut pedibus aut equo ingrederetur. nam et uiam spatio passuum milium octoginta, quod iter tunc propter assiduos et magnos imbres per Daguam amnem intendere non posset, ferro aperiri iussit et Liburnam Nicaraguensem cum parte sarcinarum in Peruram dimisit; aliam uero partem Didaco Palomino ibi reliquit, ut Calim euehendam curaret; reliquam ipse partem per sarcinarios Indos, quos Sebastianus Merlus ex Cali una cum aliquot cibariis
2 iam adduxerat, secum detulit. itaque Castrus cum non

(neque ... potest) *sic distinxi* | neque enim sine eius ciuitatis fauore, ope et *om.* P : *add.* P[2] *in marg.* || 5 per *om.* P

amplius octo dies in Bonae Venturae uico esset commoratus, quamuis aeger morbo graui, tamen incredibili robore animi saeptus iter in Calitanam urbem qua uia erat aperta facere coepit nec status caeli, qui tunc erat pluuius, eum continuit. lecticula ferebatur partim ab Indis, partim a peditibus Hispanis, qui una cum aliquot equitibus ipsum sequebantur. sed cum magna pluuiarum esset uis, summo cum labore ac difficultate iter expediebant; usque adeo omnia in aquis et luto erant demersa et illuuie plena et uoragine. accedebat eo non ingens modo milii et commeatus sed tecti etiam inopia, quippe cum omnes et fame laborare et in agro pernoctare ac paene in ipso luto uolutari cogerentur. in quo tuguriolum ex quattuor palis in terram defixis ac totidem magis tenuibus superimpositis et palmis agrestibus contectis, ubi tentoriolum simul cum lectulo strato, in quo Castrus recumberet, poneretur, nocte erigebatur. 3 4

Ceterum cum in dies febris incresceret, remedium, quo ipsam saltem minueret, quaerere Castrus in animum induxit. itaque, cum medici ope et opera prorsus destitueretur, antequam Daguam amnem transiret, medicam ipse sibi manum adhibuit. nam et ea nocte ius uuae passae cum blitis decoctae sumpsit ac insequenti die uenam incidit tantumque sanguinis ex bracchio misit quantum saluti suae conducere existimauit. deinde Rhabarbarum insigne medicamentum, quod radicem Ponticam, si Ruellium audimus, Cornelius Celsus uocat, iam **33** 2

32 2 qua P[2]A : quam P | coepit *corr. To.* : cepit A : ccepit P || 3 Lecticula *corr. To.* : Jecticula A : Lectula P || 4 ac totidem magis tenuibus superimpositis *om.* P

33 1 quaerere P : -ret A || 2 Ruellium] *cf. Ruellius p. 417*

marino umore spongiae in modum corruptum in uuae passae decoctae iure infudit et id ipsum prima luce expressit eoque ad purgationem usus satis belle pro tempore habuit, siquidem accessio febris est lenita. et haud dubie ipsa se magis remisisset aut non creuisset, si Castrus quietem corpori dedisset.

34 Sed ille nullis induci precibus potuit ut paulum ibi subsisteret; tantum erat studium et ardor in Peruram perueniendi, quo rebus illius prouinciae consuleret et mandata quae a Caesare habebat diligenter persequeretur atque conficeret, ideoque ab eo loco reliquum iter pergere contendit et ad Daguam amnem progreditur, 2 quem eo die decies et septies traiecit. nec timuit Castrus tantae magnitudinis flumini se suosque obicere, quod ea tum altitudine tum rapiditate erat ut leuis armaturae equites difficulter atque aegre ipsum transirent, quod alibi ephippio tenus aqua esset, alibi genua ipsorum superaret ac persaepe equi natare cogerentur. pedites uero tantum modo umeris et summo pectore exstarent maximeque ad transeundum impedirentur. pauci ui fluminis sunt arrepti et in his Petrus Cabrera Hispalensis nobilissimus eques, cui ni festinanter ab aliis subuentum fuisset, in eo amne interiisset. reliqui uero ab 3 equitibus excepti et subleuati incolumes euasere. densissimae inter eos riparum anfractus et sinuosus fluminis flexus siluae erant, per quas Castrus, cum in equo uehi non posset, militum Hispanorum, qui integri fessis succedebant, umeris portabatur. at is, dum in tugurium In-

34 1 paulum A : palum P || 2 tum *ante* altitudine P : tunc A | rapiditate A : rapitate P | alibi ephippio tenus aqua esset *om.* A | his *om.* P

dicum uentum est, simul morbo simul imbecillitate corporis paene exanimis humi procubuit. ubi cum paulum quieuisset, leui cibo sumpto (is fuit ex pullo gallinaceo asso et frigido, qui a Cali fuerat missus) uires recepit et milia duodecim ultra progressus flumen postremo, nemine prorsus desiderato, traduxit et ad ulteriorem ripam, ubi locus est quae Insula Parua uocatur, ea nocte substitit. nihil tunc cibariorum erat praeter paruulum 4 suillae carnis frustulum, quod Castrus aegre mandere potuit. reliqui, ne animis uiribusque deficerent, famem palmis herbisque leuauere. postridie uero quam inde Castrus excederet, pultem ex milio molito factam gustauit, quod pedes quidam Hispanus ex perula, quam collo gestabat et in Bonam Venturam bene mane ea descendebat, deprompsit ipsique dedit. iam uero ab ea 5 Insula Parua duplici uia Calim itur, altera per montes, altera per ipsum Daguam amnem, quo iumenta aguntur, neque enim per aspera illa, ut supra demonstratum est, et ardua iuga deduci queunt. itaque Castrus, quibusdam ex domesticis Hispanis et Indis, qui eos ducerent, cum equis et iumentis per flumen aduersum ire iussis, iter ea per montes direxit, qua Hispani et Indi, qui sub Ioanne Chirosio centurione a senatu Calitano missi erant, securibus aliisque instrumentis ferreis illud aperiebant ac lecticula illatus tantum illius uiae directae, praecipitis et angustae ascendere quantum descendere cogebatur. quod cum miles quidam Hispanus perferre 6 non posset, ut ad iugi cacumen uentum erat, leuandi

3 (is fuit ... missus) *parenth. statui* || 4 reliqui A : reliquit P || 6 perferre PA : ferre *To.*

sui laboris causa, si non ex omni, certe ex altera parte, caetra quam gestabat insidens a summo cliuo ad imum repente ac sine ullo sui incommodo (sunt enim montes illi argillosi et lubrici non saxosi) delabebatur.

35 Ventum est ad tugurium quoddam montanorum, ubi omnes copiam cibariorum nacti se ex labore et inopia refecerunt ciboque et potu et quiete uires reparauerunt. erat hoc tugurium rotundum, palmis agrestibus tectum et undique crassissimis maximisque harundinibus, qua- 2 les illic nascuntur, clausum. et cum lectulus, in quo Castrus quiesceret, iuxta eas harundines sterneretur, admonitus est ipse periculum ibi a tigribus esse, quae immissis inter harundines noctu unguibus cuncta arriperent atque dilaniarent. quod ubi Castrus intellexit, lectulo in tuto loco collocato, ignes ad tugurii aditum, ut immanissimis feris formidinem iniceret, fieri iussit. sed enim tradunt eas feras nihil aliud magis horrere quam tympanorum sonum eoque insanire et furere se- 3 seque discerpere ac dilacerare. ceterum nec omnes periculum a tigribus effugere nec mortem uitare potuere. nam in eo itinere unum atque alterum ex domesticis et intimis familiaribus Castri illae deuorauere et ex his alius occubuit, quem ipse admodum diligebat carumque habebat. multa certe incommoda et detrimenta in eo itinere Castrus accepit, quippe cum et nonnulli equi in praecipitia delati et iumenta quaedam cum oneribus deuoluta et amissa et plerique ex famulis eius, qui ea per Daguam flumen Calim deducebant, labore fameque

(sunt ... saxosi) *sic distinxi*

35 2 immissis inter ... ad tugurii aditum, ut *om.* P || 3 fameque P : famae- A

fuerint consumpti. ab eo tugurio Castrus uiam processit et, superatis montibus, ad planum descendit et, cum iam sol occideret, in deuersorium, quod gallinarum et aliarum rerum copia abundabat, se recepit ibique, etiamsi uehemens febris urgeret, ea nocte paulisper requieuit ac demum, ubi dies illuxit, reliquum inde iter conficere perrexit. qui cum proxime Calim uenisset, a Sebastiano Benalcazare praefecto et a senatu ciuibusque Calitanis, qui officii causa ex ea urbe prodierant, comiter ac benigne exceptus est et in magnificentissimum hospitium deductus. 4 5

36 Hanc urbem et Hispanorum coloniam primum Sebastianus Benalcazar praefectus in ualle Indorum qui appellantur Gorrones constituit; deinde eam Michael Munozius, id ipsum colonis ab eo exigentibus, in latissimam et amoenissimam uallem deduxit, unde ipsa urbs nomen traxit, et ad fluuii cuiusdam parui ripam, qui montibus exortus a Grandi amne haud procul ab urbe decurrente accipitur, in loco plano et salubri ac prorsus amoeno, ni solis ardoribus maxime expositus esset, anno MDXXXVII collocauit. ceterum uallis in qua Calis est sita admodum fertilis et magna ex parte irrigua est, quam plurima et laetissima habet pascua et ceruis aliisque feris siluestribus refertissima, abundat milio, legumine, herbis hortensibus et omni fructuum genere. nam riui ex flumine nomine Frigido et ex aliis quae per eam in Grandem amnem influunt deducti uariis utrimque citris, cannis dulcibus, platanis, malis granatis et aliis arboribus fructiferis tam peregrinis quam 2

4 conficere A : -ret P
36 1 id P : in A || 2 cannis P : carnis A

natiuis sunt consiti et ad ripas amnium multae uillae cum excultis et irriguis hortis positae.

37 At Castrus, tametsi ualde periculose in ea urbe circiter tres menses aegrotauit, tamen multo aegrius casum et obitum suorum tulit quam bonorum iacturam quam terra marique fecerat et quam morbum etiam ipsum tam grauem et longum quem eo praesertim tempore sustinebat, quippe cum eos omnes amisisset. tres enim solum ex tanto comitum, domesticorum et familiarium numero superfuerant, quibus tuto fidere, res committere, sua consilia credere posset. quod cum in aliis Indiarum prouinciis tum praecipue in Peruranis summe necessarium 2 est. his omnibus Castrus, qui ab Hispania usque ad Calim fato concesserant, iusta fieri et bona ipsorum auctione constituta uendi iussit et pecuniam postea in Hispania heredibus eorum subministrari curauit.

38 Erat per id tempus cum Castrus in lecto recumberet summa inter Benalcazarem et Andagoiam de Popaianae praefectura dissensio. hic a Benalcazare captus et in uincula coniectus ideo Popaiani fuerat, ut inde Timanam, quae ultra Andes montes in regione pruina geluque rigente est posita, relegaretur non alio certe consilio quam ut ibi intolerabili frigore et caeli grauitate interi- 2 ret. quod ubi Ioannes Andagoia filius cognouit, uehementer est commotus ac sine mora cum sexaginta Hispanis uiris acerrimis et magno Indorum numero ex flumine Sancti Ioannis, ut Andagoiam patrem liberaret, mouens Calim contendit, ubi Benalcazar praefectus ualidam etiam praeter Indorum multitudinem Hispano-

37 1 periculose P : -losae A | familiarium P : -rum A
38 1 de P : et A | coniectus P : conuec- A

rum manum, ut aditu prouinciae ipsum prohiberet, in armis habebat. eo iam insolentiae et furoris omnes pro- 3 cesserant ut nulla concordiae amplius spes esset, praesertim cum Christophorus Penna Veraguae prouinciae praefectus regio edicto, quo senatus Panamensis grauiter et seuere iubebat ut utraque pars bello abstineret, nihil profecisset. quod statim ut Castrus intellexit, etsi, 4 nondum confirmata ualetudine, ex morbo non assurgebat, tamen committendum non existimauit ut respublica aliquid detrimenti caperet. uidebat ea discordia et bello intestino eam prouinciam in summum discrimen uenturam et Caesarem maximum inde incommodum accepturum; neque enim dubium faciebat, si pauci illi Hispani, ut erant ira perciti et animis adeo obstinatis, inter se confligerent, quin Caesar et prouinciam amitteret et Indi, his occisis qui ex proelio superessent, sese in libertatem assererent. itaque Castrus Caesaris nomine 5 seuerissime edixit ut confestim Paschalis Andagoia ex Popaiano Calim duceretur et ut omnes, positis armis et militibus dimissis, quod ipse ex iure decerneret sine mora exsequerentur, ni infidelitatis et perfidiae crimen et capitis poenam subire uellent. et hercle Castrus sin- 6 gulari sua prudentia et animi magnitudine ea in re ut in ceteris usus contentionem et controuersiam de Popaianae praefectura inter Benalcazarem et Andagoiam praefectos diremit et res Popaianas, quae paene in extremo erant periculo, composuit atque eam prouinciam Caesa-

4 caperet P : eciperet A (*ut uid.*), *unde* acciperet *To.* | summum P : summo A || 5 nomine P : nomen A || 6 Popaianas P : Popanas *in* Popaianas *corr.* A | eam prouinciam ... metuque *om.* P : *add.* P[2] *in marg.*

ri seruauit metuque caedium, quae indignissimae et maximae factae fuissent, liberauit, quippe qui et Benalcazari et Andagoiae, ubi is ex Popaiano Calim uenit, imperauit ut diplomata quae de constitutis a Caesare
7 prouinciis habebant protinus exhiberent. ea cum uterque dedisset et causam quisque suam apud Castrum accurate dixisset, ipse postea, diplomatis perspectis atque prudenter expensis et causa inter utrumque praefectum diligenter cognita, administrationem Popaianae prouinciae ex Caesaris decreto Benalcazari adiudicauit.
8 Andagoiam uero, quem grandem pecuniam Caesari debere constaret, ne tumultus et dissensiones nouae commouerentur, extemplo una cum Ioanne filio, qui ipsum deduceret, ad conuentum Panamensem ire iussit, ut inde in Hispaniam ad senatum Indicum, quo Caesari debitum solueret, ille mitteretur.

39 Etenim Castrus, quamuis propter ancipitem morbum magnos faceret sumptus, tamen non Cali modo sed in Perura etiam toto imperii tempore quo prouinciam obtinuit, quod ad abstinentiam attinet, tam caste integreque se gessit ut nemo posset uere dicere quicquam muneris ab eo ac ne assem quidem acceptum fuisse: non carnes ferinas, non ouillas, quae permagno Cali aestimantur, non equum, non insignem ex argento puro concham et inauratam, non denique alia uasa cum argentea tum aurea accepit, quae muneri oblata missaque
2 officii causa a Benalcazare et ab aliis etiam fuere. sed ipse, postquam Didacus Palominus cum parte sarcina-

diplomata A : adiplomata P || 8 ne P : nec A | commouerentur *corr. To.* : commoueretur PA

39 1 muneris *scr. To.* : numeris PA | muneri P : numeri A

rum, quam in Bonae Venturae portu reliquerat Calim uenit, auctionem fieri atque ea omnia quae ille attulerat uendi iussit. quibus rebus diuenditis Castrus bis mille tantum aureos recepit nec aliam pecuniarum summam quam eam in Peruram detulit. in quam tanto peru- 3 eniendi desiderio tenebatur ut, etiamsi non conualesceret sed grauissime aegrotaret, quia, cum leuari morbo uideretur, in eum de integro incideret, tamen, quo tantum officium tantumque munus susceptum exsequi posset, Cali IIII Idus Augusti Popaianum est profectus.

Lectica harundinea ferebatur Garsia Vitale sacerdote **40** et Franciscano quodam comitantibus, ut si forte extrema necessitas urgeret, ritu Christiano ipsum unguerent. atque ita incredibili animi constantia iam iam moribundus ille iter confecit et in traiectu fluuii Grandis cognomine Sanctae Marthae Valdesium unum ex domesticis amisit et in Popaianum est ingressus, quod a Cali milia passuum nonaginta abest itinere partim campestri, partim montibus et his fluminibus Grandi, Xamundio, Ouillo, Piandamo, Placa, quae Grandis ipse recipit, impedito. hic amnis in praefectura Popaianae ex duobus 2 fontibus, altero in Andibus, altero ultra Popaianum haud procul loco, cui nomen est Cotara, in iis uallibus, quas Coconuci Indi quattuor et uiginti milibus ab illis montibus incolunt, exortus per innumeras Popaianae, Nouae Granatae, Carthaginis, Marthae et aliarum prouinciarum gentes lingua, cultu rituque differentes labitur innumerisque aquis auctus duobus uastis fluminibus

40 1 arundinea ferebatur P : arundine aferebatur A | necessitas P : necessita A | traiectu P : -to A | Ouillo *correxi* : Ouilio PA || 2 illis P : illiis *uel* alliis A

3 euoluitur. quae, donec in unum confluunt, in diuersa abeunt ac diu multumque distantibus alueis defluunt. centum enim et sexaginta passuum milia inter utrumque intersunt. et Grandis quidem tam uno quam altero alueo complures et magnos fluuios accipit maximeque uiolentus et rapidus est atque latus; nam in confluente quattuor milia in latitudinem patet et ad Martham am-
4 plius triginta. is nunc ad solis exortum, nunc ad occasum cursum agit, nunc ad austrum conuertit; post in septentrionem flexus multis uastisque ostiis ad Sanctae Marthae urbem ingenti cum murmure sonansque in Oceanum septentrionalem effunditur tantoque impetu defertur ut fluctus hinc atque illinc discutiat suumque in mari per multa milia alueum seruet et inter marinas aquas dulcium haustum nauigantibus per ea loca prae-
5 beat. ripae eius et regiones per quas descendit fertilissimae sunt auri et commercio tantarum ac dissimilium gentium eximie cultae. sed ubi Grandis in Mopoxiam Carthaginiensis prouinciae urbem deuenit, Cauca appellatur et non longe a mari et ad insulas quas efficit (efficit autem quam plurimas) ingentes pisces et in his
6 crocodilos humani corporis auidissimos gignit. ac demum ipse a fontibus ad Oceanum, ubi se effundit, plus decies et sexagies centena passuum milia decurrit, ut prodit ex iis qui proxime Indiarum prouincias peragrarunt Petrus Cieza Leo Hispalensis diligentissimus itinerum Perurae mensor.

41 Ceterum Popaianum a Sebastiano Benalcazare praefecto, qui eam prouinciam armis Hispano imperio adi-

3 centum P²A : gentum P || 4–5 triginta ... exortum, nunc *om.* A || 5 (efficit ... plurimas) *sic distinxi*

ecit, in loco edito et salubri conditum est deductique coloni anno MDXXXVI. haec urbs ab exortu solis Andes, ab occasu altissimos montes, qui mari imminent, a meridie et septentrione ualles maxime fertiles et pomis aliisque arbustis nobiles et amoenissimis uillis refertas habet, per quas complures ingentesque amnes, qui oriuntur ex montibus, defluunt et in his alterum Grandis bracchium, quod sub imis Andium radicibus ex Coconucis uallibus nascitur duoque tantum milia ab urbe abest. haec a Popaiano regulo nomen accepit nomenque Popaianae prouinciae dedit, quae ab oriente Nouo Regno Granatae, quod ultra Andes est, ab occidente prouincia quae fluminis Sancti Ioannis dicitur, a meridie ea Perurae parte quae in ortum solis excurrit, a septentrione Carthaginiensi prouincia includitur et ab oppido Pasto ad Antiochiam urbem inter Andes et eos montes qui austrino adiacent mari tenduntque ad orientem procurrit patetque in longitudinem milia passuum octingenta et in altitudinem ubi plurimum quadraginta, ubi minimum triginta. natura caeli et regionum Popaianae uaria; pars enim caloribus, pars frigoribus est infesta. cultores inconditi et plane indomiti et liberae feritatis. hoc faciunt densissimae siluae et frequentissima harundineta, in quae, cum uis et impetus hostium maxime eos urget, se recipiunt. ex his plerique humanis corporibus uescuntur. domos ex lignis et stramentis constructas habitant. ualles quas incolunt omni fruge et fructibus sunt abundantes, in quas non pauci amnes utrimque ex

2 3 4 5

41 1 edito A : adito P || 2 et *ante* in A : en P || 3 octingenta *correxi, cf. Cieza, 366a* : octigenta P : octoginta A | frigoribus P : -busque A

montibus orti, inter quos est Grandis, influunt. multi in ea prouincia sunt fontes, ex quibus ingens salis copia
6 conficitur. urbes autem et Hispanorum coloniae in ea sunt Pastum, Popaianum, Timana ultra Andes posita, Calis, Anzerma, Carthago, quae nomen a colonis ex Carthagine urbe et prouincia Indiae deductis sumpsit, Arma, Antiochia, prope quam est insigne illud iugum nomine Buritica, quod Grandis alluit, uenis auri scatens, unde tantum eius metalli effossum est. sed et alia sunt oppida et ignobiliores urbes, quarum omnium Popaianum caput et princeps est. nam ab hac urbe, quae pontifice, senatu et ciuium frequentia exculta est, ceterae iura petunt et a praefecto ipsius prouinciae inde reguntur atque gubernantur.

42 At Castrus, cum a senatu ciuibusque Popaianis incredibili laetitia atque honore, quod res eius prouinciae, quae in magno erant discrimine, prudenter composuisset, exceptus fuisset atque ciues nullum non officii et pietatis genus in eum, quod tam funesti domesticique belli fuisset exstinctor, contulissent, maxime contendit ut morbum depelleret, se reficeret et uires corporis iam
2 prope amissas reuocaret. sed enim tum plane cognitum est eo morbo tam longo et Vaccae Castri saluti et uitae consultum et rebus Peruranis, quae iam in summum uenerant periculum, esse prouisum.

43 Interim enim dum ipse propter accesus recessusque austrini maris alternos in Palmarum insulam deiectus fuit ac dum in Bonae Venturae portu itinereque et Cali

6 Buritica *correxi coll. Cieza 367a* : Biturica PA
42 2 tum P : tunc A | uitae A : uictae P
43 1 Cali eo *scripsi* : Gali eo P : Galico A, *unde* gallico *To.*

eo usque periculose aegrotauit, donec Popaiani morbo euaderet, Didacus Almagrus maximi animi adulescens, quem una cum Ioanne Rada uiro forti et sagaci aliisque ex factione Chiliensi relegatum Limam a Ferdinando Pizarro supra dixeramus, maximas res in animo agitauit consiliaque cum ipso Rada de ulciscenda Almagri patris caede iniit. hunc Almagrus praefectus ex Inda quadam 2 nobili susceperat ingenueque educari et optime institui fecerat ac moriens Ioanni Radae, cuius fidem optimam et spectatissimam esse sciebat, praecipue commendauerat. is adulescentem singulari amore et pietate semper est prosecutus et ut ille bellicis artibus imbueretur egregie curauit. ceterum Almagrus, ut erat altae indolis ani- 3 mi, uestigiis paternis insistere, cursu, luctatione, hasta, disco, pila membra exercere, in equum insilire, equum concitare, ex eo pugnare equestrique certamine aequales antecellere maxime conabatur, laboris, pulueris ac solis iuxta patiens nihil non fortiter ac strenue aggredi, frigus, famem, sitim ac uigilias perferre. multum in eo audaciae, multum consilii inesse. sed indomita et effre- 4 nata quaedam dominandi cupiditas, perfidia plus quam Punica, rapacitas et intolerabilis saeuita ingentiaque alia uitia tot tantasque adulescentis uirtutes obscurabant: non Dei metus, non diuorum cultus, non religionis sanctitas furorem eius a Peruranae reipublicae pernicie auertit, non sacrae leges, non ius iurandum, non imperii reuerentia, non maiestas nominis Caroli V Caesaris

Popaiani A : Popaiam P | euaderet A : eua- P || 2 Inda *correxi* : India PA || 4 perfidia ... Punica] *cf. Liu.* 21.4.9 | Diuorum P : Diuũm A | pernicie P : prouinciae A | V P : Quinti A

ipsum a foedissimis factis auocauit, quippe qui, instigante eum maxime Rada in Franciscum Pizarrum praefectum, animo iam destinauerat et Almagri patris necem ulcisci et Peruram armis occupare. semper enim aegerrime tulerat se Cuscho simul cum Rada et aliis paternis amicis Limam relegatum et ibi in custodiam datum. ex qua ubi ipse eductus fuit, ita se gessit ut appareret aliquid maius eum quam quod ageret struere
5 atque moliri. angebant ingentis spiritus adulescentem ignominiosa Almagri patris mors et tot amicorum caedes et exilia. ad haec grauissime indignabatur se iis Indis, ex quorum agris uectigalia caperet, esse multatum.

44 His anxius curis atque ira deflagrans milites Hispanos euocare, qui proelio ad Salinas a Pizarris uicti non odio solum apud alios Hispanos sed contemptu etiam apud Indos laborabant uagique per Peruranas aliasque prouincias discurrebant, eos hospitio excipere, armis in-
2 struere, uictum uestitumque necessarium dare. quo fiebat ut ii qui ex factione erant Chiliensi et qui memoriam nomenque Almagri praefecti in animis impressum infixumque habebant undique etiam ab octingentis passuum milibus Limam ad Almagrum conuenirent ac se suaque non offerrent modo sed ipsi etiam traderent: tanto
3 amore et fide eum prosequabantur. nihil enim proprii habere, omnia in commune conferre ac quidquid pecuniae aliunde siue ex alea siue alia ex re quaererent et ad necessarios priuatosque usus illi corrogarent id omne Ioannes Rada accipiebat et ad commune omnium commodum conuertebat omniaque ita prouidebat ut cuncti

44 1 excipere P : -ret A || 2 eum P : cum A || 3 proprii P : -pii A

uita uictuque communi uterentur omniaque inter se communia essent. itaque nec pecuniae nec alimenta nec uestimenta nec aliae res ad subleuandam militum inopiam deerant.

45 Quod statim ut Franciscus Pizarrus praefectus audiuit, Didacum Almagrum et Ioannem Radam sibi conciliare alliceréque et trahere ad amicitiam studuit. at quamuis ab illis de reditu in gratiam ualde ipse contenderet, nihil tamen profecit, sed maiorem in eis indignationem mouit, quippe qui animo in Pizarrum erant maxime infenso atque inimico abundanteque Chiliensium numero capitali odio ab eo dissidebant cordaque ipsorum ira cumulabantur. iam arma et equi non clam sed palam conquirebantur rumoresque de coniuratione per urbem increbrescebant. sed haec Pizarrum (tam **2** fidens animi fretusque conscientia officii et beneuolentiae erat) non mouebant. nam admonentibus amicis ut a Chiliensibus caueret respondit: 'sinite istos miseros atque calamitosos uiuere. satis superque infortuniorum ferunt, cum uideant se omnium rerum plane egenos afflictosque et uictos.' 'atqui illi de caede tua agunt.' 'utcumque sit,' inquit, 'sua ipsorum capita meum seruabunt.' et cum admoneretur ut militum custodia saeptus **3** incederet, negauit se id facturum, ne dicerent se aduersus Vaccam Castrum praesidiis et custodiis militaribus muniisse, quominus ille inquisitionem de Didaci Alma-

45 1 trahere P : atra- A | dissidebant P[2] : dessidebant PA | increbrescebant] increbescebant A : in cresbrescebant P || 2 (tam ... erat) *sic distinxit To.* | uideant P[2]A : uidetur P | tua PA : sua *perperam scr. To. plene tantum post* uictos *distinguens, ut qui sequentia a Pizarro etiam dicta putaret.*

gri caede agere iudiciumque capitis in eum constituere
4 posset. itaque nec quae renuntiabant amici credebat nec exspectationem quam sui concitauerat tuebatur nec dignitatem et decus personae quam gerebat ut decuit sustinebat, sed improuidus et neglegens sui omnino factus, nulla officii et muneris ratione, quod administrabat, habita, uno tantum comitatus adulescentulo molas frumentarias, quas extra urbem construendas curabat, frequenter inuisere solebat.

46 Haec atque alia firmissimam spem et fiduciam inimicis Pizarri addidere, ut ea quae in animis agitabant intrepide patrarent, ut qui uiderent ipsum tardiorem factum et ex pristina illa animi consuetudine et celeritate perinde excessisse ac si iam pridem potentiae gloriaeque abunde se adeptum existimaret. quem usque adeo factionis Chiliensis principes contempsere et despexere atque eo impudentiae processere ut nec illi obuiam ue-
2 nienti assurgere nec caput aperire dignarentur. quin et nocte quadam singulae quaeque restes e regione aedium Pizarri praefecti et Ioannis Velaschii praetoris et Antonii Picadi scribae e furcis in foro suspensae et, cum illuxisset dies, ab omnibus conspectae fuere quasi suspendium illis minitantes. uerum haec Pizarrus ita dissimulauit ac pro nihilo habuit ut diceret eam rem hominum esse animo confusorum, qui, cum ulcisci se non possent, ea facerent quae perditissimi quique noctu per
3 urbem uagantes facere solent. hoc certe ita animos coniuratorum auxit atque incendit ut destinatum negotium

4 expectationem A : expeta- P | muneris P : numeris A
46 1 Pizarri ... in animis *om.* P | animi] *suspectum, cf. B. Afr. 73.1* || 2 quin P : qum A | confusorum P : confusorem A

maturarent et consilia, quae dispersim antea habebant et quae pauci capiebant, in unum omnes conferrent. itaque inter se constituunt et Franciscum Pizarrum praefectum necare et Peruranas Cuschanasque prouincias, eo interfecto, occupare.

Ceterum uisum est ipsis eam rem usque eo differre, **47** dum quid Didacus Aluaradus, qui in Hispania nomen Pizarrorum de caede Almagri praefecti detulerat ad senatum Indicum, egisset et quid Caesar ea de re decreuisset intellegerent et utrum ipse, postulante atque procurante id Sosa, Almagri praefecti scriba, qui in Hispaniam etiam de Pizarrorum iniuriis questum uenerat, praefecturam Noui Toleti Didaco Almagro adulescenti, qui eam tum ex regio decreto, tum ex testamento Almagri patris ad se pertinere contendebat, cum gratia detulisset. sed enim, cum renuntiatum esset longe miti- 2 us quam ipsi putarent cum Ferdinando Pizarro, qui, proelio ad Salinas facto Almagroque praefecto Cuschi interfecto, eo traiecerat, ut de ea caede se Caesari purgaret, actum esse eumque tantum custodiae Ioannis Vaccae arcis Methymnae Campensis praefecti traditum ibique conclusum caputque etiam et famam atque dignitatem Francisci Pizarri praefecti acerrime a Francisco Calderone, qui eius causam susceperat, defendi, non amplius exspectandum sibi existimauere. at uero, 3 cum certo scirent Christophorum Vaccam Castrum de senatu regio, quod ea res inter utrumque praefectum Pizarrum et Almagrum adeo esset implicata et incerta

47 1 *post* intellegerent *plene distinxerunt* PA | Noui *correxi* : Nouae PA | tum *post* eam P : tum *uel* tunc A || 2 putarent A : putarant P

ut utri culpa attribuenda foret non satis constaret, iudicem datum, ut in Perura de Almagri caede aliisque criminibus summa fide et aequitate in Pizarros ceterosque inquireret, cognosceret atque animaduerteret seditionesque et discordias ea prouincia concitatas sedaret, id quod decreuerant in aduentum Castri eatenus differendum Chilienses censuere, quoad uiderent quid ille noui afferret, quid in Pizarrum statueret, an eum in uincula coniceret, an statim capite damnaret; quod si neutrum faceret, tunc utrumque simul obtruncarent aut, si id fieri non posset, Castrum primo Pizarrum deinde occiderent, ne iudex aliquis aut princeps uir cum imperio superesset qui et Pizarri caedem ulcisceretur et in eos animaduertere posset.

48 Haud dubia res est quin multo ante illi et Pizarrum obtruncassent et Peruram occupassent, ni Didacus Aluaradus, cum in ea prouincia excederet, eis obstitisset crebrisque postea litteris ex Hispania admonuisset ne tanti facinoris tamque atrocis crimen committerent constanterque affirmasset nec se eius coniurationis participem nec culpae nec flagitii consciuum esse uelle, quod Pizarri causa in senatu Indico tractaretur et quod ipse ita in eam rem incumberet ut diceret se non ambigere 2 quin causam teneret; ad haec pro certo haberet Caesarem, quod acerrime mortem Almagri praefecti tulisset, maxime id curaturum eosque, si modo in fide et officio manerent, multis magnisque praemiis donaturum; itaque exspectarent quid senatus statueret atque iudicaret.

3 quid *ante* ille A : qui P
48 1 excederet A : excedere P | uelle, *To.* : uelle: P : uelle? A

at Chilienses iniquis haec animis accipiebant, praesertim cum nuntiatum esset Aluaradum iam decessisse, satiusque esse dicebant obsoletis iam uestibus et incultis corporibus alienis discumbere mensis quam a Caesare periculorum praemia et laborum fructum exspectare; neque enim se tam abiecto esse animo ut non auderent quamcumque rem aggredi ac facinus patrare. 3

49 Haec coniurati Limae per quadraginta dies in aedibus Didaci Mendezii et Bartholomaei Vergarae consultabant. et cum timor atque ira inuicem sententias uariarent, quidam ex Almagri ducibus sensit Pizarrum praefectum confestim esse trucidandum ac deinde Castrum, nisi causam ipsorum probaret iureque caesum eum iudicaret. 'ducenti' inquit, 'numero milites sumus ex factione Chiliensi. quis resistere nobis poterit quin quodcumque libitum fuerit aggrediamur atque conficiamus? centum in Pizarri praefecti aedes irruemus, centum in hospitium Vaccae Castri inuademus facileque utrumque necabimus.' alii contra sentiebant; perdifficile enim et nimis arduum ipsis ac plane incertum uidebatur ut utrumque simul interficere possent. tandem ab omnibus in eam sententiam itur, ut simul atque scirent Vaccam Castrum Panamam appulisse, insidias ei Tumbezii uel Paitae instruerent, uenientemque eo incautumque in tentorio noctu clam iugularent extemploque ea de re per celeres Indos Almagrum, Radam et reliquos 2

3 fructum P : fructuum A | quamcumque A : quacumque P

49 1 Bartholomaei *correxi* : -li PA | numero A : numerorum P | *signum interrogationis, quod mss. et To. post* poterit *scr., post* conficiamus *transposui* | centum *ante* in Pizarrum A : caeterum P

eius factionis principes certiores facerent, ut Pizarrum occiderent, rumoribus prius per urbem dissipatis ideo se Pizarrum praefectum obtruncauisse, quod ipse ueritus ne capite damnaretur Vaccam Castrum iudicem a Caesare constitutum interficiendum curauisset.

50 Nec dubium est quin eo tempore quo Castrus Panamam peruenit (peruenit autem mense Martio, sicuti supra demonstrauimus, eius anni qui erat MDXLI) Pizarrus uiueret. 2 quem iam tunc Didacus Almagrus adulescens circumuenire et opprimere nitebatur, Ioanne Rada, qui eius coniurationis princeps et caput erat, usque adeo ipsum in Pizarrum incitante ut ille, communicatis consiliis cum ipso Rada, Ioanne Balsa, Francisco Chauio, Garsia Aluarado aliisque Almagranae fationis, qui Chilienses uocabantur, non dubitauerit rem, sicuti apud animum statuerat, armis temptare atque periclitari, quippe qui de Castri in urbem Panamensem aduentu iam certior per Antonium Venerium et Didacum Enzinam, quos eo miserat, quo animum eius explorarent atque temptarent, factus Alfonsum Montemaiorem equitem et Antonium Noguerolum et Ludouicum Garsiam Sammamaeum Trugillum confestim ire iussit, ut simulatione Castrum exciperent et nomine Almagri salutarent, re quidem uera, statim ut ipse e naui in Perruram descendisset, quam celerrime fieri posset ad se referrent. 3 at Pizarrus, qui simpliciter et candide rem agebat nullasque sibi ac ne Castro quidem poni insidias

50 1 eius A : cuius P *ut uid.* | (peruenit ... MDXLI) *sic distinxit To.* | MDXLI P : MDXII A || 2 *post* nitebatur *sic interpunxi* : *plene distinguunt* PA | Chauio *correxi* : Xauio PA | quos A : quo P | Sammamaeum] Sammanaeum *perperam corr. To.*

putabat, ubi intellexit eos a Didaco Almagro ad Castrum missos, ut idem officii praestaret, Antonio Maniario, Ludouico Riberae et Antonio Perezio Schibello mandauit ut ipsi etiam uenienti Castro obuiam irent et aduentum gratularentur eumque ad Ciuitatem Regum deducerent.

Sed longe alia mens et uoluntas coniuratis atque Pizarro erat. nam cum illi ex iis qui nauibus Limam uenerant Vaccam Castrum ex portu Panamensi iam soluisse intellegerent, Balsam cum expedita equitum turma ei Paitam occurrere iusserunt et ut hi pullati omnes ac se lugere simulantes propter Almagri praefecti mortem Castrum exciperent et de Francisci Pizarri praefecti iniuriis, auaritia et immanitate quererentur, qui et Almagrum patrem, cuius auxilio, fauore et opibus summum dignitatis gradum assecutus esset, indigne et atrociter necare fecisset et Almagrum filium in custodiis habuisset et uectigalibus stipendiariisque Indis multasset ac demum ex amicis domesticisque Almagri praefecti alios supplicio affecisset, alios in exilium egisset, alios et uita bonisque spoliasset: hoc tantum miseris refugii, hoc solum remedii et alleuamenti afflictis superesse, ut ad unum Vaccam Castrum uirum amplissimum confugerent, quem Caesar propter maxima uirtutis, ingenii, prudentiae, dignitatis, fortunae ornamenta iudicem eis dedisset, ut de indignissima Almagri praefecti sui caede in **51** 2

3 Antonio Maniario] Alfonso Maniario *malim cf. 5.60.5, 7.25.19, Cieza[2] 198a* | Antonio Perezio *fort. in* Alfonso Perezio *corrigendum, cf. 7.25.19, 7.89.2, 7.161.2, Calu. Gasca e.g. 392b, 393b et Cieza[2] e.g. 198a* | gratularentur P : -retur A

51 1 *post* iusserunt *plene distinxerunt* PA

3 Franciscum Pizarrum inquireret atque statueret; itaque ipsos iam maerore lacrimisque quasi consenescentes et tot tantisque difficultatibus affectos in fidem, uirtutem misericordiamque Vaccae Castri confugere eiusque opem implorare, ut miserum adulescentem Almagrum susciperet et afflictos Hispanos milites, qui sub Almagro Caesaris praefecto tot bella in Perura confecissent, Chiliam inuenissent, Cuschum obsidione exemissent, a Pizarri saeuitia defenderet atque protegeret; uereri enim se ne prorsus qui ex atrocissimo ad Salinas proelio reliqui fuissent, nisi quam primum subueneniret, morbo, 4 fame, ferro absumerentur; iam uero, cum ipsi Castri animum sermonibus deleniissent et fletibus mouissent remque a suspicione auertissent, se comites itineris ei praeberent supplicesque et maerentes ipsum sequerentur diesque et noctes insidiarentur et obseruarent occasionemque noctu oblatam ita arriperent ut acerrimi quique uiri capitibus, ne cognoscerentur, sagis obuolutis eum in lecto iacentem confoderent e uestigioque Li-5 mam aduolarent. et Balsa quidem ex ea turma quam ducebat Antonium Noguerolum, Didacum Aluarum, Martinum Aruietum et Didacum Enzinam subtraxerat, eosque in ea uia regia ita collocauerat, ut singuli quique octogenis inter se passuum milibus distarent, quo facilius celeriusque mutatis subinde equis nuntium de Vaccae Castri caede ad Almagrum et Radam perferrent, ut 6 subito illi in iudicis uindictam Pizarrum trucidarent. at

3 consenescentes P²A : consenscentes P || 4 oblatam A : ablatam P | obuolutis P : obolutis A | cognoscerentur P²A : cognocerentur P || 5 Aluarum P : Aluaradum A | ita *om.* P

Balsa et reliqui equites qui cum eo erant acerbissimo animi sensu et dolore simulato Castrum uulneribus confectum conspicientes clamarent tam nefarium scelus et facinus non ab alio quam a Francisco Pizarro praefecto, ne poenam capitis ipse subiret, esse commissum multisque lamentis et lacrimis mortuum prosequerentur funusque efferendum Limam curarent, ut omnes et dicerent et crederent Pizarrum, qui tam foedum et ferum facinus consciuisset, iure caesum fuisse. iam enim illi, 7 quo maiorem fidem facerent et ut Pizarrum in inuidiam odiumque adducerent Hispanosque omnes in eum concitarent, fama uulgauerant Didacum Vrbinam, Ioannis Vrbinae uiri fortissimi et Caesaris in Italia militum tribuni fratris filium, ab eo subornatum et ad Castrum ideo missum, ut quoquo posset modo ei mortem inferret.

Verum, cum nihil certi de nauigatione et aduentu **52** Vaccae Castri haberetur, propterea quod ille tempestatibus actus et austro reflante fluctibusque recurrentibus in Palmarum insulam deiectus fuisset indeque in Bonae Venturae portum descendisset iterque per Popaianam prouinciam fecisset ac longinquo periculosoque morbo laborasset, omnes coniurati ad unum de inferenda statim Francisco Pizarro nece idem sensere, ne, si quis coniurationem in eum aperte factam proderet, aut ab ipso interficerentur aut delati ad Castrum, quamquam eum multi periisse credebant, si incolumis saluusque in Peruram perueniret, membratim discerperentur. nam et 2

6 consciuisset *scripsi coll. Liu. 28.22.5* : conciuisset PA
52 1 de *ante* Francisco *perperam add.* A | sensere P : censere A | *post* sensere *plene distinxit To.*

Christophorum Sotellum unum ex Almagri ducibus et quidem praecipuum dixisse tunc ferunt 'et hic quidem iudex, qui ab Hispania nunc ad nos uenit, non ad salutem, sed ad perniciem omnium nostrorum uenit; nihil enim boni sed multum mali affert' et Lugonem quendam pro foribus pontificiae domus multi sic dicentem audiere: 'dispeream ni ego eram unus ex his duodecim coniuratis qui die festo diui Ioannis Baptistae Franciscum Pizarrum praefectum in templo maximo obtruncare decreueramus. alii etiam erant armis instructi, qui mox Antonium Picadum iugularent. sic perdemus istos factionis Pachacamensis proditores, qui ex Cuscho Limam uenerunt. quin etiam duodecim militibus acerrimis commissum est ut iudicem, qui in Peruram uenit, nisi nobiscum de caede Pizarri et mente et uoce consenserit malefactaque omnia condonarit, de medio tollant.' at Pizarrus, ut aperto et simplici erat animo, nul-
3 lam fidem his habebat qui ea renuntiabant oblitus plane consilii Ferdinandi Pizarri fratris, qui Lima in Hispaniam proficiscens eum frequenter admonuerat ne Didaco Almagro adulescenti fideret neu Ioanni Radae aliisue ex factione Chiliensi se crederet neu eos in unum locum coniungi permitteret sed, cum quinque aut sex una coniunctos conspiceret, pro certo haberet eos nihil aliud quam de interficiendo ipso acturos.

53 Ceterum Almagrus et Rada se ad omnia quae inter se constituerant magis confirmarunt, quod uiderent Ferdinandum et Consaluum Pizarros fratres iam pridem a Perura abesse nihilque auxilii ab eis Francisco Pizarro

2 nostrorum P : nostrum A | condonarit A : -nari P || 3 eum P : cum A | aliisue P : aliisque A | coniungi P : coniugi A

fratri dari ac ne mitti quidem posse, quod alter longissime a Ciuitate Regum abiisset cinnamomique regionem exploraret, alter uero, cum in Hispaniam uenisset, ductus in Methymnae Campensis arcem ibique inclusus fuisset. sed enim Rada et Didacus Mendezius, dispositis 2 prius haud procul ab aedibus Pizarri praefecti quadraginta militibus armatis, qui, si res ferret, ipsis sine mora praesidio essent, Pizarrum adeunt eumque in hortis ambulantem hoc consilio conueniunt, ut si eos comprehendere aut occidere iuberet, occasionem subito necandi ipsum haberent. eos Pizarrus benigno uultu excepit. 3 tunc Rada, 'equid Almagrum et nos interficere uis?' 'nequaquam' respondit ille, 'sancteque iuro me nihil tale umquam cogitasse. quin potius, ut audio, uos de capite meo agitis ideoque arma undique comparatis.' 'quid tum?' Rada inquit, 'si lanceas emis, nos loricas trilices non ememus?' audacter quidem et intrepide ut a 4 Rada dictum, sic ignaue et timide a Pizarro acceptum est, ut qui extemplo eos in carcerem duci aut ad supplicium rapi non imperarit, atque eo magis quod singulis iam prope momentis de coniuratione in eum facta certior fieret constansque ea de re per urbem rumor esset. deinde subiunxit Rada 'quid moramur in Perura? quin 5 Didaco Almagro misero adulescenti facultatem abeundi una cum amicis et domesticis suis concede et suspicionem, si qua iniecta est, leuabis et a te remouebis.' tunc 6 Pizarrus, qui perfidiae et dissimulatae proditionis prorsus erat nescius, misericordia ductus eos saluos esse iubet fidemque dat nihil a se periculi fore. 'tres tantum'

53 3 sancteque P : sanctaeque A || 6 esse A : esset P | periculi] pericli PA

inquit, 'lanceas emi, quas familiares mei, cum exierint ex urbe, gestent. propediem, ut dicunt, hic iudex aderit, apud quem causam uestram agere poteritis. ille quod aequum erit decernet atque statuet. nihil enim magis cupio quam ut omnia ex aequo et bono censeantur contentionesque et controuersiae inter nos habitae com-
7 ponantur atque dirimantur.' ac mox ipse laeto uultu ex citro peregrina in Perura arbore quattuor mala Medica, quae, quod noui fructus essent, permagno tunc aestimabantur, sua manu legit eaque dono Radae dedit eique in aurem dixit uideret an aliqua re indigeret; se quod opus sit abunde ipsi suppeditaturum.

54 At ille gratias egit et simul cum Mendezio domum Almagri repetit. quid cum Pizarro egerit coniuratis exponit: ipsum animo esse quieto atque tranquillo nihilque mali suspicari. itaque tunc omnes tarditate ingenii Francisci Pizarri et agresti quadam neglegentia custodiendi sui freti atque audaciores facti diem festum solemnemque diui Ioannis Baptistae caedi dicunt eumque in templo urbis maximo, cum res diuina fieret, interfi-
2 cere decernunt. at uero Pizarrus eo die festo qui caedi destinatus erat se domi suae propter dilatum per urbem de coniuratione facta rumorem usque ad noctem continuit, qua apud Didacum Aguerum cenauit. quod usque adeo Chiliensium animos perturbauit ut amplius centum et sexaginta milites, qui sub Ioanne Rada et Garsia Aluarado ducibus in Pizarri caedem coniurauerant, simulatione salutandi uisendique Almagri, quo hunc armis defenderent atque protegerent et illum discumbentem

7 *post* indigeret *sic interpunxi* : *post* se *leuiter distinguunt* PA

mensis obtruncarent, sese ad eius aedes paulatim recepe-
rint. timebant enim ne Pizarrus, qui tam solemni die
templum maximum non adiisset, coniuratione prodita
Almagrum in uincula duci aut crudelissima morte mac-
tari imperaret. uerum cum omnia ea nocte pacata uide- 3
rentur nihilque ille moliretur, rem ad VI kalendas Iulii
anni MDXLI, qui dies diuis Ioanni et Paulo martyribus
sacer erat, distulere, ne Didaci Agueri animum offende-
rent neue mensas sanguine macularent neue honestissi-
morum aliquot ciuium aut nobilissimarum matronarum
et uirginum, quae una cum Pizarro praefecto discumbe-
bant, caedibus omnem in se ciuitatem concitarent.

Pridie autem uesperi eius diei quam Pizarrus occide- **55**
retur unus ex coniuratis rem omnem Alfonso Henao
templi maximi curioni secreto aperit. is habitu uestis
mutato, ne cognosceretur, iam nocte ad Antonium Pica-
dum properat eique refert quantum periculi praefecto
ipsi a Chiliensibus instet. rogat ut se e uestigio ad Pi-
zarrum ducat. aduolant ambo eumque simul cum libe-
ris suis apud Franciscum Martinum Alcantarensem
cenantem inueniunt. Pizarrus, ingrediente Picado, sus- 2
picans eos uelle aliquid de coniuratione indicare subito
a mensa surgit. cui Henaus quae ab uno ex coniuratis
secreto accepisset renuntiat et ut a Chiliensibus sibi
caueret et periculum, quod iam capiti immineret, amo-
liendum curaret eoque se omnino liberaret magnopere
hortatur eum atque monet. haec res uehementer Pizar- 3

54 3 anni M.D.XLI. P : ann. M.D.X.I.I. A | Ioanni] *suspec-tum tamquam ex* Ioannis (*5.54.1*) *ortum* | in *om.* P

55 1 cognosceretur P : cognocerentur A || 2 Henaus A : Heneaus P

rum perturbauit et, cum iam se reciperet eaque animi perturbatione et confusione uacaret, se indici fidem habere negauit, propterea quod non multum temporis intercessisset quo ad se Ioannes Rada supplex uenisset eumque ipse benigo et laeto uultu excepisset atque dimisisset; eum uero indicem uelle aliquid petere et, quo magis ipsum indicio coniurationis obstringeret, ea quae
4 curioni prodidisset commentum fuisse. at nihilo tamen setius ille, cum adhuc uultu et mente paululum commotus esset, Ioannem Velaschium ad se confestim uenire iubet. sed cum hic lecto teneretur, ipse intrepide cum uno et altero comite et in his Antonio Picado praelucente funali domum Velaschii se confert iacentemque in lecto uidens 'ecquid, Velaschi,' inquit, 'hoc tempore aegrotas quo uirtute, consilio et studio tuo mihi reipublicaeque potissimum opus est? tumultus repentini per urbem concitantur, seditiones recentes conflantur et pericula non dubia in me a Chiliensibus intentantur, ut quidam spectatae fidei uir modo mihi indicauit. euigilandum erit, ut in seditiosos et coniuratos istos quam celerrime fieri poterit inquiras et seuerissime animaduer-
5 tas.' tunc Velaschius, 'non est quod timeas, dum ego hanc uirgam regiam manu tenebo; nemo enim in uniuersa Perura est qui tumultus facere, seditiones commouere et coniurationes habere audeat.' sed an hoc Velaschius quod tam audacter dixit postea praestiterit res ipsa ex fatali euentu indicabit.

3 eumque P : cumque A | ea P : eo A | fuisse A : fuisset P || 4 *signum interrogationis post* est *transposuit To., quod post* aegrotas PA *scribunt* || 5 coniurationes P : -tionis A | habere *om.* P : *add. in marg.* P[2]

Pizarrus inde domum rediit eamque noctem magna **56** cum animi perturbatione egit. multi certe in Antonio Picado rationem officii sui desiderauere prudentiamque maiorem requisiuere, ut qui praefectum et praetorem tantae socordiae atque desidiae indormientes ut quam maturrime consiliis maleuolentiaeque Chiliensium occurrerent et obsisterent et impudentiam atque audaciam improborum contunderent et conatus atque furores eorum comprimerent non excitarit. sed enim Pizarrum 2 quidam prodidere satius esse duxisse exemplo Iulii Caesaris insidias undique a Chiliensibus imminentes semel subire quam semper cauere eumque dixisse non tam sua quam reipublicae Peruranae interesse uti saluus esset, quippe cum iam animo ipse praesentiret futura mala et, se interempto, Peruram summa cum omnium pernicie ciuilia bella subituram. qui si pro dignitate 3 quam sustinebat se gessisset et nobiles Hispanos qui in Peruram ueniebant comiter ac benigne excepisset ipsisque subuenisset, nec ab se animos eorum auertisset nec se in tam exitiale malum coniecisset nec Hispanis militibus occasionem ad Didacum Almagrum confugiendi dedisset. qui alios hospitio recipere, alios blanditiis delenire, aliis uictum et uestitum dare, his pecunias numerare atque polliceri, illis praeter arma equos attribuere; Pizarrus nihil horum facere, nullam custodiendi sui 4 curam habere nec praesidiis nec uigiliis aedes munire, sed quae de coniuratione renuntiarent amici neglegere atque sine ullo satellitum numero per urbem incedere et foras ambulandi causa exire nec in eo sibi temperare,

56 1 impudentiam A : impru- P || 2 Iulii Caesaris] *cf. Suet. Iul. 86.3* | non tam ... interesse *om.* P

quo maiores occasiones ad opprimemdum ipsum coniurati haberent.

57 Qui ne rem amplius diferrent, ubi is dies illuxit quo Pizarrum praefectum trucidare in animis destinauerant, ita se comparauere atque per hospitia sua diuisere ut omnes armati signo dato audacissime inde prorumperent, sed imprimis Ioannes Rada ex Didaci Almagri hospitio, quod amplissimis Pizarri praefecti aedibus paulo plus trecentis aberat passibus, cum his militibus irrueret quos ad tam nefarium illud scelus ex omni coniuratorum numero audaciae expertae delegerat (hi autem erant Ioannes Rodericus Barraganus, Martinus Bilbaus, Henricus, Martinus Lassus, Franciscus Fontius, Bartholomaeus Arbolancha, Naruaeus, Petrus Sammillanus, Balthasar Gomezius, Petrus Porras, Martinus Carrillus, Hieronymus Almagrus, Christophorus Sosa et Ioannes
2 Guzmanus minor); deinde ut Garsias Aluaradus ex Ferdinandi Consalui domo et Didacus Mendezius ex sua cum ualida Chiliensium manu sese magno impetu inferrent Radaeque subsidio irent; praeterea ut Franciscus Chauius ex Didaci Nunezii Mercadi procuratoris regii tectis cum alio coniuratorum globo se intrepide eiceret gradumque acceleraret, ut eis suppetias ferret; postremo ut Didacus Perezius Bezerra, Alfonsus Saauedra, Petrus

57 1 comparauere P[2]A : compauere P | *post* prorumperent *sic interpunxi* : *plene distinguunt* PA | *post* delegerat *plene distinguunt* PA | hi A : hic P | (hi autem ... minor) *sic distinxi* | erant P : erat A || 2 *post* minor *ante* praeterea *et post* ferret *ita interpunxi* : *plene distinguunt* PA | ex *ante* Ferdinandi A : et P | Chauius *correxi* : Xauius PA | ex *ante* Didaci A : et P | Saauedra *correxi* : Sahauedra P : Saabedra A

Lopes Ayala et Ioannes Garsias una cum reliquis coniuratis ex Alfonsi Decii et Ioannis Alfonsi Pacensis atque Ordonii ac Montenigri hospitiis exsilientes sese in uicem incitarent aliique aliis auxilio uenirent. magna certe 3 Chiliensium turba, ut Didaci Almagri partes foueret, se Limae congregauerat, sed pauci numero erant qui rem aggredi uellent; plerique enim euentum rei taciti quidem illi ac instructi armis exspectabant nec se prodere audebant, donec Ioannes Rada, quem ad quodcumque facinus audacissimum sciebant, id tandem perficeret quod iam diu conabatur.

At Pizarrus, qui iam nimis sero a Chiliensium insi- **58** diis sibi praecauebat ac tum demum animo perturbato uitae suae prouidebat, cum iam oculis mortis periculum capiti suo imminere uideret, publico abstinuit domique rem diuinam facere iussit. quem Ioannes Velaschius praetor et Franciscus Chauius aliique equites nobilissimi officii causa, quod eo die Dominico templum maximum ille pro more suo non adiisset, sacrificio ibi rite facto, inuisere. hoc etiam honestissimi quique ciues fecere, eoque salutato, omnes abiere praeter paucos, qui ibi mansere, structisque iam cibis, mensis cum Pizarro discubuere. in his fuere Velaschius praetor, Franciscus 2 Chauius, Gomezius Luna et Franciscus Martinus Alcantarensis, qui in animo habebant et Pizarrum contra Chilienses incitare et maxime hortari ut communis salu-

Lopes P : Lopez A | Alfonsi *correxi hic et tacite semper postea* : Alphonsi PA (*et sic plerumque posthac scr. mss.*)

58 1 imminere A : immineret P | et *ante* structisque *perperam add.* A | iam P : tã A || 2 habebant A : habebatur P

tis causa coniurationi eorum iam proditae confestim ac sine mora resisteret ac periculum quod in omnes intendebatur quam celerrime propulsaret. ceterum prandium non prius finitum est nec mensae sublatae quam sol se meridie inclinauit.

59 Interim hoc tempus simul et Pizarri occupationem et ianuam amplissimarum eius aedium, quae in foro erant sitae, Ioannes Sanchius Copinus ex quadam Mercadi procuratoris regii domus fenestra haud procul ab illis, unde non secus ei omnia ac si ipse intus adesset patebant, diligenter et caute obseruabat. is, ubi ministros se in atrium recepisse conspexit et ciues ea hora quieti se dedisse intellexit, subito ex ea fenestra, ex qua perinde atque e specula quadam alta facile ab omnibus conspici poterat, linteum, sicuti inter ipsos coniuratos erat con- 2 stitutum, sustulit. hoc signum statim ut Rada accepit, primus se ex Almagri hospitio in forum eiecit et magno clamore atque impetu in aedes Pizarri praefecti irrupit. sequebantur eum milites illi quos supra rettulimus destrictis gladiis uociferantes 'moriatur tyrannus proditor, 3 qui iudicem quem rex misit obtruncare fecit'. hoc eo saepius ideo clamabant, quod uehementius ciues contra Pizarrum concitarent atque deterrerent, ne subsidio ei currerent, sed sub tectis se ipsi continerent, ut qui existimarent Radam non palam sed clam, non interdiu sed noctu, non cum paucis militibus sed cum pluribus tam ingens capitaleque facinus facturum ac ne ausurum quidem, nisi prius omnes aditus praeclusisset armatosque in praesidiis multis locis per urbem disposuisset,

59 1 e *om.* A || 3 capitaleque A : capilateque P *ut uid.* | ausurum A : usurum P

qui hinc atque inde continuo opem atque auxilium ferre laborantique subuenire aduersariosque reprimere possent. sed enim ex Chiliensibus Picon et Cabezius, 4 signo a Copino dato, iam uestibulo aedium Pizarri obequitabant et Marchena equo insidens, irruente per forum cum militibus Rada, praeibat. quos ut Antonius Nauarius tam infestis animis atque armis uenientes uidit, in eas accurrit aedes. cui Marchena 'refer e uestigio pedem,' inquit, 'Nauari, ni interfici mauis.' at ille clamans praecurrit 'uiuat rex, uiuat Pizarrus' et primum aditum atque uestibulum aedium praetergressus togam reicit, laeua inuoluit ac gladium nequiquam e uagina educit; nam illi confertim irrumpentes domo eum arrepto gladio expellunt. iam uero Rada unum aut alte- 5 rum militem destricto ac cruento gladio clamantem atque ingeminantem 'occisus est tyrannus, occisus est tyrannus!' ad ianuam hoc consilio assistere iubet, ut ciues primo Pizarrum interfectum esse audientes in tectis subsisterent, denique ut Chilienses eo clamore subito ex hospitiis excirentur impetumque, si ex liminibus prodirent, in illos facerent aditumque ad Pizarrum intercluderent ac forum occuparent, quo propius atque citius ab eis auxilium ipse haberet.

Pizarrus autem ab iis Indis qui in uestibulo domus 60 erant certior factus et id fore quod euenit suspicans Francisco Chauio imperat ut, dum ipse arma in cubiculo indueret, fores aulae clauderet ac simul cum aliis

subuenire *corr. To.* : subenire PA || 5 assistere P : asisteret A | *post* subsisterent *plene distinxerunt* PA | denique P : deinde A | liminibus P : minibus A | propius P²A : prius P

60 1 indueret A : induceret P *ut uid.*

(aderant enim ibi amplius uiginti Hispani) aditu inimi-
2 cos prohiberet. at Chauius repentino tumultu uehemen-
ter commotus obuiam coniuratis scalis iam ascendenti-
bus occurrit, quippe cum putaret se ferocitatem eorum
auctoritate sua (erat enim post Pizarrum longe princeps
ciuitatis) comprimere ac tam infestos animos sermone
delenire posse, 'ecquis' inquit, 'tumultus et seditio est
ista? cauete ne uos perditum eatis'. sed pro responso
unus ei graue uulnus punctim inflixit. ille tunc gladium
stringens, 'et amicos etiam punctim petitis?' momento-
que temporis ab illis interficitur corpusque per scalas
deuoluitur. Franciscus etiam Mendus et Petrus Fran-
cisci Chauii famuli audacter eum armis defendentes ad
3 fores aulae obtruncantur. quo quidem spectaculo tam
misero atque acerbo illi qui erant in aula perterriti salu-
tem sibi fuga, paucis exceptis, quaesiuere et ex fenestris
in hortos desiliere, sed imprimis Ioannes Velaschius
praetor, qui, ut liberas haberet manus, quibus se ex fe-
nestra demitteret, uirgam praetoriam ore traxit, ne
4 quam Pizarro dederat fidem falleret. coniurati, trucida-
to Chauio, magnis uocibus conclamantes 'moriatur ty-
rannus!' in aulam irrumpunt. eos Gomezius Luna,
Bartholomaeus Vergara, Ferdinandus Consaluus et
Franciscus Caietanus, qui in aula tantum remanserant,
ex aduerso occurrentes gladiis excipiunt acriterque resi-
stunt, sed pauci a pluribus circumueniuntur. Caietanus
occiditur, reliqui uero uulneribus paene iam confecti
5 cadunt. interim Alfonsus Maniarius, qui simul cum aliis

(aderant ... Hispani) *parenth. agnouit To.* || 2 (erat ... ciuitatis) *sic distinxit To.* | ne A : nec P || 4 conclamantes P^2A : claman-
tes P

Pizarrum se in cubiculum recipientem sequebatur, lanceas duas colligatas in conclaui uidet, eas arripit, alteram Pizarro, alteram Garsiae Scandoni dat. ipse toga circum laeuum bracchium intorta gladium destringit et Scandonem, coniuratis in ostium conclauis inuadentibus, monet ne illud aperiat. 'iam enim' inquit, 'cymbalo signum datur. uniuersa ciuitas ad necandum Pizarrum concurrit. nihil subsidii mitti, nihil remedii quaeri potest. quattuor aut quinque tantum sumus: qui tantae multitudini repugnare poterimus? omnes haud dubie cum eo interficiemur.' nihilo tamen setius Scandon ostium aperit. coniurati solito clamore atque uoce 'moriatur tyrannus!' in aduersum conclauis ostium incurrunt. illi autem incursum uix sustinent. Pizarrus uero incitato gradu cum Francisco Martino Alcantarensi et Ioanne Varga Gomezii Tordoiae filio sese in dimicationem intulit laeua manu in peltam inserta, gladio nudato et thorace quem induerat plane diducto atque recincto (neque enim fibulae, hoste in conclaue impetum dante periculoque mortis tam prope urgente, subnecti potuere) 'irrue' uociferans inquit Pizarrus, 'ferro in eos, frater. moriantur, quia proditores sunt.' is Scandoni se adiungit corpusque ad conclauis introitum pro Pizarro fratri opponit ac fortiter dimicans inimicos aditu prohibet. res collato pede geritur et lanceis, iaculis et gladiis atque animis obstinatis de uita deque imperio acerrime

6 (margin, at "moriatur"); 7 (margin, at "bet. res collato")

5 gladium P : glandium A | destringit *correxi* : dis- PA | ostium *post* in P : hos- A | Scandon ostium A : Scandom hostium P || 6 ostium A : hos- P | inserta P²A : incerta P | (neque enim ... potuere) *sic distinxi* | urgente P : urgent* A | uociferans A : uociferant P | Scandoni P : Candoni A | opponit A : opponi P

utrimque decertatur. coniurati et a fronte et ab utroque latere ferociter instant integrique et recentes defessis succedunt. at Pizarrus cum paucis quos secum habuit tantam uirtutem etiam in extrema spe salutis praestitit ut nullo hostium incursu, nullis telis e conclauis foribus 8 pelli mouerique potuerit. quo fiebat ut coniurati pugnae insisterent ueriti ne, si certamen usque ad noctem extraheretur, ciues in unum coeuntes auxilium Pizarro darent, concursuque eorum ipsi circumuenti lacerarentur. itaque multo acrius urgent, nihil remittunt impressionemque in aduersarios faciunt et Garsiam Scandonem et Franciscum Martinum Alcantarensem interficiunt. sed ipsi fortissime a Francisco Pizarro et Ioanne Varga adulescente repulsi unum aut alterum ex suis amittunt et Martinus Bilbaus graue uulnus in capite accepit. hoc coniuratos in multo impotentiorem subito rabiem accendit, ut qui rem indignissimam ducerent se non propelli modo sed etiam a duobus tantum Pizarro et Varga caedi. iam enim Maniarius se subduxerat et, ut uitae 9 suae consuleret, latebris occultauerat. ceterum illi scelere et furore inflammati et in Pizarri caede bacchantes rursus incurrunt ultimique primis in pugnam succedunt acriterque armis cum inimico confligunt. Vargas confoditur. unus ex coniuratis cadit nonnullique uulnerantur. at Pizarrus memor uirtutis atque pristinae dignitatis ita se in ultima iam spe acri animo defendit et manu decer-

7 instant P : instar A | recentes P : recentis A || 8 eorum ipsi P[2]A : *nescio quid in* P | fortissime A : fortissimi P | unum P : e nunc A *ut uid.* | impotentiorem P : in potentiorem A | indignissimam P[2]A : *nescio quid in* P || 9 furore inflammati et in Pizarri caede P : furori inflamanti, et in Parricaede A | in ultima iam P[2]A : iam in ultima P *ut uid.*

tauit adeoque hostes propulsauit ut nemo ex coniuratis, quamuis robustus et ualens esset, manum cum eo conferre auderet. quod ubi Ioannes Rada animaduertit, in- 10 census ira Naruaeum utraque manu ab tergo, ut se in eo Pizarrus impediret atque implicaret, simul impellit, simul ipse cum ceteris destrictis gladiis ostium conclauis occupat. Pizarrus uero Naruaeum prosternit et, cum se undique caesim et punctim peti uideret, pedem in cubiculum fortiter pugnando refert ibique traiecto punctim gutture procumbit. qui et uultu moribundus expressit et magna uoce proclamauit se ritu Christiano confessionem culpae et ueniam petere. sed cum iam linqui animo coepisset, sanguine e uulneribus latius manante signum crucis solo impressit, id uero osculatus acerbissimo fato cessit. ferunt Ioannem Rodericum Bar- 11 raganum immanissimum hominem, qui ex Pizarri domesticis fuerat remque eius familiarem administrauerat, urceum fictilem et aquae plenum, qui forte in eo erat cubiculo, arripuisse eumque ingenti impetu in Pizarri faciem, cum ipse digitis ori suo in crucis modum impositis more Christiano confessionem et ueniam posceret, impegisse ei clamantem 'apud inferos, apud inferos confitebere!' et digitos et faciem fregisse eoque grauissimo ictu Pizarrum animam efflauisse.

Exanimis aliquandiu iacuit, donec stragulo rubro im- **61** positum serui duo in templum maximum, quod in foro

conferre P : conserere A *fort. recte* || 10 utraque A : uraque P | simul *ante* ipse P : simulque A | coepisset P : cepi- A | manante A : manente P | fato P : facto A || 11 ei *scripsi* : et PA

61 1 aliquandiu A : aliquando P

positum est, intulerunt. quem Franciscus Abraeus iuris consultus intuens dixisse traditur: 'uidete quod praemium mundus dat: en uester Franciscus Pizarrus, maximus Perurae praefectus et Caroli V Caesaris legatus, qui tantum tamque immensum terrarum spatium lustrauit ac subegit summoque cum imperio obtinuit, ne integram quidem sepulturam habet; nam dimidium eius Franciscus Martinus Alcantarensis accipit.' hoc ideo dixit, quia corpora amborum fratrum uno et eodem tumulo contecta raptim atque turbate fuerunt.

62 Coniurati simul ac Pizarrum obtruncauere, statim ex fenestris clamauere 'occisus est tyrannus!' et eadem uerba saepe iterantes ex aedibus foras exiere. continuo fama Pizarri interfecti ad Chiliensium aures peruenit, qui quam celerrime ex hospitiis, ubi in occultis erant insidiis, prosiliunt multiplicemque ciuibus terrorem incutiunt. alii instructo agmine forum occupant, alii uias includunt armisque aditus obsident, alii concitatis equis per urbis uicos discurrentes mortem ciuibus comminantur, si quis domo egredi aut opem Pizarro ferre contenderit. 2 quo factum est ut Didacus Aguerus, Ioannes Barbaranus, Franciscus Herrera, Ioannes Perezius Gueuara et alii ciuites qui fama caedis patratae armati ex tectis, ut auxilio Pizarro essent, iam prodierant se e uestigio, ne a Chiliensibus interficerentur, recipere domos cogerentur. 3 iam uero Didacus Almagrus, Garsias Aluaradus, Didacus Mendezius et Franciscus Chauius conscensis equis clamitantes per uias 'ciuis nemo domo exeat. uiuat rex, pereant proditores!' ad forum ruunt, ibique con-

V P : Quinti A | fratrum P : fratruum A
62 2 Aguerus A : Auguerus P || 3 Chauius *correxi* : Xauius PA

sistunt et Ioannem Radam et reliquos Francisci Pizarri interfectores, qui, perpetrata caede, ex tectis eius destrictis atque cruentis gladiis egrediebantur, recipiunt. miserabilis erat tunc ciuitatis status ac fortuna, qualis 4 captarum urbium esse solet. praeibat Ioannes Rada uociferans per omnes urbis uicos nec alium ullum esse praefectum maximum nec Perurae regem quam Didacum Almagrum. sequebatur ipse Almagrus cum equitum turmis Radae succlamantium neminem hercle quemquam praeter Didacum Almagrum futurum.

Interim Ioannes Barbaranus, ciuis Trugillensis, Almagri permissu corpus Francisci Pizarri praefecti, quod paulo ante a duobus seruis in templum maximum illatum erat, tanta celeritate simul cum Francisco Martino Alcantarensi sepeliuit ut uix eo militari ornatu, quo milites Diui Iacobi uita functi insigniri solent, illud ornari potuerit. parum certe afuit quin et sepultura et iustis exsequiarum caruerit, propterea quod animus coniuratis fuerat aut corpus occisi Pizarri in Limam amnem proicere aut comburere aut ceruicibus caput abscidere paloque in foro affigere. et Barbaranus quidem magnam 2 inde laudem est consecutus, qui eam pietatem mortuo, ne ludibrio acerbissimis hostibus esset, praestitit ut humo eum contexerit et sumptu suo exsequias funeris illius celebrarit. reliqui etiam qui pro Pizarro fortiter procubuere in eodem templo terra conditi fuere. **63**

Verum enimuero Franciscus Pizarrus tam exitiali exitu quem habuit poenas luit quas ei Atabalipa princeps, **64**

perpetrata P (*ut uid.*) A : petratã P[2] || 4 Hercle P[2]A : Herde P
63 1 permissu P : permissum A | amnem A : omnem P || 2 ne P : et A | sumptu A : sumpto P | procubuere A : procubere P

priusquam occideretur, imprecatus fuerat. non enim Deus, in quo ipse firmam spem reposuerat, indignissimam eius mortem diu inultam reliquit. nemo profecto ex iis Hispanis qui insatiabili quadam auri argentique Atabalipae habendi cupiditate ducti fecerunt ut tantus rex non secus ac seruulus quidam uilissimus ad palum
2 alligatum strangularetur sua est absumptus morte. alius alio casu periit. sed princeps Franciscus Pizarrus et Didacus Almagrus haud admodum dissimili interiere leto: hic in medio foro eius urbis quam Mangi Hingae obsidione liberauerat et in ea prouincia cuius praefectus erat a Ferdinando Pizarro, Francisci fratre, ultimo supplicio affectus est; ille uero domi suae in cubiculo in ea urbe quam condiderat, cuius agros cognatis, amicis et familiaribus diuiserat eosque ex pauperrimis diuites fecerat, a Didaco Almagro, Didaci filio, eo tempore est trucidatus, quo ipse honoribus amplissimis et diuitiis maximis ornatus erat, ut qui iam summum priuati ho-
3 minis fastigium impleuisset: uniuersam Peruram sub potestate sua habebat, colonias deducebat, Indos distribuebat, praetores creabat, decuriones conscribebat, iudices et alios magistratus ciuitatibus oppidisque Perurae dabat praefectosque et centuriones cum turmis et Hispanorum cohortibus ad inquirendas lustrandasque nouas terras mittebat. et haec quidem omnia tam bello quam
4 pace non minus prudenter quam fortiter gerebat. quod sane admiratione dignum est in homine qui adeo imperitus et expers, ut etiam Didacus Almagrus, litterarum fuit ut nomen suum, quo subinde in expediendis rebus

64 1 fecerunt P : ferunt A || 3 colonias deducebat, Indos distribuebat *om.* P

bellicis et ciuilibus arduisque negotiis uti necesse erat, litteris consignare nesciret, sed inter duas notas quas ipse litteris publicis aut priuatis aut edictis regiis aliisue decretis imprimebat Antonius Picadus, cuius uirtuti tantum confidebat ut spectatissimae eius fidei omnia committeret, nomen Francisci Pizarri inscribebat. atque adeo ille suos diligebat ut nullum non uitae discrimen pro eis adire non dubitarit. nam cum forte flumen rapidissimum nomine Barrancham transiret et unum ex famulis Indis, quos anaconas uocant, ui fluminis correptum uidisset, subito ex equo desiliuit et natando Indum capillis apprehendit eumque ad aduersam ripam saluum traxit. et cum a praefectis et centurionibus reprehenderetur, quod se pro uno famulo Indo mortis periculo commisisset, tunc ille 'nescitis' inquit, 'uos quid sit amore famulum prosequi.' ciuibus etiam ita se affabilem et iucundum praestitit ut, omissa dignitatis memoria, solus eos frequenter inuiseret atque salutaret ac, si quis apud se eum in prandio acciperet uel ad cenam inuitaret, libenter discumberet. amicos uero et familiares egentes non solum subleuabat sed etiam locupletabat. plurimum enim beneficiis et munificentia excelluit et, cum multum haberet, multum etiam dabat et id ipsum, ne uulgaretur, sua manu, ut qui, sicuti de M. Catone Sallustius memoriae prodidit, esse quam uideri liberalis malebat. nam ut alia omittam, hoc certe praetereundum non existimaui: Pizarrum quodam die in ludum pilae quem domi suae habebat descendisse et laterculum aureum

(margin: 5, 6, 7)

4 commiteret A : commitaret P || 5 eumque A : eum *uel* cum P || 6 atque salutaret ... inuitaret *om.* A | Sallustius] *cf. Sal. Cat.* 54.6

pondo decem librarum sinu, ut eum militi cuidam Hispano, qui equum amiserat, sua manu daret, portauisse et, cum ibi eum non inuenisset, ne ab iis qui aderant laterculus ille conspiceretur, tunica haudquaquam se exuisse sed ea indutum amplius tres horas pila lusisse (studiosissime enim et alea et pila etiam cum infimae cuiusque sortis hominibus ludebat et laboris patientissimus erat); militem uero Hispanum post uenisse Pizarrumque ludo mox finito eum secreto ad se arcessiuisse ipsique dixisse 'miles, accipe. equidem maluissem te quadruplo donauisse quam mora tua tantum laboris lu-
8 dendo pertulisse.' qui tametsi multis lusionibus ita operam dabat ut interdum talis aut tesseris, nonnumquam pila aut eo ludo qui apud Hispanos ex duobus globulis ligneis et decem paxillis constat totum diem duceret, tamen, si quis tumultus Indorum et rebellio fieret, repente ludum incidebat et arreptis armis neminem exspectans eo per urbem currebat nec inde discedebat, donec Indos tumultuantes atque rebellantes comprime-
9 ret. tantum ille animi, tantum roboris habebat atque adeo certaminum Indicorum expertus erat ut solus inuadere centum Indos armatos non ambigeret. quod cum alibi Pizarrus sub ducibus Alfonso Hoieda et Bascho Nunio Balboa et Petro Aria Abulensi animose et strenue fecit, tum maxime in Perura, in qua se fortissimum pugnatorem praestitit, etiamsi eam regionem ingrauescente iam aetate aggressus fuerit. qui in exploranda

7 inuenisset A : inuenisse P | (studiosissime ... erat) *sic distinxi* | alea P : alia A | Pizarrumque A : Paza- P || 8 eo *ante* ludo P : *duae litterae quae legi non possunt in* A || 9 Bascho *correxi* : Blasco A : Balscho P | aggressus P : egressus A

Perura atque subigenda longe maiores terra marique labores excepit ac multo plura quam Didacus Almagrus pericula subiit. magnum autem Caroli V Caesaris 10 nomen, qui illustribus eum titulis ornauerat et in militum Diui Iacobi numerum ascripserat praefectumque Nouae Castellae creauerat, in summo semper habuit honore. qui ita eximie eum coluit atque suspexit ut, quamuis Peruram cum imperio haberet, tamen multis rebus quas decernere, dare et concedere poterat ideo abstinuit, ne Caesar diceret Pizarrum se in Perura supra uires extendisse. itaque omnibus ille neruis contendebat ut in laude et gratia cum Caesare esset. at uero 11 imprimis, quo gratissimum ei faceret, maximam curam, diligentiam et studium non ad conseruanda solum uectigalia regia, sed augenda etiam adhibebat. et cum frequenter ad conflaturas iret, ex sella surgebat, ut ramenta auri uel argenti quae ex sectione decidebant, dum ex uno aut altero metallo quinta pars, quae Caesari uectigalis nomine penderetur, caelo incidebatur, sua manu colligeret dicens bona regia, si alia re aggeri non possent, certe ore colligi debere. accedit eo quod Peruram maxime excoluit municipiisque et colonis compleuit et ut agri ubique colerentur fecit, quo magis uectigalia regia in pace niterent et in bello non obsolescerent nec abrumperentur. Ciuitatem etiam Regum publicis et 12 egregiis operibus adornauit. templum maximum in foro fecit et in aliis urbis locis duo monasteria, alterum diuae Virginis Mariae cognomine Redemptionis Captiuorum, alterum diui Dominici exstruxit, quibus Indos attribuit,

10 V P : Quinti A || 11 sectione P : fectione A | alia A : alta P | Peruram A : Perura P | obsolescerent A : abso- P

unde monachi alerentur et aedificia reficerentur. domum etiam amplam et magnificam in eodem urbis foro aedificauit et molas frumentarias exstructis molibus in Lima flumine posuit. nec minus studium in ornandis coloniis quas ipse deduxerat Pizarrus collocauit et Hispanos factionis suae atque eos praesertim qui urbem Limam incolebant beneficiis ac liberalitate est prosecu-
13 tus. qui licet pronus in libidines foret, tamen, ne ciues offenderet, matronis et puellis Hispanis abstinuit. ceterum ex concubinis Indis eam quae Atabalipae principis soror fuit maxime dilexit, ex qua Consaluum, qui puer decessit, et Franciscam, quae postea Ferdinando Pizarro patruo in Hispania nupsit, et Franciscum ex quadam
14 nobili Inda Cuschana suscepit. sed et hoc in eo laude dignum, quod in altissimo gradu positus numquam habitum uestis, nisi diebus tantum festis et solemnibus, mutauit, quibus, urgentibus etiam amicis, insignem uestem et eam quidem ex pellibus mardurinis constantem, quam Ferdinandus Cortesius ei dono ex Noua miserat Hispania, gerebat eamque confestim ac domum a templo rediret, ut maneret tunicatus, exuebat. tunica enim talari more Hispanorum prisco et toga fusa ex panno nigro induebatur gladioque et pugione accingebatur galeroque albo, quod ita Ferdinandum Consaluum Cordubensem Magnum Ducem cultum incessisse accepisset, et calceis albis ex pelle ceruina utebatur.

13 Franciscum A : -cisco P || 14 et *ante* hoc A : ex P | et *ante* eam A : ut P | mardurinis] *cf. Du Cange, Glossarium mediae et infimae latinitatis, s.u. 'martures'* | accepisset A : accepisse P | albis P *(p.corr.)* : albeis A *(p.corr.)*

Ceterum Franciscus Pizarrus in tantis fortunae et dig- **65** nitatis accessionibus, in tam immensis diuitiis atque opibus quas possedit nulla spe, nullo posteritatis fructu duci uidebatur. non enim domum, non fortunas, non possessiones, quibus nomen suum in memoria posteris esset, reliquit. sed nec ipse quidem Didacus Almagrus ullam posteritatis rationem habuit. in quo eadem prope animi, corporis, fortunae ornamenta atque in Pizarro fuere. at ille, tametsi in uoluptatibus magis continens 2 erat, tamen in honoribus petendis multo ambitiosior quam Pizarrus habebatur, ut qui summo in imperio esse, opulentissimas praefecturas gerere, maximum exercitum ducere exoptaret. ad haec in animum induxerat nihil denegare, munifice praedas largiri, omni tempore ac loco Hispanos adiuuare atque ita demum largitione militum animos redimere ut ea, quo magis ipsos sibi obstringeret, palam proferretur in omniumque notitiam ueniret, quippe et esse et haberi largus ac liberalis uolebat. qui quantum temporis a bellis Indicis uacabat, tantum amplificandae potius rei familiari quam aleae aut pilae impendebat. iam uero tam Pizarrus quam Alma- 3 grus ea indignissima fuere fortuna ut, cum tantum auri et argenti facti atque infecti haberent, etiamsi cottidiana paene largitione multum consumerent, quantum multis ante saeculis nullus principum sibi comparauisset, tamen, cum ad extrema uentum foret, non ab iis modo, in quos tot tantaque beneficia contulerant, relicti fuere sed in tam ingenti auri argentique ui ne uasculum quidem minutum, quo iusta funebria soluerentur, in

65 1 reliquit A : reliqui P || 2 gerere A : gereret P | redimere A : redimeret P || 3 ea A : ea *uel* eo P | iusta A : iuxta P

4 utriusque domo inuentum est. amplissimae enim et maximae utriusque fortunae et opes sanguine inuentae momento temporis euersae atque raptae fuere: in has Pachacamenses, Almagro Cuschi capto atque interfecto, inuasere; in illas Chilienses, Pizarro Limae trucidato, impetum fecere. qui, ut supra memoraui, Ioanne Rada duce urbem peruagantes nihil non foedum atque indignum commisere.

66 Erat tunc in urbe silentium triste ac maestitia tacita, quae ita animos omnium defixit ut prae metu obliti quid dicerent aut quid agerent, auxilio consilioque deficiente, plane nescirent. sed cum conspicerent aurum, argentum, gemmas, equos, arma et pretiosissima quaeque rerum suarum rapi, mutua inter ipsos ciues erat miseratio uocesque etiam miserabiles exaudiebantur Chiliensesque domos per uim intrantes atque diripientes
2 lamentabilis mulierum comploratio excipiebat. ex his Agnes, nobilissima femina et Francisci Alcantarensis interfecti uxor, magna uoce inclamans 'proditores, me necate, qui meum bonum necauistis.' 'mentiris,' inquit Franciscus Peccius, 'meretrix uetula. nemo ex Pizarris est hoc die superfuturus.' subiunxit mox Barraganus 'iam tyrannus est occisus.' cui Agnes, 'cur tam immane
3 scelus patrasti? interfice me, saeuissime proditor.' tunc

4 amplissimae A : ampissimae P | maximae *correxi* : maxime PA

66 1 quid *ante* dicerent *perperam om. To. (cf. Liu. 1.29.3)* | auxilio A : axilio P || 2 meum PA : mecum *To.* | Peccius *sic in hoc libro semper correxi, cf. e.g. 6.34.4, 7.1.3 et Calu. Vacc. XXXV*[r] : Pezius PA (*quod posthac silentio praetermittam*) | immane P : immensae A

ille, 'non interficio mulieres. sum equidem Ioannes Rodericus Barraganus ualens et robustus. testor Deum neminem qui me iniuria affecerit impune abiisse. nam in istius rustici et subulci Francisci Pizarri faciem, quod me semel tantum offendit, urceum fictilem impegi, os et dentes atque oculos fregi eoque grauissimo ictu ipsum obtruncaui. quae, malum, ista est insolentia Didaci Almagri adulescentuli? inimicum eius interfeci, mortem Almagri patris uindicaui eumque dominum ac regem Perurae imposui.' hoc Barraganum idcirco dixisse tradunt, quod propalam et grauiter quereretur Didacum Almagrum adulescentem eius beneficii nec gratum nec memorem esse inquissimeque ille ferret se non tanti apud eum esse quanti caede Pizarri perpetrata futurum sperauerat. 4

Quin etiam homo improbissimus magna uerborum contumelia ipsum mortuum insectabatur; nunc rusticum nunc subulcum, quamquam hoc non adeo contumeliose, appellabat; nam Franciscus Lopaeus Gomarensis est auctor Pizarrum Trugilli, quam Turrem Iuliam nonnulli esse uolunt, natum et ut incertae stirpis ad templi fores expositum et, cum nulla ei nutrix ubera praebere uellet, suem quandam submissas infanti adeo mitem per aliquot dies praebuisse mammas ut pro miraculo haberetur, donec Consaluus Pizarrus eum paruum adhuc et lactantem agnouit educarique iussit; deinde puerum a Consaluo patre custodem gregi porcorum impositum atque ideo nescium litterarum fuisse; ac de- **67** 2

3 fregi A : fregit P | ista est A : est ista P | interfeci *corr. To.* : interfici PA | imposui A : imposuit P || 4 se A : sed P
67 1 summissas ... mitem] *cf. Liu. 1.4.6*

mum, cum porci quodam die in pascuis asilo exterriti atque correpti diffugissent, ipsum etiam, amissis porcis quos pascebat, metu patris Hispalim profugisse indeque in Hispaniolam insulam ac post in Vrabam traiecisse.

68 At uero Chilienses cum nullum direptioni et uexationi ciuium finem facerent, domos quoque Francisci Pizarri et Francisci Martini Alcantarensis et Antonii Picadi ita diripuere atque omnia expilauere ut ne clauum quidem ferreum in pariete fixum reliquerint. nauibus etiam quae in portu erant gubernacula et uela detrahunt eaque in urbem adducunt et, ne ex portu educi possent, 2 praesidiis custodiisque eum muniunt. complures etiam tunc ciues in periculo fuere ne interficerentur, sed cum alii tum maxime Ioannes Perezius Gueuara, quem, nisi arma confestim tradidisset, Garsias Aluaradus iugulasset, et Antonius Nauarius, quem Martinus Bilbaus in eum irruens et clamans 'adhuc, Nauari, hic subsistis?' occidisset, ni Ioannes Rada audacter obstitisset atque eum protexisset, cui etiam gladium quem Christophorus Sosa abstulerat reddi fecit, sed ille non multo post, ni 3 se gladio defendisset, necatus a Velaschio fuisset. quin etiam Franciscus Peccius, nulla sacrosancti dominici corporis sacramenti ratione prorsus habita, quod ad Gomezium Lunam deferebatur, qui propter mortifera uulnera extremum paene spiritum ducebat, Nauarium simul cum sacerdotibus religionis causa euntem, ni propere se in templum recepisset, morte mactauisset.

68 1 atque omnia expilauere *om.* P : atque expilauere *add. in marg.* P[2] | ne A : nec P | reliquerint A : relinquerint P || 2 quẽ A : qu* P | iugulasset A : iuga- P | eum *ante* protexisset P (*ut uid.*) : cum A

nec minore in periculo Alfonsus Palominus et Ioannes Barrius fuere, qui in ea tunc urbe magistratum habebant. et hercle eo saeuitiae et furoris Chilienses processerant ut nemo iam ciuium in foro aut publico loco appareret, at domibus inclusi urbis occasum cum suo exitio in horas exspectabant, propterea quod uidebant nihil aliud Chilienses quam caedes, incendia, rapinas, spoliationes cogitare nullaque re tam effrenatam cupiditatem explere nec tam nefariam crudelitatem saturare, etiamsi magnum auri argentique pondus praeter equos et arma ex ciuium tectis iam abstulissent. nam tum praedae crudelissime ex Francisci Pizarri fortunis ab eis captae, tum rapinae ex Francisci Martini Alcantarensis aedibus factae, hae praeter Franciscae Pizarrae Francisci filiae scriniolum monilibus, armillis, inauribus et id genus ornamentis aureis et smaragdis aliisque gemmis atque unionibus refertum quindecim aureorum milibus, illae uero centum milibus sunt aestimatae, praeterea et quae illi ex Antonii Picadi domo rapuerunt sexaginta milia et quae ab ipsis ciuibus apertissime compilauerunt centum et triginta milia excesserunt. quae summa amplius milia aureorum trecenta colligit. ex qua direptione ingens auri, argenti gemmarumque uis ad Didacum Almagrum peruenit. qui ut primum urbem diripuit, eo die et in domum et in hortos Francisci Pizarri immigrauit atque in ea sedem et priuatum carcerem habuit, deinde Chiliensibus pro libidine sua in hospitia diuisit, post Ioannem Velaschium praetorem et Alfonsum Palo-

3 Ioannes A : Ioannis P | in *ante* ea *om.* P || 5 hae P : haec A | Francisci filiae] F.F. PA | atque *ante* unionibus A : at P | excesserunt ... milia *om.* A

minum et Ioannem Barrium ciuilium capitaliumque rerum iudices capi et in carcerem tradi imperauit eosque magistratu abire coegit. comprehensi etiam et in uincula coniecti fuere Guilielmus Xuaraeus Caruaialis Caesaris procurator, Benedictus Caruaialis iuris consultus eius frater, Didacus Aguerus ac nonnulli senatores.

69 Quin et Ioannes Rada senatum uocare propalamque minari iubet, nisi extemplo ad Didacum Almagrum uenirent, se circa domos eorum cum militum manu iturum et in publicum omnes ui extracturum esse. is autem timor frequentem senatum Almagro praebuit. illi uero qui in custodia erant ex ea educti atque omnes minis compulsi Didacum Almagrum praefectum maxi- 2 mum Perurae appellant. qui statim ut praefectus est renuntiatus, Christophorum Sotellum contra senatus populique Limensis uoluntatem praetorem creauit, Petrum Onnatium statorem maximum fecit et Franciscum Peccium et Martinum Carrillum rerum ciuilium ac capitalium iudices constituit. itaque Didacus Almagrus, cum maiestatem nominis Caesaris laesisset, magistratus et senatum in carcerem coniecisset, bona et fortunas ciuium diripuisset, se insequenti die per praeconem inuito senatu, inuitis ciuibus, per fora, per omnes urbis uicos ritu solemni praefectum maximum Perurae pronuntiari 3 fecit. nullum ius, nullum decretum, quo Caesar ei decerneret prouinciam, habuit, sed hoc uno tantum prae-

6 Guilielmus A : Gil- P | Xuaraeus A : Xaureus P

69 1 in *ante* custodia *om.* P | appellant P : appellaret A || 2 Carrillum A : Currillum P | cum *ante* maiestatem *om.* P : *add.* P² | fortunas A : fortuna P | praeconem P : Praetorem A | ritu A : rictu P || 3 hoc *om.* P : *add.* P²

textu ius usurpauit, quo Perurae imperio potiri posset, ut qui diceret Didacum Almagrum patrem suum, cum Peruram exploraret atque armis subigeret, cum Caesare transegisse atque ab eo in beneficii loco petiisse idque impetrasse ut uiuens praefecturam Noui Toleti obtineret ac post ut in eius locum Didacus Almagrus filius sufficeretur aut quem ille ipse Almagrus pater moriens nominaret. itaque Didacus Almagrus filius, cum nullum 4 decretum haberet quod sine scelere proferre posset, regnum tyrannidemque post Franciscum Pizarrum interfectum affectauit, Peruram ui et armis occupauit, nutus suos pro Caesaris decretis, pro senatus iussis esse uoluit. nihil enim pensi nec sancti habuit, dum regnum sibi pareret bonaque uiuorum ac mortuorum expilaret et, quo sibi magis Chilienses obstringeret, licentiam faciendi quaecumque liberet eis permisit. qui nihil non 5 facinoris taetri, crudelis, nefarii, tyrannici in Perura patrabant, sed in eos praesertim multa magnaque scelera committebant incautosque opprimebant quos Caesari fortissimos fidelissimosque fore sciebant partesque eius constanter ac fortiter defensuros atque tutaturos esse credebant. etenim cum alii praefecti et centuriones in 6 Caesaris amicos et Pizarri familiares et propinquos acerbe saeuiebant, tum Ioannes Rada omnibus horis atrociter et tyrannice quidem aliquid in eos statuebat. nam per uiatorem Ioannem Alfonsum Pacensem ad se arcessiri iussit. is sine mora in aedes Pizarri, ubi Alma-

Noui *corr. To.* : Nouae PA || 4 nec P : neque A || 5 nihil non A : nihilum P : nihilum non P[2] | Caesari *leg. To.* : Caesaris *uel* Caesari A : Caesaris P || 6 tum P : tunc A | accersiri A : acersere *uel* acerseri P

grus coegerat senatum, uenit. cui Rada 'sponde' inquit, 'pro Christophoro Sotello. nam senatus te pro eo uadem accipit.' at ille, cum ei repugnare non auderet, se pro Sotello sponsorem esse dixit et uadimonium promi-
7 sit. et Sotellus quidem ab eo die et Onnatius et Peccius et Carrillus magistratus loco praedae acceperunt. quos in ea urbe per septem menses ita gesserunt ut scelera sceleribus cumularint: multos iniuriis, ignominiis, incommodis affecerunt; multos uinculis, uerberibus, exitio, morte multarunt; ciues ita expilarunt ut non modo non arma nec equos, quibus se ipsos aduersus Indos rebelles tuerentur atque defenderent, sed ne pilum quidem reliquerint.

70 Ceterum eodem die illi, quo magistratus iniere, Antonium Picadum Francisci Pizarri scribam ex Alfonsi Richelmi praefecti aerarii domo, ubi ipse latebat, ui extraxerunt eumque ad Didacum Almagrum deduxerunt. is Picado minitatur se omni supplicio eum interfecturum, ni confestim edicta et decreta Caesaris ac litteras tam publicas quam priuatas diurnasque actorum scripturas exhiberet, tum praeterea commissa enuntiaret, secreta detegeret occultissimasque Francisci Pizarri res
2 aperiret et palam proferret. negat ille se arcana prodituгum et quod peteret facturum. Almagrus uehementer commotus Picadum arripi, in Martini Carrilli iudicis hospitium trahi ibique in carcerem includi iubet. grauissime accusatur nec ciuium quisquam ipsum defendere audet. omni supplicii genere excruciatur. qui cum tor-

dixit A : dicit P || 7 Onnatius *correxi, cf. 5.69.2* : Onnazius PA | reliquerint A : relinquerint P
70 1 edicta P²A : edita P

mentorum uim perferre non posset, coactus est quidquid saeuissimi iudices uellent confiteri. itaque homo innocentissimus capitis condemnatur ac postero die e carcere producitur et maxima uoce praeconis per uicos, per ora hominum traductus in foro ad palum deligatur et crudelissime necatur.

71 Huic ultimae Antonii Picadi poenae Antonius Orihuela Salmanticensis superuenit, qui pridie uesperi ex Hispania, in quam cum Ferdinando Pizarro traiecerat, infausto quidem omine Limam redierat. 2 is ubi Picadum tanta cum ignominia et dedecore occisum uidit, non dubitauit palam dicere iniquissime eos facere, qui crudelissima morte Hispanos imperio potestatique Caroli V Caesaris subiectos et Francisci Pizarri domesticos ac familiares mactarent, atque eos plane tyrannos et proditores esse qui tam detestabilia scelera et tam manifesta flagitia in Deum, in Caesarem et in homines committerent. 3 uixdum Orihuela haec ediderat, cum iudices rerum capitalium eum repente corripi et in carcerem duci ac postridie, quod seditionem concitauisset, in foro securi percuti iubent. insequenti autem die Antonius Orihuela ad extremum supplicium praecone de more praeeunte ac ipsum seditionem et discordiam in Ciuitatem Regum induxisse per uias falso pronuntiante trahitur. 4 qui tametsi apud illos nihil proficere arbitrabatur, tamen, ubi ad forum uentum est, uultu interrito et longissime hoc a uero quod sibi in criminis loco obicere-

2 ora P : hora A | deligatur P : deligaretur A
71 1 Orihuela A : Oribuela P | Salmanticensis P[2]A : Salmaticensis P || 3 uix dum A : uix cum P || 4 in criminis P : incrimis A

tur abesse protulit et iudices praeter omnem aequitatem atque religionem facturos nec impune laturos, si crimine seditionis insontem ac sacris initiatum obtruncarent, fir-
5 missime asseuerauit. 'atqui certe,' inquit Onnatius, 'apparitor, hoc de te transactum est neque iam prouocari potest. carnifex, de Antonio Orihuela insonte et sacris initiato supplicium sume et ceruicibus caput abscide.' ciues uero qui aderant infelicissimi iuuenis miserabilem casum grauiter accipientes oculos a tanta spectaculi acerbitate auertere.

72 Iam primum omnium Didacus Almagrus, Picado et Orihuela in foro caesis, quo magis Hispanos ad se attraheret atque alliceret, circummissis praeconibus pronuntiari iubet Didacum Almagrum praefectum Perurae maximum et his qui in se officiosi non fuissent et illis qui pro Ferdinando Pizarro ad Salinas in Didacum Almagrum patrem pugnauissent clademque ei contulissent iniurias et malefacta condonare et poenam remittere, dummodo in reliquum tempus omnes suspiciones ui-
2 tent. deinde edicit ne quis ex factione Pachacamensi gladio et pugione accinctus aut aliis armis instructus, ni ultima pati uellet, in publicum egrederetur. postremo ipse per nuntios quid in Ciuitate Regum actum esset Hispanos qui in coloniis et municipiis Perurae erant, praesertim eos quos amicos ac pernecessarios Almagri
3 patris fuisse sciebat, certiores facit. tum denique se sine ulla senatus populique Limensis repulsa praefectum

5 *uirgulam, quam* PA *ad* inquit *ponunt, post* Onnatius *transposui* | Onnatius P : -zius A | spectaculi acerbitate P : spectaculia cerbitate A

72 1 Didacus P : Didi*ens A

maximum Perurae factum atque appellatum. monet etiam litteris ne contra atque imperet facerent neue imperium abnuerent, sed auctoritatem eius senatus sequerentur atque exemplum imitarentur.

73 Ciuitates autem et oppida omnia Perurae partim metu, partim minis, Chiliensibus etiam nitentibus, imperium Almagri praeter Quitum et Chaxapoias accepere. quae res magnos discordesque motus reipublicae Peruranae attulit. 2 sed enim, antequam Almagrus nuntios cum litteris, edictis et mandatis in urbes et oppida Perurae mitteret, iam fama de interitu Francisci Pizarri praefecti fines imperii Perurani peragrauerat et ad Christophori Vaccae Castri aures, quem ualetudinem ex ueteri periculosoque morbo confirmantem Popaiani reliquimus, peruenerat. multa enim illic de oppresso Pizarro cottidie audiebantur, sed adhuc sine capite, sine auctore, nuntio tantum rumore. 3 is enim cum increbresceret et Popaianam peruaderet, Castrus, qui octauum iam diem propter infirmitatem ualetudinis Popaiani tenebatur quominus reliquum iter in Peruram conficere posset, litteras ab urbe Quito allatas accepit, ex quibus eadem prope cognouit ac rumor pertulerat.

74 Ceterum quamuis id ipsum Castrus certum non haberet, tamen ad Sebastianum Benalcazarem praefectum, qui eodem tempore Cali erat, sua manu scripsit rumores de Francisci Pizarri praefecti caede et de Chiliensium defectione ac scelere et eos quidem satis constantes perferri; nihil tamen certi ea de re haberi; interim se ad iter compararet, dum alteras litteras ab se exspectaret,

73 1 Chaxapoias *correxi, cf. e.g. 6.4.1* : Caxa- PA
74 1 sua A : et sua P | Praefecti caede A : caede Praefecti P

ut, si necessitas urgeret, Caesari opem et operam in reciperandis Perurae prouinciis, ut par erat, praestaret.
2 Benalcazar ad ea respondit se rebus Caesaris fauturum et ea quae imperaret facturum. nec ita multo post Laurentius Aldana eques Trugillanus, Quiti praetor, primus Hispanorum ad Castrum Popaianum uenit. is omnia quae Chilienses Limae patrauissent summa fide ipsi rettulit. eadem etiam Antonius Decius, Alfonsus Arguellus, Ioannes Valdiuiessus et Alfonsus Ordasius Biatiensis ex Perura in eam se recipientes urbem renuntiauere.
3 et hi quidem omnes hortari et monere Christophorum Vaccam Castrum non desistebant ut Calim reuerteretur, ibi se curaret et plane confirmaret et, cum commode posset, Panamam e Bonae Venturae portu renauigaret, ubi multo facilius quam in Perura aes alienum contrahere, milites conscribere, equos et arma coemere, commeatus expedire, classem instruere ac demum omnia quae ad apparatum belli recipiendamque Peruram ne-
4 cessaria forent conquirere posset; sed ea ipsa unde in Perura conflari et comparari queant se prorsus nescire ac ne intellegere quidem, propterea quod omnes prope ciuitates et oppida Perurae sub Didaci Almagri imperio essent; eum copias Hispanorum militum armis et equis instructas sub signis habere bellumque nefarium contra aras et focos, contra uitam fortunasque nostras, contra Caesarem et patriam non comparare sed gerere ac profligatissimos et perditissimos quosque spe praedae ac
5 rapinarum undique ad eum concurrere; nihil praeter-

2 Laurentius A : -retius P | Valdiuiessus P : -esus A | Alfonsus *ante* Ordasius *perperam, cf. 6.10.2 et García 74* | Ordasius *correxi, cf. 6.10.2* : Hordasius A : Hordatius P || 4 intelligere A : intteligeret P

mitti a duce aut a militibus quod in alterius factionis Hispanos et Indos non edatur; domus ipsorum diripiuntur, equi, arma, uestimenta, pecuniae auferuntur ac ne sacrorum quidem spoliatione abstinetur; uix unum aut alterum ex aduersae partis principibus esse qui pro Caesare, pro patriae salute sese Didaco Almagro obicere et opponere audeat; nec se denique dubitare quin iuuenis atrocissimus, simul atque de Vaccae Castri in Peruram aduentu nuntiaretur, obuiam uenturus esset ipsumque imparatum aggressurus; 6 proinde Castrum commodo Caesaris reipublicaeque facturum, si ad tempus consilium caperet Panamamque remearet, ut sibi suisque prospiceret rebusque Peruranis prouideret.

75 At Castrus nulla re territus, nec quod incommoda tunc ualetudine impediretur nec quod omnium rerum plane egenus esset, pauca in eam sententiam dixit, quare negotio desistere non posset: iam se apud animum statuisse non retro regrediendum sed ultra progrediendum esse; hoc Caesarem, quem oculis cerneret, imperare; tum demum se in tanta rerum omnium desperatione facturum quod e republica fideque sua duceret, eamque spem communis salutis et dignitatis suae in summo Deo ita collocauisse ut pro certo haberet et se hostes Caesaris atque reipublicae profligaturum et Peruranas Cuschanasque prouincias reciperaturum; 2 abicerent modo ipsi timorem et se erigerent atque confirmarent; sed et hoc sibi persuaderent, Didacum Almagrum et Chilienses, quod sacrilegi, raptores, interfectores et proditores patriae essent, audito nomine regio animis uiribusque defecturos et suorum scelerum Caesari et reipublicae poenas daturos; itaque magno fortique animo profectionem parare inciperent; iam se post unum et alterum diem constituisse iter coeptum cum eo comitatu paruo qui supererat in Peruram intendere.

76 Castrus postquam Hispanorum animos uerbis confirmauit, Sebastianum Benalcazarem praefectum per litteras certiorem fecit Franciscum Pizarrum praefectum a Didaco Almagro sine dubio interfectum esse, Limam direptam, Peruram ita armis occupatam ut omnia in potestate illius essent; itaque daret operam ut quam celerrime fieri posset ualidam Hispanorum manum Popaianum duceret; quod si ipse ab ea urbe iam discessisset, 2 in itinere consequeretur. Laurentius etiam Aldana ea de re ad Christophorum Pennam Veraguae praefectum scripsit, ut sine mora ad Castrum in Peruram ueniret, quo Caesari uirtutem et operam suam in re militari praestaret. sed is, cum per idem tempus ad sinum Matthaei, qui sub fluminis nomine Sancti Ioannis praefectura continetur, quam Paschalis Andagoia praefectus tunc administrabat, coloniam deduceret, officium Caesari at- 3 que reipublicae praestare non potuit. at Castrus, cum in celeritate rem positam uideret, Popaiano sine militibus, sine equis, sine ullo apparatu belli, Aldana, Valdiuiesso et aliis tantum quos memoraui Hispanis offici causa eum prosequentibus, Quitum est profectus.

77 Nec dubium est, si ipse Panamam repetiisset, quin Didacus Almagrus omnes Hispanos qui in Perura erant tum cohortationibus, tum pollicitationibus, tum minis in partes suas traxisset atque ea Perurae regna in potestate sua habuisset. nam et Alfonsum Aluaradum, qui Chaxapoias in Caesaris fide retinebat, et Petrum Aluarum Holguinum, qui pro Caesare Cuschi signa extule-

76 1 uerbis P : urbis A | Sebastianum Benalcazarem A : Sebastianus Benalcazerem P | discessisset *corr. To.* : dicessisset PA || 2 per idem P[2]A : per*** P

rat, facile fudisset; tum praeterea firmissimis praesidiis 2
et classibus tam terra quam mari Peruram muniuisset
aditusque ita praeclusisset ut non modo non capi, sed
ne adiri quidem ea prouincia potuisset, unde Caesar
magna incommoda atque detrimenta accepisset, quippe
qui praeter immensos labores summasque difficultates
durissimo periculosissimoque bello et longo quidem
tempore Peruranas Cuschanasque prouincias recepisset.
ceterum tantum Didaci Almagri furorem Castrus admi- 3
rabili incredibilique constantia et firmitate animi singu-
larique prudentia cum rebus asperis tum maxime iam
deploratis a reipublicae pernicie auertit hostesque a po-
puli Perurani ceruicibus reppulit ac fugauit et Alfon-
sum Aluaradum et Petrum Aluarum Holguinum ad-
uentu suo confirmauit et ipsorum animos erexit. nec
infirmitas corporis nec imbecillitas uirium eum tenuit,
quominus die profectioni constituto iter in Peruram fa-
ceret.

Erat tunc hibernum tempus. magni et assidui imbres **78**
cadebant, quibus flumina aucta praesertim niue ex om-
nibus montibus proluente difficulter atque aegre transiri
poterant. tum autem quam plurimae ualles et arboribus
condensae Castro erant transcendendae et immensa
montium iuga superanda, quae itinera difficilia atque
angusta excipiebant. haec uiarum difficultas ipsum tarda- 2
bat atque eo magis quod nonnumquam saxa praerupta
iter impediebant ac, si quid itineris campestris inter-
cederet, rursus loca aspera et montosa haud magno spatio
interiecto frequenter subeunda erant. sed ille excellenti
animi magnitudine continentique labore omnia superauit
ac uiam processit.

Sunt in eo itinere dextra laeuaque ualles fertilissimae **79**
et regiones cultoribus refertissimae, sed imprimis ad or-
tum Guambia et Guanca, deinde multae uariaeque In-

dorum gentes et populi, qui Maluasam, Polyndaram, Palacem, Tembium et Colacam incolunt, post Coconuci populi ad radices Andium montium positi, unde Gran-
2 dis amnis exoritur, et oppidum Cotara. hic in summis iugis permulti crateres patent, quos Volcanos accolae uocant, qui interdum fumum, interdum fauillas euomunt ac nonnulli ex his aquam calidam emittunt, ex
3 qua sal conficitur. ultra ad austrum Guanaca regio. mox ad eurum sunt Paecenses siti, qui multa detrimenta Hispanis intulere multosque eorum interfecere. hi ceteris Popaianae prouinciae Indis robore et uiribus praestant eosque in praefectos sibi eligunt quos uirtute bellica plurimum excellere compertum habent; his potissimum parent. hastis longis ex palma et telis missilibus utuntur saxaque ingentia ex iugis in hostes deuoluunt. arduos enim montes accolunt et in uallibus ipsorum, quibus amnes fluunt, sementes faciunt. sed et hi, ut plerique Popaianae Indi, carnibus humanis uescuntur. quos tandem Sebastianus Benalcazar praefectus magna clade illa-
4 ta edomuit. post Guachicon et aliae regiones compluresque Indorum pagi sequuntur. Cochesquium uero oppidum et fluuius Iunctius ad austrum spectant et ingens Mastellorum regio et Patia gens et uallis amoenissima. iam uero regiones Bamba et ea quae Chapanchita
5 appellatur in occasum uergunt. et hae quidem Indorum gentes atque nationes nec templa nec aras nec ritus sacrorum habent. defunctos aut reuiuiscere aut animas

79 1 qui *om.* P | Maluasam *correxi coll. Cieza 383a* : Maluasiam PA || 2 calidam P : catidam A *ut uid.* || 3 Paecenses P (*cf. Cieza 384a*) : Paccenses A || 4 Chapanchita P (*cf. Cieza 384b*) : Chanpachita A

ipsorum in corpora infantium nascentium transire credunt. ominibus et ueneficiis maxime sunt dediti. cum manibus infernis colloquuntur, quorum consiliis omnes domi bellique gerunt. dynastas uero et principes uita functos non aliter atque in Perura cum uxoribus uiuis aliisque feminis et magna cibi potionisque copia et auri argentique ui in sepulcris condunt. sunt et in Popaiana Indi qui eos aut comburunt aut tostos igne sepeliunt.

Ceterum in Patia ualle ii inhabitant populi, quibus **80** Hispani nomen Salis dedere, et auro abundant et cum Chapanchitanis et Mastellis finitimis (longe enim lateque hi protenduntur) commercia faciunt maximeque exercent. his proximi sunt Abadii, Hisancalenses et Panganenses ac multi uariique populi qui aliis aliisque praediti nominibus et moribus Pasti dicuntur. his contermini sunt Quillacingae, quorum nomine Mocondini, Bexendini et alii populi continentur. est apud hos in 2 altissimi cuiusdam montis cacumine lacus aquae natura usque adeo frigidae ut, quamuis in longitudinem milia passuum triginta duo et in latitudinem sedecim extendatur, tamen nec pisces nec aues gignit nec terra eum proxime ambiens milium nec ullam arborem producit. Pastorum autem et Quillacingarum habitus moresque dissimiles. hi proceri et corpore ingentes et bellicosi at- 3 que anthropophagi sunt; illi humiles, parui, deformes et

5 infantium P : -tum A | ominibus P : hominibus A | ueneficiis A : beneficiis P

80 1 (longe ... protenduntur) *sic distinxi* | Hisancalenses *correxi coll. Cieza 385a* : Hisacalenses PA | Mocondini A (*cf. Cieza 385a*) : Moncondini P || 2 in *ante* longitudinem *om.* A || 3 illi humiles ... phthirophagi *om.* P : *add. in marg.* P[2]

horridi abiectique et nimis sordidi planeque phthiropha-
gi. pars prope seminudi agunt, pars tunicis ex herbis aut
ex arborum corticibus aut ex lino xylino confectis genu-
4 um tenus uestiuntur. et tam Pasti quam Quillacingae
secreta colloquia cum cacodaemone serunt, quae mox in
omnium perniciem erumpunt. is ingenti magnitudine,
nigro colore, taetro uisu, horrendo nomine se frequen-
ter Quillacingis obuium dat eisque persuadet se regnum
maximum, ubi reuiuiscant, paratum habere ipsosque ibi
5 in summo honore atque uoluptate acturos. qua spe falsa
et promissis illi inducti primum, mortuo principe, Indos
utriusque sexus (singuli enim populi uicini binos aut
ternos ex suis mittere tunc solent) potione ex milio iux-
ta tumulum complent; deinde eos, cum alienatos mente
uident, una cum cadauere principis praeter coniuges fa-
miliares quoque eius uiuos et quam plurima uasa cibo
potuque plena, ut ipsum comitentur, tumulo ualde pro-
fundo contegunt eumque principem putant tanto uenera-
tiorem in illo regno futurum quanto maiorem comitatum
et apparatum ipse secum duxerit. at uero Pasti, ubi prin-
ceps e uita excessit, eum multos dies atque noctes lamen-
tis prosequuntur ac deinde, ut Peruranis mos est, sepul-
6 tura afficiunt. sunt et in Pastis et Quillacingis complures
amnes sed praecipue duo insignes, alter Calens nomine,
alter Angasmaius; hic Perurani imperii finis (neque enim
ultra Guainacapa magni Topahingae Iupanguis Cuschi

5 (singuli ... solent) *sic distinxi* | uiuos P[2]A : ui*os P | comitentur *corr. To.* : commit(t)entur PA | in illo ... maiorem *om.* A || 6 Angasmaius P : Angas maius A | (neque ... progressus) *sic distinxi* | Iupanguis *correxi, cf. e.g. 2.37.1, 2.40.6 et Cieza 386a* : Hiumpangis PA

regis filius est progressus), ille adeo liquidus et dulcis ut nullus in Indiis nedum in Hispania sit amnis qui cum eo iure conferri possit.

Traiecto Calenti flumine, mons est qui amplius milia **81** passuum duodecim in ascensu difficili atque arduo habet. mox crater in summo iugo conspicitur, qui non fumum modo sed cinerem etiam et pumices eructat. uentum est tandem ad amoenissimum oppidum, quod a 2 Pastis populis nomen traxit. situm est in Atride Quillacingarum ualle fertilissima et a Popaiano milia passuum centum et sexaginta et tantundem spatii ab urbe Quito distat. uallem uero, quem undique montes et siluae cin- 3 gunt, amnis eiusdem nominis influit, in quo et molae sunt frumentariae et ad ripam multae iucundaeque Hispanorum uillae positae. ea uallis frumento, hordeo et milio abundat. in siluis cerui, cuniculi, perdices, columbae, turtures, phasiani et pauones gignuntur. ager autem gentis Pastorum natura praegelidus est uariosque ex sese pastus uarieque abundantes pecori praesertim suillo fundit innumerosque paene porcorum greges alit. in eo uero multum hordei, parum milii prouenit. cete- 4 rum in Pastis atque in eo ipso oppido uer multo quam hieme frigidius est, etiamsi conuersiones temporum anni similes prope atque in Hispania sint. at enim Pastum 5 oppidum Laurentius Aldana nobilissimus eques et Quiti praetor eo condidit anno colonosque deduxit qui Christi fuit MDXXXIX, quod certe longe plures pagos

81 1 crater *correxi* : -tes PA ‖ 3 amnis A : amnes P | nominis influit A : influit nominis P^2 : fluit nominis P | in *ante* siluis A : et P ‖ 4 frigidius A : -dus P | conuersiones A : -sionis P | anni P : amni A

sub imperio suo quam aut Popaianum aut Quitum habet.

82 Iam uero Castrus hieme summa et tempestate perfrigida ab eo oppido Quitum est profectus. in eo autem itinere primum Funenses et Ilenses populi, deinde Gualmatani deuersoria, post sunt Ipialenses. ab his, antequam in Guacam regionem paruam uenitur, uia illa Hingarum regia quae a Cuscho usque per montanam 2 Peruram est ducta itur. at in Guaca rupes quaedam est mira altitudine et crassitudine. ea natiuum fornicem subter medium sui ipsius efficit, quem ingens flumen praeterfluit, ac super pontis natura facti uicem supplet, unde accolae Lumichacam, id est, pontem lapideum, quo flumen desuper transitur, sua lingua uocauere. utrimque singulae erant arces, ex quibus milites Perura- 3 ni incursiones in Pastos faciebant. est et fons haud procul ab eo ponte lapideo aquae ita calidae ut flumen ipsum frigidae, quippe ea regio adeo frigida et infecunda est ut nihil prater radices quas Indi serunt et pruna quaedam minuta coloris nigri nomine mortuna dicta et alia paulo minutiora instar uuarum gignit. haec auide uescentes inebriant et torminibus ita afficiunt ut hi neque 4 mente neque lingua per totum diem consistant. a Guaca sunt Tucenses; dehinc arx Hingarum iam diruta, quae uallo et fossa munita fuit, mox fluuius Mira admodum calidus ac eximie fertilis et gentis Pastorum et Quitiae prouinciae finis. uallis uero quam ipse amnis influit mag-

82 *2* ac *ante* super A : at P | Lumichacam *correxi coll. Cieza 389a* : Limichacam PA || 3 serunt P : ferunt A | hi A : hic P || 4 munita P : munita *uel* minuta A | ac *ante* eximie *correxi* : at PA

na frugum et fructuum copia et uario leguminum genere ingentique cuniculorum, turturum atque perdicum numero abundat. a ualle et flumine Mira lacus ille est quam 5 indigenae Hyaguarcocham, id est, mare sanguinis, ideo appellant, quod Guainacapa, maximus Perurae rex, ut ipsi referunt, cum Caranguenses aliique populi finitimi animum eius multis rebus uehementer offendissent, uiginti hominum milia iugulari et in eum lacum proici iusserit. qui, tot milibus hominum adultae iam aetatis occisis, cum pueris tantum pepercisset, eos populos Guamaraconas uocauit, ac si Latine dixisset 'nunc estis pueri'.

83 Inde Castrus ad regia Caranguis hospitia et palatia descendit. haec ex politissimis lapidibus una cum pulcherrimo Solis templo (exstant adhuc tanti aedificii uestigia) constructa fuere. 2 quod templum apud illas olim gentes et religione sacerdotum et numero uirginum et maximis diuitiis post Cuschanum eximie floruit. amplius enim ducentae uirgines et forma et perpetua uirginitate insignes Soli erant dicatae et parietes templi aureis et argenteis laminis contecti. hic autem praeter innumera prope uasa tum ex auro tum ex argento ad templi usum destinata thesauri Hingarum erant repositi. magna enim ipsi uectigalia ex prouinciis undique uicinis capiebant. ea uero unus ex praefectis ipsorum maximis, qui cum magno militum numero, ut populos in officio contineret, regia inhabitabant hospitia, exigebat. 3 hic Atabalipam principem (nam de matre eius Quitiae regi-

5 hominum *post* uiginti P : huminum A | populos P²A : pul*os P

83 1 (exstant ... uestigia) *parenth. statui* || 3 (nam ... dubium) *sic distinxi*

na et Guainacapae coniuge non est dubium) ortum habuisse quidam sunt auctores, cum inter omnes Perurae Indos constet eum non in Caranguis hospitiis sed Cuschi Guainacapa ex Quitia in eam urbem reuerso et
4 natum et in lucem editum fuisse. ceterum inter amplissima Hingarum aedificia quae in ea uia regia qua Quitum itur conspiciuntur Otabali sunt deuersoria. haec ad occasum Poritacos, Collaguacos, Guancas et Caiambes populos et ad ortum Cotocoiambam regionem atque Hyumbum montem habent.

84 Sed enim Otabalenses et Caranguenses mutuo ac paene infinito flagrant odio grauesque inter ipsos inimicitias gerunt, propterea quod Otabalus princeps (pagi enim et populi Indorum uallesque et flumina fere ab ipsis regulis, tetrarchis et dynastis nomina accipiunt) miro commento et arte Caranguis hospitia et regia Hingarum palatia per id tempus diripuit, quo Sebastianus Benalcazar praefectus cum Hispanorum militum turmis et cohortibus in Quitiam inuasit magnumque terrorem eius regionis populis incussit, atque eo magis quod iam fama de Atabalipa principe cum maximo Indorum exer-
2 citu ad Caxamalcam fuso atque capto percrebuisset. ad haec ipsi iam in animum induxerant nullis copiis, nullis etiam uiribus Hispanorum ferocitati, audaciae et pernicitati resisti posse, ut qui equitem simul et equum unum et idem animal esse crederent. itaque Otabalus princeps uersutus et callidus oblatam rei bene gerendae
3 occasionem arripit. acerrimos quosque Indos ex suis deligit, eos uestibus gossypinis tectos et maximis qui-

Guainacapa P : Guanicapa A
84 1 (pagi ... accipiunt) *sic distinxi* || 2 callidus A : calidus P

busque urcis siue arietibus insidentes atque uirgas longas hastarum in modum manibus gestantes iuga ex aduerso Caranguis posita et imminentes tumulos subire iubet atque ita incedere atque apparere ut a Caranguensibus prospicerentur. ipse uero cum reliqua et inculta 4 Otabalensium turba celeriter uia regia in hospitia contendit et simulata fuga uultu et oculis motum animi prae se ferens Caranguem ingreditur. praefectus et milites et Caranguenses admiratione obstupefacti obuiam ei occurrunt. Otabalus tota mente et omnibus artubus contremiscens clamat ut sibi protinus cauerent: Hispanos aduentare ac iam prope adesse; uix se, omnibus diuitiis relictis, pericula et maximos cruciatos effugisse ac fuga mortem uitauisse; homines esse corpore semifero et saeuissimos atque uiolentissimos in Indos. dum haec 5 Otabalus summa cum omnium trepidatione refert, Indi urcis insidentes numeroso atque horrifico agmine per iuga et tumulos apparuere. quibus conspectis, praefectus et milites qui in praesidio erant et Caranguenses fidem Otabalo habentes ac magno timore perterriti hospitia et palatia regia deserunt et in proximos montes diffugiunt. at Otabalus simul cum suis dissimulato dolo 6 se cursu et lassitudine exanimatum dicens atque fingens lento gradu multitudinem fugientium sequitur et aliquantulum spatii progressus, cum Caranguenses celeri fuga longius ab hospitiis processissent nec iam apparerent, in Caranguem regreditur et capitali fraude admissa repentino latrocinio atque impetu omne aurum et ar-

3 insidentes P[2]A : insidientes P || 5 insidentes P : incidentes A || 6 exanimatum P : exanimatu A | dicens A : ducens P | aliquantulum P : aliquantum A

gentum et quicquid rerum pretiosarum in praefecti hospitiis et Hingarum palatiis repositum erat spoliatione tantum Solis templi abstinens domum suam abstulit.
7 qua re postea cognita praefectus et Caranguenses uehementer commoti, tum quod ipsi circumuenti et spoliati ab Otabalo latrone fuissent, tum quod metu coacti et dolo decepti sese in fugam dedissent, bellum Otabalensibus parare, res latrocinio amissas recipere, poenas ab
8 Otabalo ui repetere inter se constituunt. ceterum cum Hispani Sebastiano Benalcazare duce arma tunc Quitiae intulissent, rem in aliud tempus differentes, ut se suaque contra communes hostes defenderent salutique publicae consulerent, incepto destitere. sed hi quae ille per scelus et latrocinium abstulerat numquam reciperauere. nam Hispani et hospitia et palatia regia Caranguis et templum Solis funditus euertere atque spoliauere.

85 Iam uero ab Otabali deuersoriis, transcenso iugo quodam niuoso, ubi omnia frigore geluque rigent, Cochesquium primo, Guallabamba deinde subest. nonnulli hic amnes intersunt, qui pontibus iniectis facile traiciuntur. uerum quamuis haec loca magno solis calore, quod fere sub aequatore sint, infesta uideantur, tamen commodissime habitantur; neque enim iam dubium est quin multae regiones uariisque gentibus cultissimae et hiberna aestiuaque tempora sub eo circulo sint et quae seruntur, praesertim frumentum et hordeum, benignis-
2 sime procreentur. quae sane omnia Christophorus Vacca Castrus, dum has regiones peragrauit, diligenter notauit atque animaduertit diuturnoque usu explorauit.

8 destitere P^2A : desistere P
85 1 Otabali A : Otabili P | amnes A : amnis P

qui ex Cochesquii et Guallabambae deuersoriis ualetudine iam confirmata uiribusque receptis discedens in campum Anaquitum et ab eo in urbem Quitum, quae a Guallabamba milia passuum sedecim abest, tandem peruenit. et Castri quidem aduentus incredibili amore, lae- 3 titia atque honore a senatu populoque Quitiensi est exceptus; nihil enim quod ad ornandum eum pertineret a ciuibus est relictum.

3 amore A : amare P *ut uid.* | *Subscriptio:* Finis Libri Quinti P

LIBER SEXTVS

1 Quitia ab septentrione nouissima Perurae prouincia et Popaianae finitima inter subsolanum et Fauonium citra ultraque aequinoctialem lineam se longe lateque extendit nomenque ab illustri urbe Quito eius principe et Hispanorum colonia accepit. quam incendio a Ruminaguio Atabalipae principis legato consumptam Sebastianus Benalcazar praefectus, cum eam regionem imperio Hispano adiecisset, denuo aedificauit anno Christi MDXXXIIII, colonisque in ea deductis, ciuitatem Sanc- 2 ti Francisci cognomine Quiti appellauit. hoc autem urbis nomen proprium et uerum ab hospitio Hingarum regio multo ante quam Hispani in Peruram uenirent illic constructo, quod incolae Quitum uocauere, tractum 3 est. haec uero urbs in loco plano quidem et salubri at frigido et perangusto ad imas montium radices, qui inter septentrionem et eurum excurrunt planitiemque illam efficiunt et prospectum impediunt, sub aequatore sita est uixque ultra protendi aedificandisque domibus augeri potest, quamquam moenibus, si oporteret, cingi et prop- 4 ugnaculis muniri queat. ceterum ab ortu Quitum et eos montes, ex quibus maximum flumen quod et in Oceano septentrionali Mare Dulce dicitur et ingenti Maranoni amni proximum est exoritur, tum Pastum oppidum, ab occasu Portum Veterem et Guaiachiliam, a meridie Loxam et Piuram, quae ciuitas Sancti Michaelis cognominatur, Hispanorum colonias magno inter se spatio distantes et a septentrione Popaianam prouinciam habet.

1 1 Ruminaguio P : -gio A || 4 *post* exoritur *sic distinxi, plene* P, *sine interpunctione* A | *post* oppidum *sic distinxi, plene* PA | prouinciam *om.* A

Hinc etiam uia illa regia est, quae per montanam Peruram usque ad Cuschum et inde in Chiliam regionem ducit, quae, ut Petrus Cieza Leo Hispalensis prodit, qui Popaianam et omnem Peruram in militari labore peragrauit easque de omnibus rebus inquirendo quasi pictura quadam descripsit, amplius quadragies et milibus passuum octingentis ab urbe Quito abest. hanc autem uiam regiam Hingae, potentissimi Perurae reges, multo labore uiribus manibusque hominum per montes paene inaccessos et iuga praerupta atque aspera et per rupes et loca deserta atque palustria aperiri sternique fecere et amplissimis hospitiis ac deuersoriis omnibus rebus instructissimis et duodenis aut denis senis passuum milibus inter de distantibus ornauere. ad quam prope accedebant cum in aliis Europae prouinciis uiae a Romanis olim factae atque stratae tum ea quae in Hispania Argentea uocatur. 2 2 3

Iam uero Quitia prouincia, tametsi sterilis uidetur, quod montosa aspera et frigida sit, tamen solo fertili est atque laeto, uenis auri et uario ferarum atque auium genere plurimum scatet et innumeras paene pecudes lanigeri generis tam domestici quam siluestris praeterquam plurima armenta alit. quin et ualles apricae et temperatae tam pinguis atque tam feracis sunt soli ut et frumenti et hordei et luguminum copia abundent. mirum quantum in his uallibus non solum citri et aliae arbores fructiferae, sed uites etiam proueniant. ad haec magna est lini xylini et earum radicum abundantia quas papas et quinuas appellant. hae caule cubitali, folio 3 2 3

2 1 illa *om.* A || 2 ac deuersoriis ... instructissimis *om.* A
3 3 ad A : at P

haud absimili blito rubro, semine partim candido, partim sunt purpureo, quod perinde ut oriza conditum in epulis apponitur atque ita ex eo, ut etiam ex hordeo, potionem Indi conficiunt. illae uero folio rhoeam herbam, radice tubera, sapore nucem castaneam coctam
4 reddunt. cultores autem habitu et moribus parum a ceteris Peruranis differunt nec ita feri nec inculti sunt ut Popaiani. agros maxime colunt atque exercent et fruges iisdem prope temporibus quam Hispani (neque enim hac saltem in re natura Quitiae regionis dissimilis est Hispaniae) serunt et metunt fructusque colligunt atque
5 condunt. ceterum Quitum et pontificis auctoritate, cuius dioecesi Piura, Portus Vetus et Guaiachilia Hispanorum coloniae sunt attributae, et sacerdotum religione et decurionum et ciuium constantia atque in regem suum fide prae ceteris floret atque uiget.

4 Haec enim ciuitas Sancti Francisci, cum alia Hispanorum municipia et coloniae quae collocatae in Perura erant metu et armis coactae ad Didacum Almagrum praeter Chaxapoias, quibus Alfonsus Aluaradus praeerat, defecissent imperiumque eius accepissent, constanter et fortiter ad ultimum perseuerauit nec ullis umquam precibus nec minis induci potuit, etiamsi Franciscus Ferdinandus cognomine Ferrus, ciuis nobilis et factio-

blito P : bliro A | potionem *scr. To.* : portionem PA || 4 (neque enim ... Hispaniae) *sic distinxi* | re P : ire A || 5 dioecesi P : diocesi *uel potius* discesi A | ceteris A : ceris P

4 1 ad Didacum Almagrum *pro* in Perura erant metu et armis *perperam scr.* A, *sed haec expunxit et quae omiserat in marg. addidit* | Aluaradus A : Auaradus P | imperiumque eius accepissent *om.* A

sus, Chiliensium partes foueret, ut a Caesare desciscere, unde laudem nomenque inclutum inuenit, atque eo magis quod ab ea initium Perurae recipiendae factum est. nam ciues Quitienses Vaccam Castrum postridie 2 eius diei quam eum urbe receperant ex hospitio, quo benigne exceptus fuerat, in praetorium, ut quae Caesar in mandatis dedisset et quae ipsi commisisset clarius intellegerent mandataque protinus exsequerentur, summo cum honore deduxerunt. quo ubi uentum est, sena- 3 tus frequens habetur et unus ex decurionibus, cum de ciuitatis rebus uerbum facere coepisset, post de sceleribus nefariis atque flagitiis manifestis quae Didacus Almagrus et Chilienses in Ciuitate Regum fecissent ad Vaccam Castrum rettulit et, quo rectius atque commodius ipse decerneret quid constituendum, maturandum agendumque esset, cuncta quae illi patrauissent ordine rettulit: primo Franciscum Pizarrum, praefectum maxi- 4 mum Perurae et Caesaris legatum, praeter Franciscum Martinum Alcantarensem eius fratrem et Franciscum Chauium, equitem ornatissimum, et quosdam alios obtruncatum fuisse, domos ipsorum et Antonii Picadi scribae direptas et ciues Limenses auro, argento, gemmis, equis et armis spoliatos; deinde Almagrum ui sena- 5 tum populumque Limensem compulisse ut se praefectum maximum Nouae Castellae et Noui Toleti, sicuti fecerunt, appellarent; tum etiam ipsum Almagrum iure regio usurpato et retento praetores et alios magistratus

desciscerent A : desciret P || 3 coepisset P : cep- A || 5 compulisse A : contu- P | Noui *correxi, cf. e.g. 3.44.3, 4.13.1, Cieza*[2] *16a, Gómara 247b* : Nouae *ante* Toleti *hic et semper posthac scribunt* PA, *quod postea silentio praetermittam*

creauisse, qui ciuitatibus et oppidis nomine suo praees-
6 sent; postremo eum regium aerarium expilauisse, bona defunctorum rapuisse nec sacris abstinuisse, sed priuatorum hominum pecunias in templis depositas abstulisse et quosdam etiam Hispanos iniquissime delatos praetextu agitandae atque exercendae iustitiae in carcerem
7 inclusisse atque in foro postea occidisse; praeterea ipsum tota Perura dilectus habere, equos et arma municipiis et coloniis imperare et ex his pecunias cogere, copias equitum et peditum contrahere, uexillum proponere et
8 signa in regem et in patriam efferre; quin et Garsiam Aluaradum cum magno militum numero ideo Trugillum et Piuram ab eo missum, ut eas urbes diuexaret atque diriperet et Christophorum Vaccam Castrum, uirum amplissimum et ex senatorio atque ex equestri Diui Iacobi ordine, si forte obuiam fieret, subito inter-
9 ficeret; denique, nisi quam maturrime furori, saeuitiae, libidine et consiliis Didaci Almagri occurritur atque obsistitur, periculum esse ne Caesar uniuersam Peruram amitteret; nihil enim se dubitationis habere quin Almagrus Quitum et Chaxapoias, ut eas in potestatem suam redigeret, primo quoque tempore inuasurus esset.

5 Quibus rebus perspicue cognitis, Castrus primum se Deo optimo maximo gratias agere inquit, quod se tot tempestatibus terra marique uexatum et tam longo periculosoque morbo in itinere a Bonae Venturae portu usque conflictatum in eam urbem perduxerit, quae et
2 constantia et in regem suum fide esset clarissima; hoc

7 praeterea P : prepterea A | in *ante* patriam *om.* P | eferre P : oferre A || 8 ex *ante* equestri *om.* P || 9 consiliis P : consilii A
5 1 *post* clarissima *sic distinxi, plene To., leuiter* PA

maximae laudi atque summae felicitati ducere; neque enim se dubium facere, si in Tumbezium aut Paitam aut in alium Perurae portum descendisset, quin in manus hostium regis atque patriae uenisset interfectusque ab eis fuisset; sed diuini numinis ope atque auxilio se, ut rebus afflictis atque omnino deploratis subueniret, esse seruatum; a Caesare autem ideo missum, ut de Di- 3 daci Almagri praefecti morte inquireret et causa cognita in reos animaduerteret et alia quae Caesar sibi commisisset summa fide, aequitate et cura conficeret; quod si interim, dum ipse in Peruram iret aut postquam eo perueniret, Franciscus Pizarrus, maximus Perurae praefectus, decederet, tunc in demortui locum succederet, sicuti iure eo iam uita functo succedebat, actionique et administrationi reipublicae Peruranae deinde erat uacaturus; proinde magno fortique essent animo nec sibi 4 ipsi deessent, sed in constantia cum fide, ut hactenus magna cum laude et gloria fecissent, perstarent; sperare enim se ex ea ciuitate, quae prima in nouissima ad septentrionem Perurae prouincia Hispanorum colonia constituta fuisset, municipia et colonias, quae partim timore partim promissis inductae ab rege desciuissent, reciperaturum et tam Indos quam Hispanos crudeli dominatu liberaturum atque hostes patriae uno proelio debellaturum.

2 maximae A : maxime P | seruatum P²A : seruaturum P || 3 administrationi P : -tione A | uacaturus A : uocaturus P || 4 ipsi deessent A : deessent ipsi P | dominatu liberaturum *scripsi, coll. 7.63.17, 7.132.1, 7.143.2, 7.154.4* : dominatum liberaturum P : dominatu deliberaturum A | atque hostes ... debellaturum *om.* A

6 Quibus uerbis Castrus cum decuriones rebus plane suis diffidentes confirmauisset afflictosque erexisset magnamque spem non modo salutis publicae conseruandae, uerum etiam Perurae iam amissae reciperandae attulisset, ut dictis fides haberetur, decretum manu Caroli V Caesaris Romanorum imperatoris Augusti et Hispaniarum regis subscriptum et sigillo regio sanctum atque munitum protulit, ex quo aperte constabat utramque praefecturam Nouae Castellae et Noui Toleti Vaccae Castro ab ipso Caesare, Francisco Pizarro praefecto defuncto, fuisse decretam. 2 itaque eo decreto in senatu recitato, Christophorus Vacca Castrus extemplo praefectus Perurae maximus atque summus Caesaris legatus ingenti omnium clamore atque assensu (is dies erat pridie kalendas Octobris anno Christi MDXLI) est appellatus. decretum uero regium more solemni tympanis atque tubis per fora, per urbis uicos atque uias resonantibus, ut in omnium notitiam ueniret, magna praeconis uoce est pronuntiatum. 3 eius exemplum erat: 'iussu mandatuue Caroli V imperatoris Caesaris Augusti et Hispaniarum regis praefectus sen<atus> Ind<ici> decurion<ibus>, equitib<us>, nobi<libus>, apparit<oribus>, pleb<eiis>, quisquis es tam ex prouinciis Nouae Castellae, quae Perura uocatur, et Noui Toleti quam ex insulis et aliis prouinciis Perurae finitimis tum etiam alii qui-

6 1 diffidentes P : dessidentes A | V P : Quinti A || 2 assensu P : ascensu A | (is ... MDXLI) *parenth. agnouit To.* || 3 V P : Quinti A | praefectus senatus Indici decurionibus, equitibus, nobilibus, apparitoribus, plebeiis *scripsi, cf. e.g. 7.71.5* : Praefec(tus). Sen. Ind. Decurion. Equit(ib). Nob(i). Apparit. Pleb. PA

cumque imperio nostro subiecti qualiscumque condicionis fortunae et ordinis estis ac quilibet etiam uestrum: iam scitis (est enim omnibus notum) Christophorum 4 Vaccam Castrum ex amplissimo et regio nostro senatu atque ex equestri Diui Iacobi ordine iudicem ideo a nobis constitutum et in prouincias Nouae Castellae et Noui Toleti missum, ut de quibusdam rebus ad munus nostrum atque ad exercendam iustitiam pertinentibus quas ei commisimus cognosceret, cui etiam diploma potestatemque nostram dari iussimus, ut ipse, si forte Franciscus Pizarrus, qui Perurae praefectus noster fuit, quod aetate iam confectus uideretur, decederet, officium et munus praefecti nostri Peruranae prouinciae suscipere atque exsequi posset et iustitiam tam in rebus ciuilibus quam in capitalibus agitare ac demum omnia alia facere quae tamquam praefectus noster eius prouinciae et gerere posset et deberet. sed interim, dum Vacca Ca- 5 strus ad Peruram contenderet, Franciscus Pizarrus interfectus fuit, unde ille ex potestate decretoque nostro quod habet iure succedit praefectusque noster et iudex earum prouinciarum exsistit. proinde omnibus et singu- 6 lis quibusque uestrum mandamus ut Vaccam Castrum pro praefecto nostro earum prouinciarum habeatis eique pareatis et cum ipso officium obeatis mandataque eius in omnibus rebus et casibus qui inciderint peragatis atque edicta quae dederit exsequamini. quod si Ca- 7 strus opem et auxilium a uobis petierit, cum eo et cum

(est enim omnibus notum) *sic distinxi* || 4 ex *ante* amplissimo P : et A | rebus P²A : rebus rebus P | quas *om.* P | cognosceret P : cognoceret A | Peruranae A : Perurani P || 6 inciderint A : incederint P

iis quos ipse constituerit uos coniungetis militesque et omnes res quas imperarit conferetis conferendasque bene et perfecte curabitis et quicquid ipsi occurrerit atque obtulerit facietis et praestabitis, quod ut subiecti et clientes nostri praestare debetis et tenemini, nec hac in re excusationem ullam afferetis nec impedimentum ullum inferri permittetis nec alteras litteras nostras ac ne tertiam quidem iussionem exspectabitis, ni mauultis proditores atque perfidi haberi et in id crimen incurrere et poenas subire, in quas ii eunt et incurrunt qui nec oboediunt nec mandata regum nec principum suorum conficiunt.'

7 Hoc etiam decreto Caesar illud confirmauit atque comprobauit quod ex senatus consulto factum Vacca
2 Castrus habuit et cum eo Peruram petiuit. nam cum Caesar ipsi tantum commisisset ut de Didaci Almagri praefecti caede in Perura cognosceret, controuersias dirimeret, seditiones et discordias commotas comprimeret atque sedaret, senatus Indicus, Caesare iam in Galliam profecto, quod intellegeret Franciscum Pizarrum eius prouinciae praefectum aetatis iam maxime ingrauescentis esse, decreuit, ne quid respublica Perurana detrimenti caperet, ut Vacca Castrus in eius locum sufficeretur, si forte ille, dum ipse in Peruram iret aut postquam eo perueniret, de uita decederet, atque eas Perurae prouincias cum dignitate et imperio praefecti maximi obtineret, easdem immunitates haberet, easdem praerogatiuas et praemia acciperet, eisdem beneficiis et honoribus frueretur, eadem potestate atque Franciscus Pizarrus

7 coniungetis P : coniugetis A
7 2 profecto P : praefecto A | Perurae P : Peruranae A | praefecti maximi P : maximi praefecti A | immunitates A : -tem P

praefectus uteretur ac demum ea omnia gereret, donec Caesar aliud imperaret, quae ad Dei laudem, ad Caesaris commodum, ad exercendam iustitiam, ad amplificandam nobilitandamque Peruram, ad Indos uera pietate imbuendos atque conseruandos et ad exsequendum summi praefecti munus pertinerent; ceterum hanc ad- 3 ministrandae prouinciae potestatem, Francisco Pizarro praefecto defuncto, Vaccae Castro idcirco nomine Caesaris tradi, quod plurimum ipse uirtuti, litteris et prudentiae eius confideret atque tribueret; omnibus uero et singulis quibusque municipiis et coloniis et Hispanis atque Indis cuiuscumque ordinis et fortunae in Perura essent edici ne quis aduersus huiusce iussionis et decreti ex senatus consulto praecepta faceret, nisi uellet hostis Caesaris et reipublicae Hispanae adiudicari ac si contra patriam arma ferret. huius autem decreti Ioannes 4 Samanus, rerum Indicarum scriba regius, qui illud conscripsit, fidem fecit, sed quia hoc tunc senatus arcanum et occultum haberi uoluit, decretum illud ab amplissimis aliquot uiris signis est obsignatum et a Garsia Loaysa cardinale, pontifice Hispalensi et senatus Indici principe et summo Indiarum praefecto, subscriptum, a regio secretoque Caesaris sigillo munitum.

Quod sane a Garsia Loaysa cardinale et a senatu In- **8** dico diuino consilio factum creditur; neque enim aliter ciuitas Sancti Francisci Quitiensis Vaccam Castrum, nisi ipse decretum illud regium habuisset secumque in Per-

post uteretur *plene distinguunt* PA || 3 *ante* omnibus *plene distinguunt* PA | faceret A : facere P || *7*.4–*8*.1 pontifice Hispalensi ... sane a Garsia Loaysa cardinale *om.* A
8 1 secumque ... exhibuisset *om.* P : *add. in marg.* P[2]

uram attulisset atque exhibuisset, urbe recepisset nec praefectum maximum Perurae appellauisset nec aliae ciuitates nec oppida imperata eius fecissent nec Castrus, etiamsi omnes eo neruos intendisset, Peruram umquam
2 recipere ualuisset. quis ei, qui sine imperatorio iure esset, opem et auxilium tulisset? quis aduersus Didacum Almagrum arma tunc cepisset? quis pro Caesare signa in
3 eum intulisset? at ciues Hispani, cum per municipia et colonias nuntiatum esset Vaccam Castrum et saluum et incolumem Quitum peruenisse et a senatu populoque Quitiensi praefectum maximum Perurae appellatum esse, animos protinus erexerunt et ut sese in libertatem
4 assererent maxime confirmarunt. nam Castrus ea decreta et edicta regia, quae more solemni pronuntiata per urbem fuere, ab scribis regiis, ut fides haberetur, exscripta exsignataque simul cum litteris ad singulas urbes et oppida per expeditos nuntios misit, quo certius et celerius omnes intellegerent et ipsum Castrum uiuere et ex diplomate regio in Francisci Pizarri praefecti demortui locum succedere et praefectum maximum Perurae esse nec naufragio in mari nec morbo in Popaiana prouincia, sicuti Didacus Almagrus per uniuersam Peruram
5 uulgauerat, interiisse. praefectos etiam et centuriones, qui cum turmis et cohortibus Hispanorum nouas regiones et Perurae finitimas lustrabant et subigebant, litteris

atque exhibuisset, urbe recepisset *om.* A | nec *post* fecissent A : ne P | nec Castrus ... intendisset *iterat* A | neruos P : neruo A || 2 aduersus P : -sum A | quis pro ... intulisset? *om.* P : *add. in marg.* P[2] || 3 et incolumẽ P : incolumen A | peruenisse P : peruenisset A || 4 *post* esse *plene distinguunt* PA || 5 subigebant A : sugiebant *uel* fugiebant P

et praemiis euocauit. omnibus autem edixit ut cum equis et armis sine mora ad se uenirent et debitam opem et operam in reciperanda Perura regi suo praestarent; se nomine Caesaris eos magnis officiis et muneribus remuneraturum; quod si non forent dicto audientes, scirent se in proditionis et perfidiae crimen incursuros. praeterea Castrus ad Didacum Almagrum scripsit, ut 6 prouinciam Peruram confestim deponeret: se eam regio Caesaris diplomate et auctoritate senatus Indici, Francisco Pizarro praefecto iam mortuo, habere; ideoque monere atque etiam hortari non modo eum aperte sed etiam acriter, si res postularet, ut imperio pareret, exercitum dimitteret et ab armis discederet; id ipsum etiam ducibus eius ut facerent denuntiare; se omnibus ex aequo ius dicturum iudiciumque redditurum et Almagro adulescenti in patris loco futurum.

Iam uero cum his litteris et edictis atque decretis re- 9 giis, quae Castrus ad ciuitates mittebat, ire sunt iussi Ioannes Valdiuiessus eques Octodurensis Guaiachiliam et Piuram et Petrus Puellaeus Trugillum et Franciscus Carrenus et Petrus Heraedia Limam et Gomezius Roias Manuelis filius Cuschum. quibus Castrus mandauit ut pecunias contraherent, milites colligerent, equos et arma conquirerent et ad se quam celerrime fieri posset mitterent. hi legati Quito simul profecti primum Guaia- 2 chiliam et deinde Piuram uenerunt, litterisque Vaccae Castri praefecti senatui utriusque urbis a Ioanne Val-

9 1 iussi P : iussi (*in f.* 497^{v}) *et* iussit (498^{r}) A | *interpunctionem post* iussi *sustulit To.* : *plene distinguunt* PA | Valdiuiessus P : -uiesus A | Puellaeus A : Puelleus P | Heraedia *correxi, cf. e.g. 6.34.2* : Haeredia PA

diuiesso redditis et exemplis decreti regii recitatis, facile impetratum est ut ingenti etiam ciuium laetitia et consensu Vacca Castrus praefectus maximus Perurae et Caesaris legatus acciperetur et appellaretur. sic Trugilli, sic Limae, sic Cuschi, postquam legati eo peruenere, 3 sicuti suis locis demonstrabimus, factum est. et quod omni plane admiratione dignum uidetur, spatio unius tantum mensis omnia municipia et coloniae a Portu Vetere ad Platam Charcarum oppidum, quod ab ea urbe uicies et milia passuum quadringenta abest, in Caesaris fidem redierunt imperiumque Vaccae Castri eius praefecti acceperunt. quas certe Didacus Almagrus praesidiis confirmauisset atque muniuisset, ni Castrus tantam curam, diligentiam et celeritatem in mittendis cum litteris suis et exemplis decreti regii, quo Caesar utramque ei praefecturam Nouae Castellae et Noui Toleti ab obitu Francisci Pizarri praefecti decernebat, legatis ad-4 hibuisset. hoc medius fidius Petrum Aluarum Holguinum, Gomezium Tordoiam, Garcilassum Vegam, Nunium Castrum et alios fortissimos et nobilissimos uiros ac ciues etiam Cuschi et Arequippae ad arma excitauit, hoc Petrum Anzurium et oppidi Platae colonos ex Charcis eduxit, hoc Ioannem Perezium Gueuaram cum his militibus Hispanis quos habebat ex Moiobamba atque alios praefectos et centuriones ex incompertis 5 regionibus quas peragrabant subito exciuit. omnes enim audito Vaccae Castri praefecti regii nomine cognitoque eius in Peruram aduentu sumptis armis magnis itineri-

3 dignum uidetur A : uidetur dignum P | atque *iterat* P || 4 Aluarum P[2]A : Aluaradum P | Nunium A : Nunnium P | quos *om.* A | centuriones P : -rionis A

bus ad eum contenderunt ac eum quaesiuerunt, ut sub uexillo eius regio pro libertate, pro reciperanda Perura, pro aris ac focis etiam in regis et patriae hostes pugnarent.

Et Castrus quidem omni studio dies noctesque in id **10** incumbebat, ut communi omnium saluti atque utilitati consuleret, auxilia undique contrahebat et incredibili celeritate atque prouidentia omnia quae ad recipiendam Peruram necessaria forent parabat. Aluarum Ordasium 2 Biatiensem et Ioannem Porcellum centuriones Panamam et Nicaraguam, ut inde milites, equos et arma nauibus aduehere nt, traicere iussit et Didacum Sandouallium equitem cum litteris et mandatis ad Petrum Vergaram centurionem misit. ei Didacum Nunezium Vaccam et quosdam alios Hispanos atque Indos, qui tam longi periculosique itineris comites ducesque essent, adiunxit.

Erat tunc Vergara cum una Hispanorum cohorte in **11** Bracchamororum regione et ut eam gentem feram et indomitam armis subigeret atque in Hispaniae dicionem redigeret omnibus neruis contendebat. sunt autem Bracchamori trans iuga niuosa ad orientem positi distantque ab urbe Quito milia passuum octingenta. et 2 Sandouallius quidem magno cum labore ac uitae discrimine, quod iter per Indos qui tunc in armis erant [iter]

5 ac A : et P

10 1 ut communi ... contrahebat *om.* A || 2 Aluarum P²A : Alphonsũ P | Biatiensem P : -tensem A | Sandouallium P : -ualium A | Nunezium A : Nunne- P

11 1 Bracchamororum P : Bracha- A || 2 ac A : et P | iter *secundum seclusi*

faceret, ad eos penetrauit litterasque et mandata Castri
3 praefecti ad Vergaram dedit. qui statim ut rem intellexit, cohortem ex ea regione deduxit et una cum Didaco Sandouallio et Nunezio Vacca ad Xaiancae deuersoria non longe a Piura peruenit ibique Vaccae Castri praefecti aduentum exspectauit.

12 Sed enim per idem tempus Alfonsus Aluaradus Chaxapoias Indos, quos bello perdomuerat, cum imperio obtinebat. is in edito loco naturaque munito, quod Leuantum uocatur, urbem eo anno condidit qui Christi fuit millesimus quingentesimus tricesimus sextus, quae postea in Guancarum regione iterum exstructa fuit et ciuitas a finibus Chaxapoiarum dicta. eam Aluaradus in
2 officio continuit. hunc Didacus Almagrus atque duces eius, ubi Franciscum Pizarrum praefectum crudelissime obtruncauerunt, multis precibus et pollicitationibus sollicitauerunt maximeque institerunt ut eum in sententi-
3 am suam traducerent. at Aluaradus, et quod parum ipsis confideret, ut qui Francisci Pizarri praefecti partes semper fouisset et pro eo ad Salinas proelio cum Didaco Almagro praefecto de imperio dimicauisset, et quod Vaccam Castrum praefectum maximum Perurae Quiti appellatum et summum Caesaris legatum esse audiret, se eis acerrimum inimicum et hostem fore respondit ac se in Leuanto cum militibus et ciuibus Hispanis tenuit litterasque ad Vaccam Castrum praefectum misit, quibus ultro operam ei suam offerebat seque Caesari et

mandata P : mandatis A || 3 Xaiancae *correxi, cf. e.g. 6.79.1 et Cieza 418b* : Aiancae P : Aiancae *uel* Aianeae A

12 1 Chaxapoiarum P : Caxa- A || 2 eum A : cum P *ut uid.* || 3 offerebat: seque P : oferebati*seque A *ut uid.*

reipublicae non defuturum pollicebatur. ei legationi Castrus respondit hoc Caesari sibique gratissimum futurum eumque rem uirtute fideque sua dignam facturum; ideoque ipse milites armis instructos haberet, ut, simul atque arcesseretur, reipublicae operam suam praestaret; se et Caesaris et nomine suo praefecturam ei militarem dare eumque ciuitati etiam Chaxapoiarum praeficere, militibusque et ciuibus Hispanis edicere ut imperio eius parerent ipsumque sequerentur. iterum Aluaradus ad praefectum scripsit eique gratias egit, quod se tanto beneficio affecisset, eumque magnopere orare atque ab eo postulare ut milia aureorum quinque, unde stipendia militibus persolueret, ad se mitteret. ea Castrus praefectus Olarti Aluaradi procuratori ex aerario regio numerari fecit et ad Petrum Puellaeum, Trugilli praetorem, scripsit ut eos Hispanos qui cum equis et armis iter Trugillo Piuraque facerent et Quitum contenderent Alfonso Aluarado, qui Chaxapoiis praeerat, ad supplementum mitteret. 4 5

Sed interim dum haec a Castro Quiti geruntur et legati quos ipse cum litteris et decreti regii exemplis ad ciuitates et oppida mittebat eo perueniunt, Limae nuntiatum est Vaccam Castrum in portum Bonae Venturae descensionem fecisse atque inde per Popaianam Quitum uenisse et praefectum maximum Perurae appellatum fuisse. hoc nuntio Didacus Almagrus et duces eius uehementer commoti rem in consultationem deducunt atque in eam sententiam omnes eunt, ut confestim Gar- **13** 2

4 ei *ante* legationi A : et P | facturum A : futurum P | se A : sed P || 5 postulare P : postularet *in* postulare *corr.* A *ut uid.* | Puellaeum A : Puelleum P

13 1 maximum P : maximae A

sias Aluaradus cum centum et quinquaginta militibus partim equitibus, partim peditibus tormentariis instructissimam et ualidissimam Francisci Pizarri praefecti nauem, quam Almagrus iam occupauerat, quam occultissime fieri posset conscenderet Trugillumque et Piuram nauigaret easque urbes diriperet et Vaccam Castrum, si forte eum obuiam uenientem haberet, aut
3 caperet aut certe interficeret. cum his mandatis Aluaradus milites in nauem imponit, Marticotum militibus tormentariis praeficit, Ioannem Rodericum Barraganum iudicem capitalem et Velaschium apparitorem facit et ex Callao Limensi portu soluit prosperaque usus nauigatione Sanctam portum ingreditur militesque in terram
4 exponit. inde progressus Alfonsum Cabreram, Petrum Barrosum, Alfonsum Voxmedianum, Franciscum Cardenam, Antonium Cacerem, Villegam et quosdam alios Hispanos obuiam ad Sanctae deuersoria factos inuadit eosque equis, armis, uestimentis, auro spoliat catenisque etiam constrictos, quod ad Vaccam Castrum, ut militarem operam regi suo nauarent, se conferrent, Trugillum duxit. ea uero omnia quae ab illis abstulit quadraginta aureorum milibus aestimata fuere.

14 Ceterum ubi Aluaradus Trugillum uenit, primum Cabreram, Voxmedianum et reliquos Hispanos quos ad Sanctam ceperat in carcerem includit, deinde milites per urbem disponit, forum saepit, aditus exitusque uiarum

4 Alfonsum Voxmedianum *correxi, cf. 6.14.1 et Calu. Vacc. 34. ceterum dubitationem maximam mouet, cf. 7.97.6 et Gómara 245b* : Alfonsum Vozmedianum PA | Antonium] *suspectum, cf. Busto s.u. 'Cáceres'* | Cacerem P : Caze- A | *uirgulam post* Cacerem *om.* P | equis A : equis etiam P

14 1 ceperat *corr. To.* : coep- PA | saepit P : cepit A

claudit, domos ciuium diripit, aerarium expilat, bona defunctorum atque pupillorum aufert, templa exspoliat, quadraginta equos inde abigit, arma et uestimenta rapit. haec milia aureorum decem, illi milia quindecim excessere. et quamquam ea urbs ad Didacum Almagrum defecerat, tamen rursus imperio eius se subicere ac Petrum Villafrancam ex Almagri amicis praetorem accipere fuit coacta. postremo Aluaradus et Barraganus Al- 2 fonsum Voxmedianum ex carcere educunt et tormentis paene lacerant, ut de maleficio quod ei falso obiciebatur palam confiteretur, quo iustiorem causam non eum solum sed reliquos etiam Hispanos qui in uinculis erant interficiendi haberent. sed enim ille forti constantique 3 animo omnes cruciatus pertulit et dolores superauit nec aliud ab eo extorqueri umquam potuit quam quod ad Vaccam Castrum praefectum et Caesaris legatum maximum una cum aliis Hispanis iret. itaque rursus Alua- 4 radus eum in carcerem condi iubet. qui ubi ciuitatem diripuisset atque uexasset, Petro Barroso in uinculis relicto, Piuram, ut Vaccae Castro occurreret, terrestri itinere petiuit. Cabreram autem et Villegam et ceteros uinculis constrictos et in nauem impositos Paitam cum alia militum parte misit.

15 Ipse uero uiam illam regiam caedibus et latrociniis nefariis foedauit fugaeque et formidinis Indos impleuit effecitque ut Punae insulae regulus atque alii Indorum principes a societate fideque Caesaris deficerent et Hi-

expoliat P : spoliat A | urbs P : ubrs A || 2 confiteretur A : confi*e***r P | quo A : quod P | iustiorem *corr. To.* : iustitiorem P : iuxtiorem A

15 1 deficerent A : deficent P

spanos ad Castrum praefectum euntes interciperent at-
2 que trucidarent. nihil saeuitiae, nihil immanitatis barbarae ab eo est praetermissum, atque eo magis in omnes saeuiebat, quod inquirendo nihil certi de Vaccae Castri in Piuram aduentu reperiebat. milites etiam qui Hispanos ad Sanctam captos in custodiis habebant e naui descendebant multaque et magna incommoda et detrimenta Indos inferebant coniugesque et liberos ipsorum abducebant.

16 At enim Aluaradus postquam Piuram est ingressus, eam, ut Trugillum fecerat, paene euertit. non aerarii regii expilatione, non ciuium direptione, non fanorum religiosorum spoliatione abstinuit, quippe qui et defunctorum et pupillorum pecunias in aedibus sacris depositas et arma et uestimenta et triginta equos praeter alia iumenta abstulit. quae sane omnia triginta milium
2 nummorum aureorum summam fecere. deinde immanissimus praedator et direptor Velaschium apparitorem cum aliquot militibus Paitam (iam enim nauis eo uenerat) confestim ire iubet. is Cardenam et Cacerem in ea naue reliquit, Cabreram uero et Voxmedianum et Iulianum Villegam uinctos Piuram duxit, quos extemplo Rodericus Barraganus iudex de Aluaradi sententia capitis condemnauit, quod Guanucum coloniam deseruissent colonosque in Didacum Almagrum concitauissent et ut fidem Caesaris sub Castro eius praefecto sequerentur hortati fuissent. haec praecone magna uoce pro-

2 qui P[2]A : *om.* P
16 2 (iam enim nauis eo uenerat) *sic distinxi* | Cacerem *correxi* : Caze- P : Carce- A | Voxmedianum *correxi* : Bozme- PA : Vozme- *corr. To.*

nuntiante, illi in eius urbis foro necati crudelissime fuere. praeterea Aluaradus Garsiam Leonem iuris consultum in carcerem coniecit, propterea quod is senatum populumque Piuranum frequenter admonuisset ut in Caesaris fide persisterent partesque regias, ne perfidiae proditionisque crimen subirent, fortiter constanterque sequerentur atque defenderent, et quod palam affirmauisset se certo scire praetorem et senatum eius urbis a Francisco Pizarro praefecto nomine Caesaris constitutum eodem iure, eadem potestate ac si ille uiueret, donec Caesar aliud imperaret, uti debere; itaque cauerent ne Didacum Almagrum neminemue alium, ni prius ex diplomate regio plane constaret ei cui datum esset Peruram prouinciam fuisse decretam, praefectum maximum appellarent; quin et se compertum habere Vaccam Castrum a Bonae Venturae portu Calim et inde Popaianum et ab ea urbe Quitum peruenisse atque ex decreto regio in senatu prius recitato praefectum maximum Perurae et Caesaris legatum fuisse appellatum. quae res adeo Aluaradum commouit ut subito in Leonem tamquam hominem seditiosum, ut qui tumultum ciuitati iniecisset et Vaccam Castrum litteris monuisset ne in Piuram descenderet, quod eam milites Almagri occupassent insidiasque uitae eius parassent, capitali poena animaduertisset, ni ueritus fuisset ne Castrus praefectus, statim ut de Leonis morte renuntiatum foret, alio iter conuerteret. 3 4

17 Ceterum Aluaradus, dum in haec scelera omnes cogitationes intendit, litteris nuntiisque Didaci Almagri

3 coniecit A : coniicit P | scire A : scirent P
17 1 nuntiisque P : nuntiis A

reuocatus Leonem catenis constringi et Limam duci iubet, ut ibi summo cruciatu et supplicio periret, et Didacum Cantabrum, cui Sanctiago cognomen fuit, ex Chiliensium factione urbi praeficit. is ciues magnis incommodis affecit et Almagrum de omnibus rebus quas
2 eum uelle scire intellegebat certiorem fecit. et Aluaradus quidem eo itinere terrestri quo Piuram uenerat regressus multo atrociora quam antea patrauerat facinora fecit et militibus ut eadem facerent, quo tantis criminibus magis obnoxios haberet, ne se Almagrumque dese-
3 rerent, libenter permisit. quem profecto Alfonsus Aluaradus, si tunc, ut debuit, ex Chaxapoiis cum ea militum manu quam habebat in planum descendisset, haud dubie omnino deleuisset; nam et milites eius palantes dispersosque per agros inuasisset et praeda onustos nullo negotio oppressisset. sed ille occasionem rei bene gerendae praetermisit et eodem tempore quo a Castro praefecto litteras accepit et Garsias Aluaradus Limam
4 rediit in Leuanto loco natura munito se continuit. at uero Garsias Aluaradus quanta potuit celeritate iter illud confecit. quod certe saluti Francisco Cardenae et Antonio Caceri fuit, quos ipse naui ad Sanctam, ut eos una cum Petro Barroso Trugilli summo supplicio mactaret, reduci iusserat. sed hi postea et uincula ruperunt et ad Castrum praefectum Quitum uenerunt.

18 Aluaradus uero cum magno Indorum numero, qui sarcinas auri, argenti, uestimentorum et armorum umeris portabant, praeter equos et alia iumenta quae abege-

2 Aluaradus A : Aluarus P | *post* fecit *plene distinguunt* PA || 4 Caceri *correxi, cf. 7.142.4, 7.161.2* : Cazeri PA, *quod saepe scribunt mss., posthac silentio praetermittam*

rat Limam est reuersus et non minore laetitia quam honore a Didaco Almagro, Ioanne Rada, Didaco Mendezio, Ioanne Balsa et ab aliis eius factionis ducibus et militibus exceptus. qui nullum non flagitii et sceleris 2 genus committebant, urbem sanguine implebant, rapinas, sacrilegia et stupra faciebant et cuncta profanabant. non Caesaris nomen, non imperii maiestas, non sacramenti reuerentia eos a reipublicae pernicie auertebat. at- 3 que eo impudentiae et insolentiae uenerant ut propalam dicerent se nec Carolum V Caesarem regem suum agnituros nec imperata eius facturos, nisi prius omnium criminum quae fecissent animaduersionem et supplicium sibi ipsis remitteret atque condonaret et Didacum Almagrum prouinciae Noui Toleti praefectum constitueret; ac permagno eum aestimare debere, si quintam auri argentique partem uectigalis nomine ipsi penderent; nihil Caesarem impendisse, nihil ad militare stipendium contulisse, sed ipsos suo sanguine, suo labore atque sumptu Peruranas Cuschanasque prouincias explorauisse atque subegisse.

Huc accedebat quod crudelissimi homines, nulla nec **19** dignitatis nec religionis ratione habita, Garsiam Loaysam cardinalem et pontificem Hispalensem, qui Caesaris a summis consiliis et senatus Indici praeses et Indiarum prorex atque praefectus maximus erat, omnibus contumeliis insectabantur. moleste enim ferebant eum summam potestatem, dum Caesar ab Hispania abesset,

18 2 stupra P : strupa A *ut solet* || 3 insolentiae P : solentiae A | V P : Quintum A | condonaret A : condonoret P | quintam P : quinta A
19 1 Loaysam P : Loaisam A

in Indiis habere edictaque et decreta quae ipse faceret
2 proferri et audiri omnesque imperio eius subesse. et quamquam Caesar ut ita fieret edicto regio sanxerat idque non Limae solum sed in aliis etiam Perurae ciuitatibus et oppidis praeconis uoce pronuntiatum fuerat, nihilo tamen setius illi omni timore abiecto apud animos statuerant suos statuam Loaysae cardinalis Dominicano habitu ornatam in suggestu in foro exstructo collocare et perinde eam ac si ille de religione Christiana male sentiret (nam et hoc probrum in insontem iaciebant) cremare. nec dubium est quin eam in conspectu omnium combussissent, nisi eius ordinis uiri religiosi ne id facerent summis precibus a Didaco Almagro
3 impetrassent. id ipsum Petrus Sammillanus homo nequissimus prodere non dubitauit, qui, cum obuiam ei Antonius Maniarius ciuis honestissimus ueniret, 'quaenam sententia est tua,' inquit, 'Antoni Maniari? nam nobis constitutum est statuam Loaysae cardinalis comburere.' 'certe, Sammillane,' respondit ille, 'hoc nequamquam fieri debet, quoniam hic statuam ex paleis cremabitis at in Castella Hispaniae prouincia exemplar est et cardinalis uiuus et qui aliquando detrimentum uobis inferre poterit. nihil ex ea re quam temptatis fructus capietis.' cui Sammillanus, 'utinam istum mona-

edictaque P : edicta A || 2 edicto A : et edicto P | (nam ... iaciebant) *sic distinxi* | probrum P *ut uid.* : probum A | in *ante* insontem *om.* P | eam P² : eum A : *nescio quid in* P | ne A : nec P || 3 prodere P²A : proderet P *ut uid.* | Antonius ... Antoni] *cf. adn. ad 5.50.3* | Sammillane P : -nae A | paleis cremabitis P : palaeis crematibus A | uiuus P : uius A

chum cucullo trahere et quinquaginta calcibus corpus eius caedere possem!' sed et in Franciscum Couum Le- 4 gionensis militiae Diui Iacobi praefectum et a summis secretis et consiliis Caesaris atque in alios principes uiros qui in regia curia Hispaniae erant probra iactabant. quin et senatum Indicum et ipsum cardinalem Hispalensem sceleratissimos et auro argentoque Pizarrorum corruptissimos atque acerbissimos exactores uocabant eosque omnium seditionum, rebellionum et Perurae defectionum causam fuisse affirmabant, ideoque tam nefaria scelera non alio supplicio quam igne a rege expianda.

Etenim ut Almagrus et duces eius maledictis et iniu- 20 riis non abstinebant, ita nec manibus nec caedibus temperabant. nam Rada, Sotellus et Carrillus Ioannem Villalupum et Franciscum Rodericum comprehenderunt, quod suspicarentur eos ad Castrum praefectum uelle profugere, ut quae Limae tum ab Almagro, tum ab ipsis patrarentur confestim ei renuntiarent. et quo causam 2 ipsi obtruncandi eos haberent, acerrimis tormentis inuenire quod uolebant contenderunt. sed nihil illi confitentes uim tormentorum adeo pertulere ut, quamuis absoluti, tamen luxatis deinde membris semper fuere. coeperunt etiam inter ipsos Almagri duces seditiones 3 oriri; neque enim diuturna inter eos qui praecipiti dominandi cupiditate flagrant atque ardent concordia esse potest. in his Franciscus Chauius Chiliensis et Henricus iuris consultus praefecti et Franciscus Nunezius centurio inuidia conflagrantes aegerrime ferebant sum-

post possem *sic distinxi* || 4 sed et A : sedet P
20 3 enim *om.* A

mam imperii penes unum Ioannem Radam Montanum esse. itaque cum amicis et clientibus in eum conspirant atque inter se constituunt ut et Radam occidant et Almagrum capiant eumque ad Castrum praefectum du-
4 cant. sed ea res tristem et miserabilem exitum habuit, quippe illi ab his proditi qui erant coniurationis participes in uincula coniciuntur. at Chauius et Henricus a Ioanne Balsa et Bartholomaeo Arbolancha iussu Almagri secreto ad Callaum portum adducti capitibus abscisis e
5 naui in mare proiciuntur. Nunezius uero in Nicaraguam relegatur et, cum in eam transportaretur prouinciam, obtinuit ut e naui in Tumbezium eiceretur. qui eo animo inde Quitum est profectus, ut Castro praefecto, quo ueniam delicti ab ipso impetraret, arcana Almagri proderet et consilia cogitationesque eius apertissime planissi-
6 meque explicaret. sed equum in uia nactus sententiam mutauit iterque auertit et in Popaianam ad Sebastianum Benalcazarem praefectum se recepit, qui secreto partes Almagri fouebat. nec ille, etiamsi Castrus omnem adhibuerit diligentiam, comprehendi umquam potuit.

21 Iam uero Almagrus insatiabilem crudelitatem suam etiam in quattuor liberis Francisci Pizarri praefecti, quorum maximus natu uix octauum agebat annum, exercuit; eos enim simul cum Agnete ea, quae Francisci Martini Alcantarensis coniux fuerat, in nauem imponi et in insulam quandam desertam, ut ibi aut fame absumerentur aut a feris discerperentur, deferri iussit. uerum magister nauis cui traditi fuerant misericordia per-

4 aducti P : ducti A
21 1 liberis P²A : libris P | quorum A : quarum P | exercuit P : excercuit A

motus pueros seruauit atque una cum Agnete uidua in terram ad Tumbezium exposuit, unde Piuram illi et inde ad Castrum praefectum sunt perducti. quos ipse 2 summo amore et studio suscepit incolumesque, ne Limae ab Almagro interficerentur, Trugillum misit uectigalesque Indos quos ibi Franciscus Pizarrus pater habuit, ut commode tractarentur et alerentur et liberaliter instituerentur, eis attribuit. praeterea Didacus Almagrus 3 Antonium Maniarium, Rodericum Lopem, Gomezium Lunam, Antonium Perezium Schibellum, Martinum Salam, Ioannem Spinozam et alios ciues, quod eos suspectos haberet, Arequippam, ut ibi necarentur, naui deferri iubet. at hi uincula rumpunt et naue arrepta in Paitam appellunt indeque iter ad praefectum intendunt.

Ceterum eodem tempore litterae et edicta Vaccae Castri una cum decreti regii exemplo, quo Caesar utramque praefecturam Nouae Castellae et Noui Toleti Francisco Pizarro praefecto mortuo Vaccae Castro dabat, ad Didacum Almagrum et duces eius perferuntur. earum 2 litterarum, sicuti supra rettulimus, summa erat: se saluum et incolumem Quitum iam uenisse, ut munus sibi a Caesare commissum exsequeretur et dissidii causas inter ipsum et Franciscum Pizarrum praefectum cognosceret, controuersias dirimeret, in reos animaduerteret et mores omnium componeret atque reformaret; uerum enimuero, cum Franciscus Pizarrus totius Perurae prae- **22**

3 Antonium Maniarium] *cf. adn. ad 5.50.3* | Antonium Maniarium ... Lunam *om.* A | Antonium] *cf. adn. ad 5.50.3* | Schibellum] Squibellum PA | Salam P : Solam A | ibi *scr. To.* : sibi PA | necarentur P : -retur A

22 2 summa P : summam A | incolumem *correxi* : -men PA

fectus et Caesaris legatus maximus acerbissimo fato concessisset, se ex regio Caesaris decreto, cuius exemplum ad eum mitteret, in demortui locum successisse; ideo ipse magistratu se abdicaret, exercitum dimitteret et ad se Quitum priuatus ueniret; se quod ex iure esset

3 facturum. ad haec Almagrus respondit se Peruram prouinciam ex Caesaris etiam decreto cum imperio obtinere; Castrum inique facere, qui se in suo iure impediret, et, nisi liberam eius prouinciae possessionem sibi traderet e uestigioque discederet, se non pro patre eum sed pro hoste habiturum finibusque Quitiae armis expulsu-

4 rum. Didacus etiam Mora aerarii Trugillensis praefectus, quem Garsias Aluaradus auro argentoque exspoliauerat, nuntium cum litteris arcanis et his quidem in capulo gladii conclusis ad Almagrum misit, quibus certiorem eum faciebat Vaccam Castrum Quitum peruenisse et diplomate regio in senatu recitato, ex quo constabat prouincias Perurae ei a Caesare decretas esse, ingenti ciuium laetitia acceptum et praefectum maximum Perurae appellatum; hoc in urbibus Guaiachilia, Portu Vetere, Piura et Trugillo factum eumque cum his militibus Hispanos quos collegisset quam primum in Piuram descensurum; proinde satius esse ut sibi suisque prospiceret et in Caesaris fidem rediret; neque enim se dubitare, si id faceret erroremque suum omnino deponeret, quin Castrus praefectus amore paterno Almagrum supplicem excepturum et pro sua clementia et humanitate, qua ipsum praeditum esse audiebat, ueniam immunitatemque ei daturus esset.

3 ad A : at P | pro patre *scripsi* : patre P : pro parte A || 4 *post* recitato *sic distinxit To., plene* PA

Sed tantum abest ut Almagrus, his litteris acceptis, **23** ab instituta rebellione et defectione destiterit ut animum etiam ad crudelem superbamque uim conuerterit. ac imprimis diligenter cauit ne quid de Vaccae Castri rebus per urbem euulgaretur; deinde, ut animo erat obstinato, decreuit nec Vaccam Castrum praefectum et legatum Caesaris admittere nec Caesari ipsi parere, sed infesta in praefectum regium signa inferre ipsumque, si posset, in acie obtruncare. ceterum Almagrus, cum a 2 nullis maleficiis temperaret, quo ambitioni cottidianisque sumptibus copiae suppeterent, unde etiam milites aleret, de aerario, sicuti Petrus Salinas senatus Limensis et regius scriba prodit, quinquaginta aureorum milia et ex defunctis et pupillis sexaginta milia, quae apud Mazuelam et alios ciues deposita erant, et a Martino Decio milia undecim, quae Ferdinandus Pizarrus ei crediderat, et a Francisco Herrera octo milia, quae Ioannis Carrerae erant, ac demum a Didaco Caruaiale amplius milia duo abstulit. hanc pecuniarum tantam 3 summam praefectis, centurionibus et militibus distribuit. qua certe largitione omnes sibi magis obstrinxit et criminibus, ne se deserere auderent, obnoxios fecit. turmas et cohortes ex dilectu quem in ea egit urbe suppleuit equisque et armis instruxit. tormenta etiam 4 bellica tam ex aere quam ex ferro, quae in urbe ac portu Callao erant, rapi iussit. sed Petrus Candia, homo Cretensis et transfuga perfidus, nouem tormenta campestria haud iis absimilia, quibus nomen a colubris est inditum, fudit atque ingentem pulueris puluisculi-

23 1 nec *ante* Vaccam P : ne A || 2 senatus] *an* senator? | Decio A : Dezio P || 3 quem A : quae P

que tormentarii et quidem exactissimi uim confecit. ad haec Antonius Perezius praeter alia arma magnum tor-
5 mentorum manualium numerum fecit. et quo celerius haec expedirentur, nonnulli ex Almagri ducibus faciendis armis praeerant. alii et equos et arma diligenter undique conquirebant. nam ex edictis quae Almagrus dabat quod quisque uellet auferebat et ad bellum quod totum in Castrum praefectum intendebatur se comparabat.

24 Iam uero Almagrus, Rada, Aluaradus, Balsa et alii praefecti et centuriones de bello consultantes statuunt et deliberant sese fortiter et audacter defendere, Peruram tueri et praefectum ex Quitia depellere et cum Sebastiano Benalcazare Popaianae praefecto, quem sciebant ad Chilienses inclinare, societatem inire; tum praeterea naues quae in Callao, Sancta, Paita, Tumbezio et aliis Perurae portibus essent capere et austrinum mare classe instructa infestum habere Panamamque et No-
2 men Dei occupare; tum demum necessitate coactos nauibus inde arreptis in Galliam traicere et auxilium a Francisco rege, qui bellum cum Caesare tunc gerebat, petere ac foedus cum eo percutere et se Peruramque fidei potestatique regis committere atque credere; quod, si nihil auxilii in Gallo esset, tunc ipsi ad Ariadenum Ahenobarbum Othomannicae classis praefectum maximum aut ad ipsum potius Solymanum Othomannum Turcarum imperatorem confugerent et sese Peruranas-
3 que prouincias in potestatem eius traderent. tanto scele-

5 quisque A : quis P
24 2 Othomannicae P : Octhomanicae A | Peruranasque P : Peruranas A

re et furore omnes inflammati erant ut peruerse et impudenter nec iam in secreto modo sed in publico etiam ac foro dicerent numquam Caesarem Perurae imperio potiturum nec se ei obtemperaturos, nisi prius ipse Loaysam cardinalem Hispalensem, quem Orpam episcopum, et Ioannem Xuaraeum Caruaialem pontificem Lucensem, quem Ganelonem comitem, et Venturam Beltrandum iuris consultum, quem Iudam Iscariotem uocabant, de senatu Indico moueret.

25 At uero Almagrus, ut auritiam ingenti pecuniarum ui expleret, qua exercitum alere et sumptus in rem militarem facere posset, eos qui uectigalibus regiis praeerant ex aerario mouit et alios nomine suo in ipsorum locum suffecit. 2 sigillum etiam regium quod auro et argento puro imprimebatur adulterauit tantique aurum et argentum rude quanti purum ualere signoque adulterino obsignari iussit. nec quota portio argenti uel aeris in auro esset coticulis explorare permisit, sed omnes nulla scripularis differentiae ratione habita aurum et argentum uilioris materiae et ponderis pro puriore et pretiosiore accipere cogebantur. 3 quod Antonius Perezius Schibellus se signo adulterino signatum uidisse, quamquam aliud postea Almagrus Cuschi edicto cauit, et quod partium esset duodecim pro duabus et uiginti se accepisse testatur.

3 Xuaraeum A : Xaaraeum P | Caruaialem pontificem Lucensem *om.* P : *add. in marg.* P[2] | Venturam Beltrandum A *(cf. adn. ad 4.48.4)* : Beltrandum Venturam P

25 1 ipsorum A : ipsum P || 2 nec quota ... esset *om.* P : *add. in marg.* P[2] || 3 Antonius] *cf. adn. ad 5.50.3* | Schibellus] Squi- PA

26 Praeterea Almagrus, quo nefariam saturaret crudelitatem, Iamaicam regulum Ioannis Ximenii stipendiarium uiuum combussit et Ioannes Balsa alios Indorum regulos, quod partis essent regiae, uirgis ad necem caesos laniari atque unum ex his uiuum flamma torreri fecit. 2 parum etiam afuit quin Vincentius Valuerdus Dominicanus, primus Cuschi pontifex, qui forte tunc Limae erat, de pulpito deturbaretur atque in templo obtruncaretur, quod in contione, quam ad populum haberet, Almagrum et duces eius pergrauiter reprehenderet et scelera errataque ipsorum non aliis suppliciis quam ignibus infernis expianda esse diceret. is cum uideret Chilienses nullum rapinarum finem facere caedesque caedibus cottidianis accumulare, clam ex urbe una cum Ioanne Velaschio iuris consulto et aliis uiris optimis profugit. qui unam ex iis nauibus quae in portu retentae erant conscendentes in Tumbezium nauigauere. 3 Garsias etiam Leo iuris consultus, quem Garsias Aluaradus uinctum Almagro tradiderat, sese ex custodia periculoque mortis eripuit.

27 Dum hae res tam nefariae a Chiliensibus Limae committuntur, Ioannes Dentius, unus ex iis legatis quos Didacus Almagrus, perpetrata Francisci Pizarri caede, cum litteris et mandatis ad colonias et municipia miserat, Cuschum uenit et litteris Didaci Almagri redditis facile impetrauit, nitentibus etiam Chiliensibus, quorum 2 magna illic erat turba, ut in senatu recitarentur. summa autem litterarum et mandatorum Almagri erat: se in

26 1 *post* crudelitatem *sic dist. To., plene mss.* | Ioannes A : Ioannis P | Balsa P : ***asa A || 2 pergrauiter P[2]A : grauiter P
27 1 hae A : haec P | nefariae A : -rie P

Didaci Almagri patris sui uindictam, qui Cuschum obsidione Mangi Hingae liberauisset eamque urbem praefectus a Caesare creatus consiliis rexisset et armis defendisset multisque et magnis beneficiis ciues affecisset ac demum in omnium conspectu et in medio ipsius urbis foro ab iis quos ipse suis opibus in summum honoris et dignitatis gradum extulerat obtruncatus fuisset, Franciscum Pizarrum interfecisse ac se post eius obitum a senatu populoque Limensi praefectum Perurae maximum appellatum fuisse et ut id ipsum facerent ab eis postulare et uehementer contendere, atque eo magis quod praefectura regni Noui Toleti sibi quodam iure deberetur uel ex eo decreto quod Almagrus pater uiuens a Caesare habuisset; itaque eos ex aequitate atque e Caesaris reipublicaeque commodo facturos, si Limensium exemplo se sine mora praefectum Noui Toleti renuntiarent atque acciperent gratiamque hanc Almagro patri mortuo ac de ea urbe Cuschanaque prouincia bene merito referrent. 3

Erant tunc iudices ciuilium capitaliumque rerum Didacus Sylua Feliciani Syluae Ciuitatensis, qui fabulosas historias de Amadisio eiusque nepotibus uernaculo elegantique sermone conscripsit, filius et Franciscus Caruaialis, qui postea tribunus militum Consalui Pizarri fuit. hi rem per altercationem ducunt atque auctoritate sua ita extrahunt, ut senatus nec concedere nec negare quod peteret Almagrus auderet, sed Ioannem Dentium cum hoc responso, senatum populumque Cuschanum imperium Almagri accepturum eumque, statim ut de- **28** 2

2 consiliis A : -lii P
28 1 Sylua P : Sylba A | fabulosas A : fabulas P

cretum regium cum plena potestate ad se miserit, praefectum Perurae maximum declaraturum, dimitteret et Gabrielem Roiam Collarensem praestanti uirtute equi-
3 tem urbi nomine Caesaris praeficeret. aberat tunc Cuscho Antonius Gama iuris consultus, qui imperio, auspicio et nomine Francisci Pizarri praefecti rempublicam gerebat atque gubernabat, et Gomezius Tordoia princeps senatus, qui eo forte die aucupandi gratia in campum excurrerat. is, nuntio de morte Ioannis Vargae filii sui, qui fortissime una cum Francisco Pizarro occubuerat, a senatu accepto, collum accipitri, quem sinistrae manus pugno gestabat, dextera torsit atque in terram proiciens 'tempus est' inquit 'nunc pugnandi non aucupandi', concitatoque equo urbem repetit et nocte ingressus senatum cogit, laudat et in posterum confirmat et segniores castigat et omnes ad bellum incitat aperteque et acriter monet ut arma pro salute communi, pro libertate, pro Caesare in parricidas, sacrilegos, latrones et
4 proditores capiant. 'euocentur' inquit, 'undique ex Charcis, ex Goamanga, ex Arequippa et ex aliis Cuschanae prouinciae urbibus milites, atque eo magis quod fama iam perlata sit Christophorum Vaccam Castrum Caesaris legatum saluum et incolumem Quitum peruenisse. nec dubito quin primo quoque tempore litterae nobis ab eo afferantur omniaque ex sententia eo duce
5 succedant.' et Tordoia quidem, cum animos omnium confirmauisset et quid fieri uellet docuisset, antequam

2 declaraturum A : declaratum P || 3 aucupandi P : occupandi A | promptos *post* laudat *fort. supplendum coll. Caes. Ciu. 1.3.1* | libertate A : libertateque P || 4 incolumem A *ut uid.* : incolumen P, *ut solet* || 5 quid P : quod A

illucesceret, urbem egressus ad Nunium Castrum, qui in eo proelio quod ad Salinas factum est ordines sub Ferdinando Pizarro duxerat, se contulit et quae Chilienses Limae commisissent exposuit. ac primum ambo communicatis inter se consiliis Petrum Anzurium, qui per id tempus Charcis praeerat, et Didacum Roiam, qui Platam oppidum tenebat, Cuschum euocant. hi re ex litteris et ex nuntiis cognita uehementer commouentur et Caesari reique publicae se non defuturos pollicentur.

29 Deinde uero Tordoia et Castrus ad Petrum Aluarum Holguinum, qui in Choquiapiam regionem ui cum militibus ferme centum Hispanis inuaserat, ut eam armis subigeret et in Hispaniae dicionem redigeret, magnis itineribus contendunt. 2 qui ubi eo peruenere, omnia Holguino quae a Chiliensibus patrata Limae essent ordine recensent eumque monent atque hortantur ut rem se dignam Caesarique gratam et reipublicae utilem suscipiat e uestigioque afflictis rebus ad tempus occurrat et se pro Caesaris honore atque dignitate ac pro patriae salute periculis opponat, ut qui probe intellegeret malum nascens facile opprimi, inueteratum uero plerumque robustius fieri; magnam inde ipsum, si id faceret, gratiam apud Caesarem initurum immortalemque sui nominis memoriam posteris relicturum. ac demum promittunt ambo sancteque iurant se omnium primos fore qui sub eius signo militent imperioque pareant. 3 Holguinus

urbem A : urbe *in f.* 266^{r}; *et* urbē (266^{u}) P | illucesceret *corr. To.* : illuscesceret P *p. corr.* : illusceret A

29 1 in *ante* Choquiapiam *om.* P || 2 malum ... fieri] *cf. Cic. Phil. 5.31* | Caesarem P : Caesare A | sancteque P : sanctaeque A

his rebus et precibus eorum adductus et quod Francisci Pizarri praefecti caedem aegerrime ferret, quamquam uidebat rem sibi cum acerrimis et crudelissimis inimicis futuram, tamen bellum contra Caesaris et reipublicae hostes se suscepturum respondit et conuocatis militibus signum efferri iussit et, Choquiapia relicta, quam celerrime potuit una cum Tordoia et Castro Cuschum est reuersus.

30 Iam omnium fama de Vaccae Castri Caesaris legati in Peruram aduentu erat consentiens, quo fiebat ut multi ex iis qui euocabantur spe praemiorum atque ordinum Cuschum uenirent. multi etiam ex Hispanis qui uectigales stipendiariosque Indos habebant undique arcessuntur. urbs militibus completur et senatui libera decernendi potestas permittitur. qui omnium ciuium et militum assensu Petrum Aluarum Holguinum copiis praefecit ac data fide se ei sumptus, quos in hoc bellum impenderent, si Caesar eos non admitteret, remissurum 2 obstrinxit. Holguinus dilectu habito Gomezium Tordoiam tribunum militum creat et equitatui Petrum Anzurium et Garcilassum Vegam, peditatui uero Nunium Castrum praeponit et uexillum regium, sub quo amplius trecenti milites Hispani mittuntur, Martino Roblio 3 tradit. haec sane res animos eorum qui factionis erant Chiliensis ita consternauit ut complures ex urbe ad Didacum Almagrum profugerent. ex quibus quinquaginta a Nunio Castro et Ferdinando Bacchicao, qui eos cum expeditis militibus tormentariis insequebantur, ex fuga 4 retracti et in uincula coniecti fuere. ceterum Holguinus,

3 et *ante* crudelissimis *om.* P

30 1 admiteret A : amitteret P || 2 peditatui A : peditui P || 3 Bacchicao *correxi, cf. 7.9.1, 7.100.1* : Bachicao PA

cum intellegeret Didacum Almagrum supra septingentos milites Hispanos et armis et equis instructos sub signis habere eumque periniquo et infesto animo in Cuschanos esse, non amplius sibi exspectandum existimauit, sed, praesidio in urbe relicto, copias eduxit et iter Quitum per Peruram montanam, ut Vaccae Castro praefecto se adiungeret, eodem ferme tempore direxit quo Almagrus, ut supra docuimus, Garsiam Aluaradum ex Piura reuocauit, propterea quod Ioannes Dentius, qui incredibili celeritate Limam redierat, postulata ipsi rettulisset quae senatus Cuschanus, quominus eum praefectum Perurae maximum appellaret, consulto interposuerat et quod Almagrus ipse ex amicorum crebris litteris et nuntiis cognouisset altera ex parte Cuschanos summa ope bellum parare, milites undique cogere atque eos sub Petro Aluaro Holguino duce ad Vaccam Castrum praefectum mittere, altera Petrum Anzurium in Charcis atque alios duces Platae, Goamangae et Arequippae signa militaria nomine regio efferre.

31 Quibus rebus Almagrus cognitis ira incensus uexillum proponit, bellum contra patriam et Vaccam Castrum Caesaris legatum et Cuschanos infert, ut qui diceret hos rempublicam et otium perturbare, omnia tumultibus miscere et seditiones et discordias per uniuersam Peruram concitare atque ea nefaria crimina in eos intenderet, quae ipse et factionis suae principes

4 instructos A : instructis P | Dentius P : Detius A | celeritate P : sceleritate A | praefectum *ante* Perurae P : praefectus A | *post* interposuerat *plene distinguunt* PA | summa P : summam A | Aluaro A : Aluarado P | Arequippae P : Arequipa A

31 1 principes A : princeps P

et defectionis coniurationisque et consiliorum partici-
2 pes et socii et adiutores impudentissime facerent. porro ex his Ioannes Rada Montanus, omnium scelerum princeps atque caput, summam belli administrabat, Garsias Aluaradus, Christophorus Sotellus, Didacus Hozius, Ioannes Tellius, Martinus Bilbaus, Didacus Mendezius et Petrus Onnatius turmis equitum praeerant; Franciscus Cardenas, Ioannes Olea, Marticotus et Ioannes Perezius pedites ducebant; Petrus Candia Cretensis rei
3 tormentariae praepositus erat. sed et Almagrus, antequam milites ex urbe educeret, non equos, non arma ciuibus, quibus sese aduersus Indos hostes defenderent, reliquit; omnia enim per uim abstulit nec ea, etiamsi nomine ciuitatis milia aureorum triginta a Ioanne Guer-
4 rerio iuris consulto ei darentur, reddere uoluit. is cum octingentis fere militibus Hispanis et magna Indorum turba, qui tormenta bellica et impedimenta umeris portabant, ex urbe egressus, ut Holguinum Cuschanosque milites interciperet atque deleret, castra interuallo mille passuum ab ea posuit.

32 Insequenti autem die Franciscus Carrenus, quem cum litteris et edictis a Vacca Castro missum supra dixeramus, priusquam illucesceret, habitu Indico, quo custodias falleret, Limam est ingressus et ad Montenigri ciuis honestissimi domum deuertit, inde in Diui Domi-
2 nici aedem se recepit. erat tunc in Perura Dominicanorum magister Thomas Sammartinius pietate insignis et disciplina et studio sacrarum litterarum eruditus, cui

2 Onnatius P : -zius A
32 1 illucesceret *corr. To.* : illuscesceret P : illusceret A ||
2 Sammartinius *correxi, cf. e.g. 6.33.3* : -tinus PA

Carrenus quae in mandatis a Vacca Castro habebat exposuit et fasciculum litterarum quem ab eo afferebat dedit. Thomas fasciculum explicat et ex litteris quid e Caesaris reique publicae commodo sit cognoscit extemploque unum atque alterum ex senatoribus quos fidissimos Caesari esse sciebat et in his Franciscum Barrium Nouum, Alfonsum Richelmum, Guilielmum Xuaraeum Caruaialem et alios, quos Almagrus magistratu mouerat, secreto ad se arcessit. illi celeriter in Diui Dominici aedem conueniunt. Thomas primum litteras quas a Vacca Castro acceperat profert ac recitat, ex quibus facile omnes intellexere curam et procurationem reipublicae Peruranae a Vacca Castro nomine regio ac suo cum plena potestate Thomae Sammartinio Dominicanorum magistro esse commissam. deinde exemplum decreti regii exhibet, quo Caesar utramque praefecturam Nouae Castellae et Noui Toleti Vaccae Castro post Francisci Pizarri praefecti obitum decernebat; postremo, quo fide haberetur, rem testimonio publico et ab regio scriba obsignato confirmat, quod praeclarum, firmum et graue senatus populusque Quitiensis iudicii sui dedit, ex quo aperte constabat Christophorum Vaccam Castrum ex decreto regio praefectum Perurae maximum et Caesaris legatum Quiti fuisse appellatum. quibus rebus omnes qui aderant adducti Thomae Sammartinio acclamant et, quod faustum felixque reipublicae Peruranae esset, Vaccam Castrum praefectum Perurae appellant, sed eam tunc rem, quod imminere sibi periculum mortis putarent, occultam esse iubent. at Thomas Sammartinius, ut

3 4 5

Guilielmum *correxi, cf. 5.68.6* : Guilliel- A : Guillel- P || 5 imminere A : -ret P | Sammartinius A : -tinus P

rebus publicis consuleret, Franciscum Barrium Nouum iudicem ciuilium et capitalium rerum constituit et Hieronymum Haliagam regis et Vaccae Castri praefecti nomine urbi praeficit.

33 Ceterum hoc ne eo quidem die celari potuit. multi enim id quod in Diui Dominici aede actum erat suspicabantur conciliaque et conuenticula hominum per uicos et fora fiebant sermonesque tota urbe dissipabantur Christophorum Vaccam Castrum praefectum Perurae 2 maximum in aede Diui Dominici esse appellatum. quod ubi Christophorus Sotellus, qui Almagri nomine praeturam gerebat, ab amicis audiuit, Ioanni Castro inquit iuris consulto: 'inquire, Castre, quid hoc sit quod per urbem circumfertur, ut ego continuo in istos qui mentes animosque hominum perturbant uerberibus aut poena potius capitali animaduertam.' at ille, 'nihil aliud est quam id quod Augustinus Dominicanus mihi modo rettulit: Christophorum Vaccam Castrum in Diui Dominici aede praefectum Perurae ex decreto regio a senatu Thoma Sammartinio Dominicano auctore esse appel- 3 latum.' Sotellus, re cognita, urbe excedit et ad Didacum Almagrum aduolat et quae Limae agantur et quae acta sint ipsi renuntiat. qui magno percitus furore Garsiam Aluaradum hominem crudelissimum eo mittit. is subito Thomam Sammartinium Dominicanum, Franciscum Barrium Nouum, Guilielmum Xuaraeum Caruaialem Caesaris procuratorem et Didacum Aguerum (reliqui

urbi A : urbe P

33 1 celari *corr. To.* : caelari PA | Dominici *ante* aede P : Donici A | *post* dissipabantur *plene distinxit* P || 3 Guilielmum *correxi* : Guilli- PA | (reliqui ... profugerant) *sic distinxi*

enim, statim ut negotio interfuissent, ex urbe profugerant) comprehendit eosque uinctos astrictosque Almagro tradidit. quos ipse in custodiam Aluarado dedit iussitque ut separatim, ne quis adire inuisereue eos posset, a castris ducerentur, quippe qui in animo habebat eos sed imprimis Thomam Sammartinium acerbissima morte afficere, propterea quod is ex suggestu saepe praedicaret Almagrum et Chilienses patriae hostes et regi suo perfidos et rebelles esse atque eos iniustum bellum in Cuschanos et alios Caesaris amicos et clientes inferre manifestasque caedes facere et nefaria latrocinia agitare nec sacris parcere, proinde ipsos cum in uita tum maxime post obitum in inferis poenas Deo, Caesari et reipublicae meritas debitasque persoluturos, et quod etiam ille praecepisset atque interdixisset sacerdotibus Dominicanis ne quis ullum ex praefectis, centurionibus militibusue Almagri, qui expurgandi animi causa ad aedem Diui Dominici adiret peccataque sua confiteretur, prius absolueret quam in fidem deditionemque Caesaris rediret et quae rapuisset confestim restitueret. quo fiebat ut multi aut a Thoma contionante aut a Dominicanis, qui eos confitentes audiebant, inducti ad Caesarem deficerent. quod ubi Rada intellexit, palam clamauit plus detrimenti atque calamitatis a Thoma contionatore et a Dominicanis, quod hi a Caesare et Castro eius legato constanter starent, Chiliensibus inferri quam ipsi a Ferdinando Pizarro proelio ad Salinas uicti accepissent.

4

5

34 Etenim Rada et Aluaradus et ceteri praefecti et centuriones Didaci Almagri in dies non Thomae contionibus, non Dominicanorum persuasionibus, sed scelerum suorum conscientia cruciati iam uidebant se quo acerbiora crimina fecissent eo grauiora supplicia passuros, praesertim cum pro comperto ipsi haberent Hispanos Cuschanae prouinciae colonos infestis animis et armis,

ut se Vaccae Castro adiungerent, quo eos coniunctis uiribus nullo negotio omnino delerent, iam uenire et Castrum tum in aliis Perurae planae urbibus, tum Limae, ipsis paene uidentibus et audientibus, pridie in aede Diui Dominici priuatim quidem et occulte at postridie publice et aperte praefectum maximum esse appellatum.
2 eo enim die Petrus Heraedia et Gomezius Roias, Vaccae Castri legati, Limam uenere; hic autem e uestigio inde discessit et, ne in Didaci Almagri exploratores incideret, ea uia regia Perurae planae quae Cuschum ducit iter nocte ac die, quo celerius in eam perueniret urbem, continuauit; ille uero litteras, quas una cum
3 edictis et decretis regiis pertulerat, senatui reddidit. qui, ubi recitatae fuere, ingenti omnium consensu atque laetitia, quod ciues iam in magna essent spe se a ceruicibus iugum seruile deiecturos et tam saeuam crudamque tyrannidem destructuros, Vaccam Castrum praefectum appellauit et decretum regium more solemni per fora perque omnes uicos magna praeconis uoce pronuntiari
4 iussit. deinde uero imperium Sotello, Peccio, Carrillo et Onnatio abrogauit et Caesaris et Castri eius praefecti nomine magistratus creauit. ac Ioannem Alfonsum Pacensem post aliquanto cum mandatis et Castri praefecti litteris quas Heraedia simul cum edictis et decretis regiis attulerat ad Didacum Almagrum misit, qui tunc castra ad Sotechumbriae deuersoria milia passuum ab urbe octo habebat.

34 1 delerent A : delere P | Heraedia P : Heredia A || 4 Onnatio A : Oñatio P | Pacensem *corr. To., cf. e.g. 5.57.2* : Paccen- PA

35 Erant hae litterae eiusdem fere argumenti atque alterae, quorum exemplum supra scriptum est, sed paulo liberiores, quibus praefectus Didacum Almagrum ducesque et milites eius monebat ut a defectione rebellionesque subito desisterent, bello absisterent et ad se uenirent, edictisque regiis audientes essent et consiliis suis et imperio parerent ac tum denique cauerent ne contra leges regias committerent et his condemnarentur, quae ab Hispaniae regibus in patriae hostes, in proditores atque in rebelles et sicarios essent constitutae. 2 quarum capita in eas litteras Castrus inseruerat, ne Almagrus neue duces eius se inscientes contra leges fecisse dicerent, sed plane omnes scirent hoc multo ante sibi denuntiatum atque praedictum a Castro praefecto fuisse.

36 Ceterum Almagrus Ioannem Alfonsum Pacensem accedere ad castra uetuit, sed Didacum Hozium et Ioannem Balsam ei obuiam exire iussit. quibus ipse haud amplius mille passuum interuallo a castris occurrit et coram Didaco Nunezio Mercado Caesaris procuratore litteras cum edictis et decretis regiis ad Didacum Almagrum dedit et senatus mandata rettulit. 2 quorum summa erat: senatum populumque Limensem ex Caesaris decreto, ne maiestatis laesae arcesseretur, Christophorum Vaccam Castrum praefectum Perurae maximum appellauisse et accepisse et regis nomine eos magistratus aliis dedisse, quos ipse Almagrus, Francisco Pizarro praefecto trucidato et urbe occupata et direpta, Sotello, Peccio,

35 1 praefectus P : praefectum *in* praefectus *corr.* A *ut uid.* | tum P : tunc A

36 1 Pacensem *corr. To.* : Paccen- PA || 2 Peccio A : Pezio P

Carrillo et Onnatio mandauisset; praeterea senatum eas litteras Castri praefecti et edicta et decreta ab scribis regiis obsignatas ideo mittere, quo magis ipse fidem haberet et clarius intellegeret iure senatum hoc fecisse; eum uero monere atque hortari ut supplex, armis sine mora positis, ad Castrum praefectum confugiat; quod si fecerit, haud dubiam rem fore quin ille pro sua clemen-
3 tia eum suscipiat atque defendat. Hozius autem et Balsa litteris et mandatis acceptis in castra reuertuntur et Almagro litteras reddunt et his mandata addunt, quae se-
4 natus legato ad eum dedisset. ad haec Almagrus, cum prius ea quae Castrus scripserat cum praefectis et centurionibus communicasset, ex omnium sententia respondit senatum populumque Limensem iniquissime fecisse, qui se inconsulto primo in occulto post in publico Vaccam Castrum praefectum appellarit decretumque regium pronuntiari more solemni fecerit Sotellumque et alios, quos ipse nomine suo gerendis rebus publicis praefecisset, magistratu abire iusserit, et quod perinde Vaccae Castro ac si praesens tunc fuisset ciues acclamarint; itaque se tam atroces iniurias quas sibi Limenses intulissent non neglecturum, sed ciuitatem direpturum et Thomam Dominicanum et Franciscum Barrium Nouum et ceteros, a quibus impulsi inducti-
5 que fuissent, ilico suspensurum. cum hoc responso et contumeliosis in senatum litteris mortem ciuibus minitans Ioannem Alfonsum legatum dimisit signaque subito conuelli castraque moueri iussit. parum certe afuit

praeterea P : prepterea A | suscipiat *correxi* : -piet PA || 4 ad A : at P

quin illa in urbem conuerteret, ut eam ferro flammaque funditus euerteret, senatum occideret et ciuium domos diriperet, sed ueritus ne milites dissiparentur e castrisque profugerent, quod Vaccam Castrum praefectum Perurae esse audirent, in Xauxam ire contendit.

37 At Ioannes Alfonsus legatus Limam reuersus litteras Didaci Almagri senatui dedit et, cum ea quae ipse minitabundus respondisset propalam diceret, tantus omnes terror inuasit ut plerique, sed ii praesertim qui partis erant regiae, ciuitatem desererent. pars ad montes diffugiunt, pars in fugam effusi Trugillum petunt, pars raptim cum coniugibus et liberis ac bonis in naues quae in portu Callao erant sese recipiunt. 2 iam enim Hieronymus Haliaga Castri praefecti legatus litteris ab eo monitus eam nauem longe omnium maximam et instructissimam quae Francisci Pizarri praefecti fuerat et ex Paita in Callaum iam uenerat et alias custodiis Almagri in portu retentas atque seruatas ceperat et in potestatem suam redegerat. quae res animos uiresque hostium maxime fregit classemque deinde praefectus habuit, qua mari non clauso sed a praedonibus libero milites, equos, commeatus et arma undique transportare in Peruram posset.

38 Interim Petrus Aluarus Holguinus Goamangam uenerat. qui cum ab exploratoribus certior esset factus Didacum Almagrum Lima, ut cum Cuschanis manum in ualle Xauxa consereret aut eos intercluderet, ne se Castro praefecto iungerent, copias tam equestres quam pedestres eduxisse, iter quam potuit maxime accele-

38 1 esset P : esse A

rauit, quo et anteuerteret et Cuschanos incolumes ad praefectum duceret.

39 Iam Almagrus castra ad Guarochiriae deuersoria haud procul a Xauxa posuerat, ubi grauis et mortifer morbus Ioannem Radam Montanum eius legatum inuasit. qui iam moribundus conuocatis praefectis et centu- 2 rionibus dixit: 'ego uero, duces, quod Didaco Almagro adulescenti debui iam persolui. uos omnibus neruis contendite ut quam primum Cuschanos intercipiatis. facile eos opprimetis, ut qui cum trecentis tantum militibus sitis dimicaturi. quod si eos non intercluditis aut proelio nunc abstinetis, post cum plus mille hostibus 3 armis decertabitis. at si mihi creditis, e uestigio armis positis ad Christophorum Vaccam Castrum (est enim sine dubio ille ex diplomate regio et Nouae Castellae et Noui Toleti praefectus maximus et Caesaris legatus) confugietis et misericordiam eius implorabitis atque exposcetis. eximite, duces, eximite hunc miserum adulescentem Didacum Almagrum ex culpa. quid enim hic culpae argui debet? hanc omnem in uos conicite aut in me potius, qui princeps et caput omnium scelerum sum et Francisci Pizarri interfector. nam reliquos eius occisores longe procul a uobis, ne usquam amplius appareant, relegate. iam morior. supplices a praefecto sine mora ueniam petite; non enim dubito quin eam impetretis. quod si feceritis, beati felicesque eritis; sin minus, iam corpora omnium uestrum membratim discerpi dila- 4 niarique uideo.' haec dicentem Radam subito uires uoxque et uita deficiunt. haec Radae mors nec Didacum Almagrum a proposito auertit nec duces deterruit nec

39 3 (est enim ... legatus) *sic dist. To.* | ne P : ut ne A

uerba eius ipsos mouerunt, sed furenti ac uiolento impetu, cum ab exploratoribus nuntiatum esset Holguinum cum Cuschanis per Xauxam in Taramam regionem penetrare, castra mouent et signa ferunt et in hostes incurrunt.

Et sane hic repentinus Chiliensium impetus et Cuschanorum interuentus Thomae Dominicano et Francisco Barrio Nouo salutem attulit. qui cum militari custodia non asseruarentur, sese a morte suspendioque eripuerunt et una cum Guilielmo Xuaraeo Caruaiale, Didaco Aguero, Ioanne Saauedra et Gomezio Aluarado Limam ex eo loco aufugerunt. **40**

Iam uero Holguinus, cum rem in celeritate, ne ab hostibus circumueniretur, positam uideret, itinere die et nocte non intermisso a Xauxa ualle longius per Taramam processerat. atque ita illud expedierat ut, quamuis Almagrus cum expeditis equitum turmis usque ad Cinchacocham tridui uiam progressus insequi eum non destiterit, tamen consequi non potuerit. inde, copiis in Xauxam reductis, Didacum Mendezium cum uiginti equitibus ad Platam, quod oppidum est in Charcis, misit et Franciscum Peccium et Garsiam Aluaradum cum parte equitum et peditum in plana descendere et Arequippam occupare iussit. ipse uero cum reliqua exercitus parte ea uia militari, qua Holguinus Cuschanos duxerat, iter Goamangam fecit, ut inde Cuschum usque, quo iam Christophorum Sotellum cum ualida militum manu praemiserat, magnis itineribus progrederetur. sed enim per id tempus Gomezius Roias Vaccae Castri le- **41** 2 3

4 Cuschanis P : Xuschanis A
41 2 Peccium P : Pezium A

gatus in eam urbem iam peruenerat et, litteris cum edictis et decretis regiis ab eo senatui redditis, Vacca Castrus ingenti ciuium assensu et acclamatione atque laetitia communi praefectus Perurae maximus est appellatus. cuius muneri, senatu iubente, Antonius Gama iuris consultus uicarius successit et Bernardinus Mella stato-
4 ris officio functus est. at uero Holguinus, ubi manus hostium in Tarama effugisset, Bombonem percurrit et milites in Guaraziam duxit ibique Castrum praefectum exspectare decreuit.

42 At Hercule Franciscus Lopaeus Gomerensis et Augustinus Zarataeus quaestor, qui parum candide, ne dicam uere, res quas Vacca Castrus in Perura gessit sunt persecuti, quae de Holguino paulo ante exposui longe aliter tradunt. sed Lopaeus forte extra culpam esse uidebitur, quod ea quae memoriae prodidit ab iis acceperit qui laudibus Vaccae Castri obtrectare easque prorsus imminuere, cum ex Perura in Hispaniam uenissent, non
2 destitere. at Zarataeus in neminem transferre culpam potest, quippe qui ex Hispania in Peruram cum Blaschio Nunezio Vela traiecit quaesturamque in ea prouincia gessit et res non ab iis solum qui negotio interfuere sed praefuere etiam cognoscere exacte et potuit et de-
3 buit. is igitur nullo rerum dilectu adhibito in eo libro, quem Antuerpiae, quod oppidum est Brabantiae in Gallia Belgica, de rebus Peruranis Hispanica edidit lingua, Lopaeum etiam secutus scribit Petrum Aluarum

3 muneri P : numeri A || 4 Guaraziam *correxi coll. e.g. 6.83.3 et Cieza 431a* : Guaraxiam PA

42 2 Peruram A : Perura P | Blaschio *correxi, cf. 6.44.2* : Blascho PA

Holguinum, propterea quod Didacus Almagrus cum expeditissimo equitatu ipsum insequeretur, uelocissimum nuntium cum litteris ad Alfonsum Aluaradum, quem partes regias defensurum sciebat, misisse, ut quam ocissime accederet auxilioque ei ueniret, ut qui in magno esset uitae discrimine; Aluaradum, re ex litteris et nuntio 4 cognita, continuo obuiam ei ex Chaxapoiis exiisse atque ita properauisse ut cum iis militibus quos habuit et aliis quos Trugillo eduxit se Holguino coniunxerit; Almagrum autem, cum id ab exploratoribus nuntiatum esset, iter Cuschum conuertisse atque eo signa intulisse; Holguinum uero et Aluaradum, quod inceptum prospere successisset, confestim Vaccam Castrum ex Quito acciisse eumque litteris monuisse ut gradum acceleraret atque accurreret; quod si faceret, se Peruram in potestatem eius tradituros. ceterum haec tam longe a re ipsa quam 5 Chaxapoiae, ubi per id tempus Aluaradus erat, a Xauxa ualle absunt (absunt autem milia passuum octingenta); neque enim fieri potuit ut nuntius, etiamsi aduolauisset, prius ad Aluaradum peruenerit quam Holguinus cum Almagro, si itinere ab eo fuisset interclusus, conflixisset, sed nec Aluaradus ex Chaxapoiis unquam est egressus, donec Vacca Castrus ad Iungaiae deuersoria, quae contra Chaxapoias posita sunt, cum militibus quos collegerat ex Quito descendit. qui eodem tempore quo 6 haec gerebantur omnia quae ad bellum reciperandamque Peruram necessaria fore intellegebat non minore prudentia quam diligentia undique comparabat.

3 in *ante* magno *om.* P || 4 inceptum *correxi* : incoeptum PA || 5 absunt *alterum om.* P | (absunt ... octingenta) *parenth. statui* | nec P : ne A

43 Iam multi ex Hispanis quos edictis et litteris euocauerat tum nominis Castri fama tum libertatis spe adducti Quitum cum equis et armis concurrerant et in his Sebastianus Benalcazar Popaianae praefectus cum ali- 2 quot militibus uenerat. iam uero, ut supra demonstratum est, Castrus Ioannem Porcellum in Nicaraguam et Aluarum Ordasium Panamam ire iusserat. quibus litteras ad Nicaraguae et Veraguae praefectos et ad conuentus Panamensis praesidem dederat, ut ipsorum fauore atque ope celerius expedirentur et milites, equos et arma nauibus inde conueherent. sed Ordasius, cum iam mare tunc clausum esset, Guaiachiliae, Porcellus uero in Portu Vetere substitit nihilque subsidii ex ea prouin- 3 cia et urbe ad Castrum mitti potuit. quin etiam Castrus Ioanni Valdiuiesso in mandatis dederat ut Guaiachiliae et Piurae milites conscriberet, equos emeret, arma conquireret et se in eo loco ad Peruram exspectaret, quo ipse ex Quito descensurus esset.

44 Et Valdiuiessus quidem Didacum Vrbinam, Ioannis Vrbinae, qui in Italia tribunus militum fuerat fortissimeque pro Caesare pugnauerat, fratris filium, Castri praefecti nomine Guaiachiliae praefecit. is inde (nondum enim Puna insula a Caesare defecerat) naui Paitam delatus Piuram haud multo post quam Garsias Aluaradus ex ea abiisset urbe peruenit. quam ipse in potestatem redegit et Didacum Cantabrum Sanctiagum magi-

43 1 libertatis P²A : libertis P ‖ 2 Ordasium *correxi, cf. 6.10.2* : Horda- *posthac semper scr.* PA, *quod tacite corrigam* ‖ 3 Valdiuiesso *hic et posthac tacite semper correxi* : -uieso PA
44 1 (nondum ... defecerat) *sic distinxi* | Sanctiagum *correxi, cf. 6.17.1* : -achum PA

stratu mouit et Sebastianum Gamam in eius locum, ut praeesset urbi, suffecit. ceterum Valdiuiessus cum nec 2 equos nec arma, quod Aluaradus per uim omnia abstulisset, hic inueniret, magna auri argentique ui ad militum stipendia a Didaco Palomino praefecto aerarii accepta in Paitam portum est reuersus. quo tunc Vincentius 3 Valuerdus Cuschi pontifex et Ioannes Blaschius iuris consultus et alii Hispani, qui metu ne ab Almagro necarentur Lima profugerant, incolumes appulere. sed nec fuga periculum mortis, quod ipsorum capitibus iam imminebat, uitare potuere; iam enim Punenses, quos Gar- 4 sias Aluaradus sollicitauerat, a Caesare desciuerant et Cepedam Hispanum, qui eam insulam Francisci Pizarri praefecti nomine tenebat, crudelissime occiderant et Guaiachiliam, quae Culata et ciuitas Sancti Iacobi Amaiensis cognominatur, societate prius cum Indorum regulis qui ei urbi finitimi erant inita, obsidere funditusque euertere inter se constituerant. qui ingenti ratium classe instructa totam illam oram infestam habebant multaque incommoda Hispanis ab Sancta ad Tumbezium nauigantibus inferebant euntesque ad Castrum praefectum telis missilibus confodiebant. at Valuerdus 5 pontifex et Valdiuiessus nihil adhuc de Punae insulae defectione audierant; neque enim, si aliquid renuntiatum fuisset, se mari fortunaeque commisissent, sed aut Guaiachiliam aut Quitum, ne in hostium manus uenirent, terrestri itinere petiissent. itaque hi eius insulae

2 nec equos A : ne equos P || 3 Blaschius A (*sic posthac nominatur uir ante* Velaschius *dictus, cf. e.g. 6.26.2*) : Blasquius P || 4 Cepedam P : Caep- A | Amaiensis P²A : Ana- P | ratium P : rationum A

rebellionis plane ignari rates simul cum ceteris Hispanis qui in eo erant portu conscendentes a Punensibus ad unum omnes interfecti et opes direptae aurumque et argentum tam Valdiuiessi quam aliorum ablatum diuisumque inter ipsos fuit.

45 Hoc postquam Quiti nuntiatum est, Castrus sibi maturandum et rebus quam celerrime occurrendum existimauit, quippe cum pro comperto haberet municipia et colonias in eo continentis tractu positas in summo ne ab Indis qui erant in armis obsiderentur esse periculo neue reguli eam occasionem nacti et illis urbibus finiti- 2 mi a Caesare deficerent. ceterum, cum aerarium regium esset exhaustum, Castrus pecunias (neque enim sine his bellum geri nec sumptus tam domestici quam bellici fieri possunt) non a ciuibus solum, sed ab iis etiam qui eas ex defunctorum bonis apud se depositas habebant mutuas sumpsit. quas illi eo libentius ei contulere, quod et se e Caesaris reique publicae commodo facturos putarent et quod Rodericus Nunezius Bonilla praefectus aerarii se omnem illam pecuniarum summam quam ipsi Castro praefecto per syngrapham credidissent persolutu- 3 rum fide publica promitteret. iam uero Castrus pecunia ex ciuibus coacta milites conscribere, stipendia soluere, equos emere, arma parare et spicula trecenta, quibus hastae lanceaeque munirentur, facere iussit. iumenta etiam sarcinaria ingenti labore (nulla enim aut certe pauca tunc in Perura reperiebantur), ut subleuaret Indos, con- 4 quisiuit et magno pretio comparauit. sed enim ipse pri-

5 Punensibus A : Punien- P

45 2 (neque ... possunt) *parenth. agnouit To.* | possunt A : possent P || 3 (nulla ... reperiebantur) *sic distinxi*

stina salute et uiribus receptis et animo plane confirmato, cum regionum naturam prudenter intellegeret et Hispanorum ingenia egregie calleret, qui tanti hominem aestimare solent quanti se ipse fecerit et sordidum et parcum ita odio prosequuntur atque despiciunt ut splendidum et liberalem amant atque suspiciunt, pro persona quam gerebat (hoc enim amplissima eius dignitas exposcebat) nobiles quosdam cum stipendiis honestissimis apud se habuit, comitatum auxit ducesque et complures ex militibus comiter excepit et donis ornauit, alios ad prandium, alios ad cenam uocabat instructamque epulis mensam militibus apponi subinde iubebat immensosque prope sumptus, quo magis eos ad se alliceret et traheret redderetque firmiores, faciebat. tubicines etiam et citharoedos, qui militum animos excitarent et ad bellum incenderent, benigne aluit.

46 Hoc ita facto opus esse omnes iudicabant; numquam enim, nisi tanta humanitate et benignitate in Hispanos usus fuisset, eas prouincias armis reciperauisset; difficulter enim Castrus, nisi ita se gessisset, milites coegisset, propterea quod Hispani qui in colonias per Peruram erant deducti Indosque et agros possidebant summo amore atque fide Didacum Almagrum prosequebantur paucique ex his in Caesaris fide permanebant et Vaccae Castri eius praefecti castra sequebantur. **2** pauci etiam initio belli, quo se ei aduersus Almagrum iungerent, Quitum ueniebant, ut qui audirent decretum regium quod

4 salute P : salutem A | et Hispanorum ingenia egregie calleret *om.* P : *add. in marg.* P[2] | (hoc ... exposcebat) *sic distinxi* | *post* exposcebat *plene dinstinguunt* PA, *leuiter To.*

ipse tunc habebat Garsiae Loaysae cardinalis Hispalensis et summi Indiarum praefecti manu subscriptum tantum atque obsignatum esse. quod ubi Castrus intellexit,
3 ut omnes qui ea urbe aderant fidem decreto haberent, sigillum regium quod ex conuentu Panamensi, ut illud in Hispaniam mitteret, secum adduxerat, praesentibus quibusdam Francisci Pizarri praefecti et Didaci Almagri amicis, palam protulit. quo certe et decreto regio fidem fecit et omnibus timorem et religionem incussit. multi enim illud exosculati fuerunt et Castrum deinde in maximo, ut decuit, honore habuerunt. hoc callidissimus dux commento usus, quod e Caesaris esset re, milites attraxit et in posterum confirmauit, sicuti ipse sua manu ea de re ad Caesarem et ad senatum Indiarum regi-
4 um accurate scripsit. nam ex ea urbe Castrus Didacum Hallerium, qui omnium laborum et periculorum quae ille a Baetis ostio tum mari tum terra ad Quitum usque constanter fortiterque pertulerat et rerum quas gesserat praesens religiosusque testis erat, legatum ad Caesarem
5 misit. Hallerius autem, ob sumptus tam in eo itinere quam in regia Hispaniarum curia atque in ipso etiam reditu faciendos magna earum pecuniarum parte a Castro, qui eas pecunias ex rebus Cali uenditis coegerat et Quitum secum attulerat, accepta, Panamam est reuersus et in Nomine Dei nauem conscendens in Hispaniam renauigauit.

46 2 obsignatum P : obsinatum A || 3 praesentibus A : precentibus P | amicis A : admisis P | religionem PA : religio P^2 | fidem *post* enim *perperam add.* P^2 | maximo A : maximum P || 4 Castrus Didacum Hallerium P^2A : Castrum Didacus Hallerius P *ut uid.*

47 Iam enim Caesar Galliam percurrerat et incredibili amore et honore regioque apparatu Lutetiae Parisiorum a regibus Francisco et Lianora fuerat exceptus; inde a principibus Francisci regis filiis Valentianas usque, quod oppidum est Hannoniae in Belgio, triumphantis more deductus Gandauum natale solum in deditionem acceperat et, supplicio de iis qui principes et capita rebellionis fuerant sumpto, reliquis ignouerat arcemque, qua deinde Gandauenses in fide officioque retineret, in eo loco ubi Diui Bauonis templum fuit munitissimam construi iusserat; post in Germaniam ad agendos conuentus, quos, ut altercationes Germanorum de religione dirimerentur et controuersiae tollerentur, Ratisbonam indixerat pridem, concesserat. 2 iam uero Caesar ipse, conuentibus Ratisbonae celebratis, in Italiam contendit et, cum Neapoli et Genuae ualidissimam classem instrui pararique iussisset, Lucam, ubi Paulus III pontifex maximus eum exspectabat, cum expeditis equitum turmis uenit. at pontifex, ubi ambo multum de republica inter se collocuti fuissent, Caesarem dimisit et Romam se recepit. 3 Caesar uero classe iam instructa et parata ex portu Veneris soluit et, ut Argeriam, quam Saldas Mauritaniae Caesariensis coloniam esse dicunt, ui caperet atque cruore et flamma deleret, in Africam iniquo et importuno quidem anni tempore traiecit. 4 ceterum ipse

47 1 oppidum A : in oppidum P | ignouerat P^2 : ignorauerat PA | Gandauenses P^2A : Gandanenses P | *uirgulam quam ad* indixerat *ponunt* PA *ad* concesserat *transposui* | pridem P : pridie A || 2 celebratis ... contendit *om.* P : *add. in marg.* P^2 | III P : tertius A | Rep. P^2A : Reip. P || 3 Argeriam A : -rias P || 4 ipse P : ***e A

propter maximas et turbulentissimas tempestates, quae subito coortae et secutae continuos complures dies fuere, obsessionem urbis infeliciter temptatae necessario reliquit oppugnationemque eius in aliud commodius tempus reiecit, quod milites continuatione imbrium diutius sub pellibus contineri non possent. itaque Caesar
5 maiore ui coactus, militibus difficulter atque aegre in naues compositis, praetoriam triremem conscendit et, quamquam Bugiam, quam alii Tabathram alii Neptuni Aras esse uolunt, incolumis appulit, tamen, incessente uehementissime procella et ui uentorum ingruente, maximam classis partem amisit et cum reliquis nauibus ab ea urbe in Hispaniam transmisit et in Carthaginis Nouae portum descensionem fecit, unde in Olcadum oppidum, quod Ocaniam nunc uocant, et ab ea Mantuam
6 Carpetanam et inde Pintiam peruenit. ubi rebus Hispaniae Vlterioris prudenter constitutis, cum audiret Franciscum Galliarum regem exercitum contrahere, iter ad Monsonium, oppidum ad Cingae fluminis ripam positum, in quo conuentus omnium fere ciuitatum et oppidorum Hispaniae Citerioris agi solent, celeriter intendit, quo propius Gallo ex aduerso instructa acie occurreret
7 conatusque et furores eius comprimeret. qui cum nec pacem quam cum Caesare fecerat seruare nec ea uti uellet, maximum et fortissimum exercitum in Hispaniam Carolo et Henrico filiis ducibus transportare fecit, qui Perpinianum munitissimum Ruscinonis oppidum

coortae P : cohor- A || 5 Tabathram] Tabracam *malim, cf. Plin. 5.22* | inces(s)ente PA : increscente *scr. To.* || 6 oppidorum A : oppidum P | conatusque ... comprimeret *om.* A || 7 transportare A : transpotare P

obsedere. sed cum Perpinianenses fortissime acerrimeque sese defenderent et magna Gallis detrimenta inferrent et subsidia ex tota prope Hispania Caesar mittenda curaret, copias re infecta et multis incommodis acceptis in Galliam reduxerunt.

Ceterum Didacus Hallerius, qui sub id tempus Monsonium uenerat litterasque ab Vacca Castro Caesari attulerat, omnia quae tam mari quam terra Vaccae Castro contigissent et quae in Perura gesta fuissent ordine exposuit atque rettulit; quod summo cum uitae discrimine Vacca Castrus ab ostio Baetis ad Nomen usque Dei nauigauerit et in Sancti Dominici ciuitate et insula arcem inuiserit atque muniendam curarit et Panamae conuentum iuridicum in ordinem redegerit; quod ille tempestate, cum ex Panamensium portu naues in Peruram soluisset, ad Palmarum insulam deiectus ibique fame paene confectus fuerit; quod inde in portum Bonae Venturae magno cum labore inuentum traiecerit et in terram descenderit et, quamuis uehemens urgeret febris, tamen iter per Popaianam in Peruram fecerit et Calim uenerit; quod ibi, cum lectum diu tenuisset, controuersias inter Sebastianum Benalcazarem et Paschalem Andagoiam de praefecturarum finibus, cum iam milites quos ambo praefecti collegerant se auide utrimque certamini offerrent, prudenter diremerit resque eius prouinciae confusas auctoritate et consilio suo composuerit; quod ab ea urbe, etiamsi ipse misero diuturnoque **48** 2 3 4

48 1 uenerat litterasque P : ueneratiliterasque A *ut uid.* | Caesari attulerat ... Vaccae Castro *om.* A || 2 quod P : quo A | nauigauerit P : nauigarit A | portum ... inuentum A : portu ... inuento P | fecerit P[2]A : fecit P || 3 diremerit A : diremit P

intabesceret morbo, Popaianum petere contenderit, unde itinere non intermisso et ualetudine nondum satis ex tam graui periculosoque morbo confirmata, cum de Francisci Pizarri praefecti caede rumores et quidem crebri afferrentur, Quitum Perurae urbem peruenerit, ibique per Hispanos qui metu Chiliensium ex Perura plana eo se receperant compertum habuerit Franciscum Pizarrum praefectum simul cum Francisco Martino Alcantarensi fratre et Francisco Chauio equite nobilissimo a Didaco Almagro adulescente, Ioanne Rada Montano, Garsia Aluarado, Didaco Mendezio, Ioanne Balsa et ab aliis eius factionis Hispanis qui in Pizarri necem coniurauerant crudelissime domi suae obtruncatum et Per-
5 uram armis occupatam fuisse; praeterea eos Limam et alias urbes diripuisse, templa exspoliauisse, aerarium expilauisse, pecunias defunctorum et pupillorum in aedibus sacris depositas abstulisse caedesque et latrocinia et alia crimina nefaria fecisse; quin et Didacum Almagrum maiestatem laesisse, ius imperii regii usurpauisse atque retinuisse, senatum Limensem comprehendi et in uinculis teneri iussisse, magistratus optimis et fidelissimis regi suo uiris abrogauisse, sigillum regium adulterauisse, uectigalia regia abrupisse atque rapuisse et se per uim praefectum Perurae maximum appellari fecisse ac tum denique exercitum perditorum hominum conflauisse, quocum ipse urbes depopularet, agros uastaret, domos exhauriret, Indos fame et ferro absumeret ac reipublicae Peruranae statum omnino conuelleret infestaque signa cum in alios tum praecipue in Vaccam Castrum

4 praefecti *om.* A || 5 templa exspoliauisse *om.* P : *add. in marg.* P² | in *om.* P : *add.* P²

inferret, eosque omnes qui consiliis suis occurrere, libidini audacter obsistere regiasque partes armis defendere conarentur ad internecionem occideret et plane deleret. commemorauit etiam Hallerius ea quae Vacca Castrus 6 Quiti gessisset; quod ipse, postquam ex decreto quod a Garsia Loaysa cardinale Hispalensi et ab amplissimis senatus Indici uiris subscriptum et signo regio obsignatum habebat praefectus Perurae maximus a senatu populoque Quitiensi appellatus fuisset, quoniam eam prouinciam seditionibus et defectionibus perturbatam inuenisset resque eius prope deploratas esse intellexisset, quantum animo et uirtute coniti, quantum labore et studio contendere potuerit tantum fecerit, ut legatos cum auctoritate mitteret, qui celeriter ciuitates et oppida Perurae adirent litterasque et edicta et decreti regii exempla perferrent et significarent atque adeo aperte ostenderent Vaccam Castrum saluum et incolumem Quitum peruenisse et praefectum Perurae maximum et Caesaris legatum esse; quo effectum est ut coloniae et municipia quae iniquitate et perfidia improborum hominum ad Didacum Almagrum defecerant intra unius tantum mensis spatium (quod admiratione certe dignum est) in Caesaris fidem redierint; quod eniti elabo- 7 rareque etiam ille non destiterit, ut Didacum Almagrum, Ioannem Radam, Garsiam Aluaradum, Ioannem Balsam et omnes reliquos qui cum ipso Almagro rebellauerant non solum ad salutem sed in gratiam etiam

deleret P : delerêt A | *post* deleret *plene distinguunt* A, *leuiter* P || 6 *post* fuisset *sic distinxi, plene* PA | animo A : animum P | conniti A : cogniti P | contendere A : -ret P | (quod ... dignum est) *sic distinxi*

cum Caesare reduceret; apud quos cum nihil proficere posset, etiamsi ipse per litteras eis ignosceret, non committendum putarit ut se imparatum atque incautum opprimerent, ut qui non imperio eius parere, non edictis regiis audientes esse uoluerint, sed aliquanto pleniores animorum atque irarum quam antea fuissent atrocissimas ad ipsum litteras miserint et ad bellum compule-
8 rint; qui tametsi egens rebus omnibus erat et ualetudine adhuc infirma utebatur, tamen, quo ferocitatem perfidiamque ipsorum comprimeret, audaciam frangeret atque hostes communes et nimis feros et immanes grauissime puniret, pecunias undique contrahere, praefectos et centuriones Hispanos qui longe a Perura nouas et incompertas terras quaerebant litteris euocare, milites cogere, arma conquirere, equos coemere ac tum demum omnia quae ad reciperandam Peruram necessaria forent, quamquam Almagrus miseras Perurae ciuitates bonis et equis et armis exhauserat, comparare diligenter curauit.
9 ad haec Hallerius addebat se non dubitare quin ex Quito Vacca Castrus in Peruram planam descendisset, propterea quod, cum ipse discessurus in Hispaniam esset, iam tum ille profectionem in eam prouinciam parare inciperet.

49 Quibus rebus cognitis Caesar uehementer commotus est aegerrimeque Francisci Pizarri praefecti caedem tulit. plurimum uero prudentiam, fidem et integritatem Vaccae Castri in rebus gerendis et magnitudinem atque moderationem animi et diligentiam in recipienda Perura

7 parere A : pareret P | ad *ante* bellum *om.* P || 8 egens P : agens A | *post* coemere *plene distinguunt* PA || 9 ex *ante* Quito *om.* P

probauit atque laudauit et Hallerium dimisit. cui litteras cum diplomate manu sua subscripto et signo regio obsignato, cuius exemplum supra ad uerbum expressum est, ad Vaccam Castrum perferendas dedit. hoc diplomate, quod Monsonii VI Idus Augusti eius anni qui fuit supra millesimum et quingentesimum quadragesimus secundus datum est, alterum, quod ipse Castrus a Garsia Loaysa cardinale Hispalensi subscriptum et a senatu Indico signatum habebat, ne illud a Didaco Almagro neue ab aliis reipublicae hostibus qui in Perura eius erant factionis neglegeretur, confirmatum atque comprobatum est. Caesar, conuentibus Monsonii peractis, Barcinonem et inde Valentiam ad inaugurandum Philippum filium in locum suum profectus est. qui iam primum Caesaraugustae, deinde Barcinone, postremo Valentiae incredibili omnium ordinum consensu atque laetitia princeps Hispaniae Citerioris designatus fuit. post uero Caesar et Philippus princeps, omnibus rebus commode administratis, Mantuam Carpetanam se contulere. 2 3

At uero Didacus Hallerius simul atque ex Monsonio oppido in Luciferi Fanum peruenit, statim nauem conscendit et in Peruram nauigauit, quam a tyrannis oppressam Vacca Castrus praefectus, dum ea quae paulo ante recensui in Hispania gererentur, in libertatem uindicare et Chilienses ad Caesaris fidem reducere omni studio contendebat. ceterum hoc in tanta perditorum 50 2

49 2 ad *ante* uerbum *om.* P | Augusti A : Aug. P | *post* datum est *sic interpunxi* || 3 Barcinone P : Barcinonae A | designatus P[2] (*in marg.*) A : dignatus P
50 1 recensui A : -suit P | uindicare A : -ret P

hominum rebellione atque perfidia et prouinciarum uastatione perdifficile ei factu uidebatur, praesertim cum ipse animaduerteret Hispanos Perurae colonos tam indomitos, tam liberos ac sine ullo iuris, legum et iustitiae respectu esse, ut qui nec eam colere nec seruare ac ne agnoscere quidem sed nec magistratus timere nec
3 reuereri assueti essent. exploratum etiam ipse habebat non equos, non arma, non ferrum, unde ea fierent, non puluerem tormentarium, non denique pecunias inueniri: omnia certe in Perura exhausta et plane expilata esse. ad haec uidebat paucos ex colonis Peruranis ad se uenire, plures uero ad Didacum Almagrum concurrere eosque omnes ad uim promptos, ad seditionem paratos et
4 ad caedes et latrocinia expeditos esse. itaque in tantis rerum difficultatibus et temporum iniquitate commodissimum praefecto uisum est ut Indorum uectigalium diuisiones sibi retineret; neque enim dubitabat quin ea praemiorum spe Hispanos ad se alliceret attraheretque et singulari eos concordia coniunctos et ad omnem euentum paratos promptosque pro Caesare contra reipublicae hostes haberet. atque eo magis hoc ipse in animum inducebat suum, quod intellegeret Hispanos Perurae colonos beneficiis potius quam stipendiis ad bellum incitari insignique et innata quadam possidendi Indos uectigales stipendiariosque cupiditate iam inde ab lustrata subactaque Perura teneri.

51 Nec praefectum sua fefellit opinio, siquidem complures Hispani praemiorum spe ducti ex diuersis locis ad eum confluebant, propterea quod pro certo putabant

2 reuereri A : reue**i P || 3 ad A : at P | colonis P : coloniis A || 4 rerum A : rebus P

ipsum Indos uectigales Didaci Roderici Limosini, Francisci Pizarri praefecti, Ioannis Valdiuiessi Octodurensis et Vincentii Valuerdi pontificis Cuschani, qui per id tempus uacabant, ideo sibi seruauisse, ut eos potissimum his distribueret qui egregiam in reciperanda Perura Caesari operam contra Didacum Almagrum, Ioannem Radam ceterosque reipublicae hostes et proditores nauassent. Indos autem qui Francisci Pizarri praefecti 2 uectigales fuerunt, etiamsi ipse filiis suis eos dedisse diceretur, Castrus ex decreto quo Caesar Peruranos colonos ornauit pro uacuis habuit: nam eo decreto statutum erat ne liberi in Indorum uectigalium diuisiones, nisi e iusta uxore procreati natique essent, parentibus succederent. ceterum Castrus ex his Pizarri praefecti Indis 3 qui ultra Goamangam in Cuschana prouincia et Collaia siti erant, quod et longissimo terrarum interuallo a Quitia distarent et prouinciae illae ab Almagro tenerentur et a Chiliensibus diriperentur, nihil fructus, nihil uectigalis cepit. nam alios Pizarri Indos qui citra oppidum illud in Limensi, Trugillensi Piurensique agro positi erant alendis suis liberis, sicuti supra dictum est, assignauit. qui Indos etiam Guancas nomine dictos, 4 quos Antonius Orihuela Salmanticensis possederat, Didaco Hallerio, antequam eum in Hispaniam mitteret, ut Caesari senatuique Indico de Francisci Pizarri praefecti caede et Didaci Almagri et Chiliensium rebellione ac de Perura armis oppressa renuntiaret, pro laboris praemio dedit rationemque absentis haberi uectigaliaque ab illis

51 2 in *ante* Indorum *om.* P || 3 Collaia P (*cf. e.g. 3.49.2*) : Colalla A || 4 Guancas *correxi* : Guangas PA | Salmanticensis P : -censes A | Hispaniam A : Hispania P | illis A : illiis P[2] : aliis P

exigi et expendi atque in aduentum eius conseruari iussit. hoc Castrus exemplo atque instituto Francisci Pizarri et aliorum Indiarum praefectorum fecit, qui legatos quos ad Caesarem mittebant simili praemio re-
5 munerabant. quin etiam ipse Indos Xarani militis Hispani uita functi Christophoro Roderico de Caesare bene merito, quod is in Chiliam cum Didaco Almagro praefecto penetrasset eamque lustrasset, in beneficii loco detulit. quo ipsum etiam Rodericum litis periculo liberauit quam cum Vaschio Gueuara de Indis habebat, cui eos Franciscus Pizarrus praefectus attribuerat, quibus illum, quod Didaci Almagri praefecti partes secutus esset, inique quidem multauerat. qua in re Castrus optimi et prudentissimi praefecti officio functus est, quippe cum alterum alteri non modo conciliarit sed utrumque etiam beneficio collocato sibi adiunxerit atque obligarit.
6 ea uero re ceteros ad laudem, ad uirtutem et ad arma excitauit suspicionemque omnem ab se amouit. nam rumor erat per urbem (sunt enim Hispani Perurani ingenii acutissimi, qui omnia egregie callent et multo ante tamquam ex specula futura prospiciunt) Castrum sub praetextu uectigales Indos sibi retinendi uelle ipsos, ne militibus eos distribueret, Caesari ascribere attribuereque aut nomine eius tribunis aerarii, ut opes remque regiam in Perura augeret, committere. quod si fecisset, pauci milites Hispani arma pro Caesare aduersus Alma-
7 grum sumpsissent ac regia castra secuti fuissent. praeterea Castrus, si Indos agrosque uectigales etiam his qui

expendi P : pendi A || 6 ab A : ad P | (sunt ... prospiciunt) *sic distinxit To.* | ante tamquam PA (*cf. Cic. Fam. 4.3.1*) : antequam *corr. To.*

optime de Caesare deque republica meriti erant tunc diuisisset, nec copias, ut fecit, comparauisset nec milites Hispani ad eum uenissent nec se illi adiunxissent, sed aeque atque aliqui, ne Indos quos possidebant in Perura amitterent, pro Didaco Almagro etiam in Caesarem pugnauissent, ut qui certe scirent Castrum praefectum eius nec Indos nec agros uectigales quos ipsis distribueret habere. itaque praefectus, defectionibus et seditionibus Peruranis et turbulentis temporibus animaduersis atque perspectis, nemini, dum Quiti fuit, Indos uacuos praeterquam Didaco Hallerio et Christophoro Roderico concessit atque commendauit, quippe qui existimabat Hispanos hac praemiorum spe magis quam ullis stipendiis permoueri; eos certatim, re de Indis agrisque uacantibus intellecta, ad se uenturos hoc unum sibi persuadentes, eum qui fortiter se in reciperanda Perura cum patriae hostibus gessisset unam aut alteram ex Indorum uectigalium diuisionibus obtenturum. ceterum alii tunc Indi uectigales, dum Castrus Quiti fuit, atque illi quos recensui non uacarunt; nec enim Hispani qui a principio lustratae Perurae Indos uectigales in Quitia possident hoc ignorassent; maxime enim adnituntur ut Indorum uacantium, quo a praefecto eos obtineant, notitiam habeant. quibus de rebus accurate Castrus sua manu ad Caesarem scripsit. 8 9

Iam uero ipse, rebus Quiti constitutis et omnibus ad profectionem paratis, cum militibus fere centum Hispanis quos collegerat ex ea urbe Ianuario eius anni qui a **52**

7 aliqui *scripsi* : alii qui PA | ne A : nec P || 8 *post* uenturos *plene distinguunt* PA || 9 atque illi A : alli P | recensui A : -suit P | lustrate P : lustratae *uel* lustrati A

Christo nato erat millesimus quingentesimus quadrage-
2 simus secundus ineunte egreditur. sarcinas autem quas ex Hispania in Quitiam aduexerat his iumentis sarcinariis, quae ex iactura quam tum in austrino mari tum in itinere a Bonae Venturae portu ad Calim fecerat reliqua erant, imponi mandauit. paucis enim ipse Indis sarcinariis usus est, quibus et cibaria dedit et stipendia persoluit. uerum cum nec iter prompte expediri nec bellum commode geri nec quod e Caesaris commodo esset sine Indis sarcinariis effici posset, quod nulla tunc in Perura eiuscemodi iumenta reperirentur, regulos Indorum rogauit ut eos sponte sua darent, quorum opera milites in sarcinis ferendis uterentur. quod libentissime illi prae-
3 stitere. quin et Indi, rebellione et defectione Didaci Almagri et Chiliensium cognita, se ultro portandis belli impedimentis obtulerunt, utpote cum scirent eam rem magno sibi commodo futuram, quod Almagrus et Chilienses, rebellione atque seditione facta, ad patriae exitium parati et ad communem omnium perniciem et ad
4 caedem instructi essent. ad haec timebant ne, cum ipsi perinde ac Hispani Perurae coloni imperio Caesaris ac legibus tenerentur, nisi propere ad castra regia etiam non uocati concurrerent auxilioque quoquo possent modo uenirent, proditionis perfidiaeque crimen subirent. itaque cum in atrocissimos patriae hostes pugnare non ualerent, aequum esse duxerunt ut commeatus, arma, uestimenta et reliquas militum sarcinas, quibus deferendis a paruis assueti essent, umeris colloque porta-

52 2 his iumentis ... iactura *om.* A || 4 ne *om.* P | ac *ante* Hispani *om.* P | coloni A : coloniae P | nisi A : nise P | pugnare A : -rent P | assueti A : aussueti P

rent. et sane ea res non erat noua sed uetustate exem- 5
plorum memoriae iam exoletae, quoniam multo ante
quam Hispani Peruram inuenissent atque armis sub-
egissent, Indos sine ullo etiam stipendio ab ipsorum
regulis onerari receptum erat. quem postea morem Hi-
spani ab ipsis regulis traditum seruarunt; Indos praeda
et aliis rebus onustos tam pace quam bello, siue ab do-
mo prope siue procul eundum esset, pro libidine sua
duxerunt. hoc et praefecti qui ante Vaccam Castrum
fuerunt et qui post sunt secuti fecerunt; nec hoc in Per-
ura usque ad hanc memoriam prohibitum erat nec is
qui sarcinas iustas Indis imponebat in crimen incurre-
bat. quam rem Caesar in litteris rerum decretarum ita 6
Vaccae Castro commisit, ut quod magis expedire uide-
retur id faceret, tametsi Caesar aliud postea sanxit re-
giisque sanctionibus ne deinde onerarentur Indi cauit.
tamen immutabili necessitate parendum fuit, quae Vac-
cam Castrum usque adeo coegit ut non ipse modo sar-
cinariis Indis sed milites etiam in eo bello pro reciperanda
Perura uterentur. nam aliter atque ab eo constitutum 7
est, qui potuisset ab Quito copias per uastas solitudines
atque itinera siluis fluminibusque impedita educere et
Peruranas Cuschanasque prouincias armis recipere Cae-
sarique restituere? neque enim dubium est quin milites,
si eos sarcinariis Indis uti prohibuisset, se per agros et
per uias sparsissent; qui nec in hostes processissent nec
contra eos pugnassent nec Peruram in Caesaris potesta-
tem redegissent, sed praefectum omnino deseruissent
atque, si sarcinariis Indis, quorum opera ipsi uterentur,

5 uetustate A : uestustate P[2] : *nescio quid in* P | is P : iis A || 7 per
uastas A : peruastatas P

conferri stipendia imperasset, haud dubie eum interfecissent, quippe qui compertum habebant stipendia sarcinariis Indis a militibus in Perura pendi in omni me-
8 moria inauditum esse. praeterea ipsi in tanta rerum penuria soluendo non erant nec ad id pecuniae publicae in tantis aerarii angustiis decretae nec a tribunis eius, ut a quaestoribus numerarentur, Vaccae Castro praefecto attributae nec tunc certe, cum fides tota Perura propter impium ac nefarium bellum esset angustior neque creditae illae soluerentur, quod Chilienses omnia exhaus-
9 sissent atque diripuissent, ullo modo inueniebantur. et praefectus quidem exiguam pecuniarum summam ad necessarios belli usus corrogauerat aegreque tantos sumptus quos alendis militibus faciebat sustinere poterat, cum alii equos, alii arma, alii uestimenta, alii pecunias ab eo peterent. quas res cum plane expedire et conficere ipse non posset, quod nerui belli deficerent, in summum persaepe existimationis uitaeque discrimen uenit. multa tunc erant militibus permittenda, multa etiam dissimulanda nec petendum ut ab iis, quibus pecuniae numerabantur, syngraphae cautionesque fierent.
10 sed haec omnia Castrus singulari prudentia et industria animique altitudine superauit; nam attributis Indis sarcinariis et spe praemiorum oblata, quam in sese quisque iam conceperat, milites paratissimos promptissimosque ad omnia habuit et labore, ope auxilioque Indorum copias a Quito ad Cuschum usque deduxit. nec dubium est quin ipse, nisi se tam prudenter con-

8 ipsi P : ipse A | *post* attributae *plene distinguunt* PA | illae P : ille A || 9 sumptus *corr. To.* : sumptos PA | persaepe A : presaepe P

stanter atque fortiter gessisset, Peruram deserere eamque Didaco Almagro relinquere coactus fuisset.

Ceterum eos tantum Indos qui aut necessarii erant **53** aut onere leuari non poterant militibus assignauit. quos etiam ipse toto belli tempore, cum antea ab Hispanis nimis aspere et acerbe tractarentur permultique fame, siti, morbo consumerentur (non enim in seruitium sed in ergastulum et carnificinam ducebantur), cibariis ali sustinerique et clementer tractari studiose diligenterque curauit, quippe qui frequenter inter agmina equitando discurrebat sarcinariosque Indos catenis constrictos duci et collaria his ferrea imponi et manicas inici non uetabat modo, sed prohibebat etiam eos noctu in compedibus teneri. atque adeo ipsis prospiciebat ut, si quis, 2 quod crebro accidebat, sub onere concideret uel animo uiribusque deficeret uel in morbum incideret, e uestigio domum eum dimittebat, recentes uero atque integros defatigatis submittebat nec ultra unum aut alterum deuersorium eos progredi sinebat sed, his abire iussis, illis onera imponi aliosque aliis succedere iubebat. quo 3 factum est ut nullus ex Indis sarcinariis oneris portandi causa occubuerit. et quo magis Castrus laborem ipsorum subleuaret, mulas quasdam multo labore conquisitas atque inuentas, quibus tormenta campestria traherentur, permagno emit.

Quibus certe rebus fecit ut non solum Indi ipsum **54** colerent atque amarent, sed milites etiam obseruarent atque diligerent. qui postea eo duce fortissime pugnan-

53 1 poterant A : peterant P | *post* consumerentur *sic distinxi, plene* PA | (non enim ... ducebantur) *parenth. statui* | ali A : alii P || 2 succedere A : -ret P

tes ad Chupas crudelissimos hostes debellarunt et Indos, qui tot tantaque incommoda et detrimenta ab illis acceperant quot quantaque ab aliis illata numquam fuerant, in libertatem uindicarunt et Peruram in Caesaris potestatem redegerunt ac tum denique crimina, quae in magnam Dei optimi maximi offensionem et Caesaris incommodum fiebant, proditoribus patriae interfectis exstinxerunt et, quod maximum est, pace tota prouincia a Vacca Castro constituta quies et tranquillitas secuta fuit et religio sancta et pura suscipi colique tunc ab 2 Indis et cultus diuinus clarius enitescere coepit. haec ita futura harioli et uates Perurani praenuntiabant atque hae imperii rerumque commutationes ex multis recentibusque prodigiis et grauissimis ostentis portendebantur. nam eo die quo Vacca Castrus praefectus Quito excessit nubes immensa prope magnitudine et colore subcan- 3 dido ac ueneto repente apparuit. haec ex monte quodam, qui non procul urbe abest, sulpure in imo eius fundo exaestuante, oriebatur. nec ea quidem uanescebat nec diffundebatur, sed densa supra Vaccae Castri praefecti et militum capita uento euehebatur cinisque ex ea tunc decidere uidebatur, qui frequenter etiam per eam regionem qua uentus nubem pellit ad milia passuum 4 centum et sexaginta incidere solet. quin et paulo ante quam Castrus ea uia regia quae per montanam Peruram Cuschum ducit iter faceret, alter mons urbi etiam proximus, qui in circuitu amplius mille passus habebat, subito dehiscens ruinam dedit et, cum terra subsedisset,

54 1 coepit P : cepit A || 2 Harioli A : H**iooli P || 3 urbe abest A : ube adest P || 4 quin P : qui A | subito dehiscens ... mons erat *om.* A

tanta uis aquarum eadem fere latitudine atque mons erat subito erupit ut omnia qua decurrebat et euerterit et saxa incredibili magnitudine et pondere secum traxerit. quae harenis limoque in ea uia regia illisa Vaccae Castro, qui ad Mulahalum oppidum ea uidit, miraculo fuere. mons uero ille, cum aqua tota se super terram effudisset, ita in planitiem abiit ut ne unum quidem eius uestigium fuerit relictum. multi sunt in Quitia montes sulpurei, qui uolcani nominantur, sed is qui ad Mulahali dexteram positus est et de quo libro primo diximus longe ceteris et magnitudine et horrendis miraculis antecellit. 5

55 Ceterum Castrus praefectus Tacungam milibus passuum triginta Quito distantem peruenit. in eo sunt itinere ad occidentem solem Vchilla et Langazia fertilissimae et cultissimae ualles, ultra montes Hyumbi et ad orientem Quixorum regio, post ad uiam regiam Pancaleum et milia passuum ab eo duodecim Mulahalum et ad eius dexteram praedictus mons uolcanus haud Aetna Sicula inferior, mox Tacunga, in qua florentissimis Hingarum principum rebus regia amplissima fuit et simulacris uicuniarum ouium et aliorum animalium ex auro puro insertis parieti regii conclauis ornatissima et templum Solis diuitiis et sacerdotum et uirginum quas mamaconas appellant maxime insigne.

Mulahalum A : Mulabalum P | miraculo A : miracolo P || 5 uestigium P : euestigium A | nominantur P : numerantur A | Mulahali A : Mulabali P | primo] *cf. 3.52.7*

55 Uchilla *corr. To., cf. Cieza 393a* : Vehilla PA *ut uid.* | Mulahalum A : Mulabalum P *ut solet* | praedictus P : -tis A | Hingarum A (*et sic ut in prioribus libris semper tacite correxi, quamquam plerumque* Hyng- *in codicibus posthac inuenias, cf. e.g. 2 passim*) : Hyng- P

56 Porro domos regias et Solis templa in his tantum locis quae regionum capita erant, ut Quitum, ut Tacunga, ut Thomebamba, Hingae ideo constituerunt, quod uniuersam Peruram tam montanam quam planam in praefecturas distribuissent, quibus uiros singulari uirtute et prudentia et spectata fide praeficiebant, ut in sua quisque praefectura cultui honorique Solis et uirginum pudori diligenter prospiceret, aedes regias incoleret, ibi ius diceret et stipendia et tributa ab Hingis imposita, quae populi conferrent, et uectigalia, quae penderent, 2 asseruanda curarent. his summis Hingarum praefectis mitimaes erant attributi, qui imperata ipsorum facere et omnibus in locis et ad nutum eorum praesto esse tenebantur. erant autem mitimaes Indi aduenae qui simul cum coniugibus et liberis ex instituto Iupanguis Hingae, qui magni Topahingae Iupanguis pater et Guainacapae auus fuit, ex regione sua in alienam regionem et caeli temperie et soli bonitate haud absimilem suae 3 transmigrabant. quippe uidebat prudentissimus princeps Iupangues Cuschum, totius imperii Perurani caput, unde populi leges et mores acciperent, ritus sacrorum ediscerent caerimoniasque et religionem susciperent, unde etiam duces et milites ad bellum exirent exterasque et bellicosas nationes armis subigerent atque in Hingarum dicionem redigerent, uicies et quadringentis passu-

56 1 spectata A : exspectata P || 2 mitimaes *bis correxi, cf. 2.40.5 et 3.49.5* : mitimaii PA | Iupanguis *correxi, cf. 2.37.1, 2.40.6* : Hyupan- *posthac semper scr. mss., quod postea silentio praetermittam* | Guainacapae *correxi* : Guaynacap(p)ae PA | alienam A : aliam P || 3 caerimoniasque ... susciperent *om.* A | religionem *correxi* : religione P | exterasque P[2]A : caeterasque P

um milibus ab urbe Quito et paulo longiore spatio a Chilia prouincia abesse; ad haec animaduertebat tam immensum terrarum tractum immanibus ac feris et barbaris gentibus cultum esse; itaque ipse, quo facilius tan- 4 tam imperii molem sustinere et respublicas regere animosque omnium in fide retinere posset, primum instituit ut, simul ac duces aliquam prouinciam perdomuissent eamque ad imperium Peruranum adiunxissent, statim facerent ut decem aut duodecim milia eius gentis subactae plus minusue pro hominum multitudine e suis finibus in alios Indorum qui sub Hingarum imperio essent fines transirent; deinde ut indigenae his aduenis agros darent eosque in parem iuris libertatisque condicionem atque ipsi essent reciperent; postremo ut totidem quot Indi eo conuenissent, ne locus unde ipsi discessissent uacaret, illo commigrarent. id ea maxime ratione 5 Iupangues Hinga fecit, ut alteri alteros qui seditionem et discordiam concitarent armis coercerent et reprimerent et qui deficerent in deditionem seruitutemque redigerent, utrique uero eo timore mutuo affecti in officio manere et summo parere praefecto cogerentur. et Iupan- 6 gues quidem et alii Hingae qui post ipsum imperarunt, ut Indos quos stipendiarios uectigalesque bello faciebant beneficio maximo sibi deuincirent, regulos tetrarchasque ipsorum in suam pristinam dignitatem et locum unde deciderant clementer restituebant; non enim tatrarchias a iustis dominis ad alienos transferebant, non ueros heredes mouebant sed, si quis eorum principum morte aut

tractum A : tractatum P | immanibus P : in manibus A || 4 Hingarum *corr. To.* : Hyngarum P : Ingarum A | in parem A : imparem P | conditionem A : condionem P

exilio aut bonis multaretur, quod maiestatem minuisset aut in grauissimum crimen incurrisset, dominatum et principatum liberis aut fratribus aut iis qui legitimo iure in eius locum essent successuri deferebant.

57 Iam uero incolae Pancalei et Tacungae et lingua et cultu et moribus a Popaianis differunt, quippe qui ut ceteri Perurani praeter linguam patriam quam habent Cuschana etiam lingua utuntur. quam perdiscere scireque omnes qui sub Hingarum imperio erant et Solem praecipue colere atque uenerari et capita diuersis ornamentis insignire, ut alii ab aliis in tanto terrarum spatio quantum est ab urbe Quito ad Chiliam prouinciam (patet enim in longitudinem quadragies et octingenta passuum milia) <discernerentur>, tenebantur, sicuti satis abundanter, ut arbitror, libro primo demonstratum 2 est. ceterum Indi huius regionis fusci sunt coloris. tunicis laneis et uestibus stragulis ab umeris ad usque talos 3 demissis bracchiis tantum exsertis amiciuntur. apud quos herba est nomine cabuya grandibus et latis foliis, quae magnam fibrarum uim emittunt. hae albae perinde ac cannabis sunt et ualde utiles ac robustae, ex quibus calceos et soleas quas oxotas appellant Indi conficiunt 4 atque his utuntur. reguli autem tenuissimis ex lino xylino tunicis et pictis uestibus induuntur. nobilissimae uero feminae principum Cuschanarum, quas pallas dicunt,

6 legitimo P : lexitimo A

57 1 tanto A : tantum P | (patet ... milia) *sic distinxi* | discernerentur *dubitanter suppleui coll. 2.31.4. an* distinguerentur? *cf. 2.31.3 et 6.67.4* | primo] *perperam, cf. e.g. 2.41.3, 2.31.3, 2.31.4* || 2 fusci P : fussi A || 4 Cuschanarum A : Cuschanorum P

more pulcherrimis et talaribus tunicis amictae incedunt. eas pertenui decentique cingulo qui chumbes uocatur ita pulchre substringunt ut laciniosas efficiant. uestes etiam elegantes et longas, quae liquidae nominantur, superinduunt. has maiusculis acuculis aureis uel argenteis, quos topos appellant et quibus pro fibulis ipsae uti solent, apte conectunt. comas etiam nutriunt atque comunt; eas reste siue fasciola quae uincha dicitur concinne constringunt ac demum illae soleas candidis cabuyae herbae filis intextas induunt et superiori utriusque pedis parti quibusdam ligaminibus obuinciunt. at uero 5 cultores eius tractus lapideas habitant domos et stramentis contectas. his moris est multo mane humi discumbere et cibos capere, deinde totum diem saltando perpotandoque consumere. qui, tametsi usus uini ipsis ignotus est, tamen potu quem chicham nominant se ingurgitant, saltationes et cantus, quos dicunt areytos, exercent et festo otio laeti tympano adhibito res gestas lusu cantuque celebrant, quippe choros tam uiri quam feminae manibus consertis ad tympani sonum in orbem agitant et, dum saltatorium uersant orbem, ita potione se complent ut ne mente quidem recte uti possent, sed complures ebrii facti mulieres pro libidine sua (sunt etiam illae lasciuae et formosae) e choro in proxima tecta, ut Veneriis fruantur uoluptatibus, educunt. nec tam flagitiosam et tam perditam libidinem probro 6 esse putant, ut qui nullam nec pudoris nec honoris ra-

liquide A (*cf. Cieza 293a*) : liquidae P | ipsae P : ipse A | superiori A : -ris P || 5 chicham *correxi, cf. e.g. 2.36.7, 2.36.8 et Cieza 394b* : Chincham PA | (sunt ... formosae) *parenth. agnouit To.* | uenereis A (*cf. e.g. Cic. Tusc. 4.68*) : ueneris P

tionem habeant, sed pocula exhaurire et magnitudine poculorum bibendoque alios superare eiuscemodique 7 libidinibus se dedere pulcherrimum ducunt. ceterum ipsi animas non exstingui credunt et magnitudinem, pulchritudinem motusque caeli et siderum suspicientes et cursus conuersionesque caelestes ac solis lunaeque defectiones stellarumque accessus et recessus intuentes atque contemplantes tantarum admirabiliumque rerum creatorem esse existimant, qui mundum fecerit et qui cuncta quae caeli ambitu continentur admirabiliter ad- 8 ministrat et regit. qui etsi aliis superstitionibus uanissimis dediti sunt, tamen Solem potissimum suspiciunt et adorant et subinde genua submittunt et sacris eius maxime operantur ac sacerdotes reuerentur atque colunt. in bello lanceis, iaculis et telis missilibus ex palma et 9 fundis utuntur. princeps autem et nobiles et duces uita defunctos in iugis aut agris cum armis, insignibus, uestibus et multo auro et argento ciboque et potu ac cum coniugibus uiuis quae ceteris praestant pulchritudine sepeliunt. plures enim simul singulis nuptae sunt, at una et omnium princeps et legitima uxor est, cuius liberi in pa- 10 ternum principatum succedunt. reliquae uero aegerrime ferentes alias sibi praelatas et se relictas acerbissimis eos planctibus efferunt et domos reuersae capillos tondent et annum lugent. sed enim haec ut Pancalei, Mulahali et Tacungae Indis propria sunt sic inter omnes Peruranos communia, quae alibi satis superque persecuti sumus.

58 At enim Castrus praefectus ab Tacunga Muliambatum progressus copias Ambatum flumen traduxit et

6 habeant P : habeunt A || 8 suspiciunt A : suscipiunt P
58 1 praefectus *iterat* P

Mocham, ubi maxima et pulcherrima Hingarum palatia fuere, milia ab amni duodecim peruenit. terra per se fertilis eximieque utrimque culta est. nam Sichi eam incolunt partem quae ad uentum Fauonium spectat, Pillari uero eam partem tenent quae in eurum uergit. multo 2 ea pecore lanigero tam domestico quam siluestri et ceruis et cuniculis perdicibusque et turturibus abundat. laetissima alit pabula, in quibus praeter ingentem uaccarum numerum non pauci porcorum et caprarum greges, quos Hispani habent, pastum capessunt. ultra Riobam- 3 bae sunt deuersoria in latissimis et uberrimis campis posita et non adeo, siue caeli temperiem et regionis situm siue herbarum et florum uarietatem siue fructuum ubertatem aspicias, Baeticis campis dissimilia et Petri Aluaradi Guatimalae praefecti et Didaci Almagri ducis congressu atque concordia, tum etiam pugna illa, quam Sebastianus Benalcazar cum Puruais, qui eam tenent regionem, commisit maxime illustria. a Riobamba prae- 4 fectus Tichizambim contendit et in eo itinere nonnulli Hispani se illi adiungunt. et sane in dies singulos militum numerus crescebat et cibaria abunde ipsis aderant, tum quod ea Indi certatim et quidem summa cum animorum incitatione atque alacritate praeberent, tum quod ea regio, quamuis aspera et montosa, et frugum admodum esset fecunda et cultorum referta. in ea non longe 5 a Maranonis maximi amnis fontibus ad ortum solis Tinguragua est mons et ad occasum Vrcolacus saltus praegelidus et niuosus. deinde uastae sunt solitudines et cadentibus assidue niuibus frigidae et in his, quod

4 certatim P : certamen A || 5 Tinguragua *correxi, cf. Cieza 396a* : Tinguiragua PA

memorabile ea uia regia euntibus occurrit, Caiambis, mox Theocaxarum deuersoria proelio illo plane dubio inter Hispanos Sebastiani Benalcazaris praefecti ductu et Quitiae Indos facto (nemo enim uictoriam repor-
6 tauit) longe clarissima. post milium duodecim interuallo Tichizambis. haec Guaiachiliam, quae ciuitas Sancti Iacobi Amaiensis cognominatur, et montes eius ad dexteram et Pomollatam et Quiznam et Macas ad sinistram habet et circiter centum et triginta passuum milia ab urbe Quito distat.

59 Et eo quidem die quo Castrus praefectus in Tichizambim peruenit Aluarus Ordasius centurio et Gomezius Statius, legati Guaiachiliae ciuitatis, ad ipsum prae-
2 fectum de Punensium iniuriis questum uenere: quod Punenses a Caesare defecissent et Cepedam eius urbis ciuem et insulae Punae praefectum una cum aliis Hispanis occidissent; quod ingenti ratium classe instructa eam oram quae a Portu Vetere ad Trugillum usque excurrit infestam haberent; non sinus, non portus sed ne ullum quidem eius orae locum quantumuis abditum et latentem esse tutum; Hispanos, quominus ipsi traicere operamque suam Caesari aduersus patriae hostes praestare possent, aditu Perurae a praedonibus prohiberi et, si nauigare uellent, se certo mortis periculo committere;
3 quod Vincentium Valuerdum pontificem Cuschanum et

Caiambis *correxi coll. 5.83.4* : Cayambis PA | (nemo ... reportauit) *sic distinxi* || 6 Quiznam *correxi coll. Cieza 396b* : -niam PA | Macas A : Machas P

59 1 Tichizambim A : -ziambim P | Aluarus P : Aluaradus A || 2 infestam A : festam P | et latentem A : latentem P² : latensem P | se certo *scripsi* : secreto PA

Ioannem Blaschium iuris consultum et Ioannem Valdiuiessum equitem et quosdam alios Hispanos, cum ex Paita in Guaiachiliam ratibus transirent, crudelissime interfecissent aurumque et argentum ipsorum abstulissent; quod denique Guaiachiliam et a flumine et a terra obsedissent multisque et magnis incommodis affecissent; rem 4 prope deploratam esse et, nisi propere subsidium mitteretur, fore ut Punenses urbem expugnarent et diruerent, templum inflammarent atque incenderent et ciues cum coniugibus et liberis trucidarent, tum uero Portum Veterem et Piuram urbes exciderent et euerterent et totam illam oram occuparent; iam regulos simul cum ipsis In- 5 dis quos sub imperio haberent suo Guaiachiliae finitimos a Caesare desciuisse; eos in armis esse et id ipsum struere et moliri ac nihil aliud ipsos quam de ciuium pernicie ac caede, de templi incendio ac de urbis excidio agere; itaque senatum populumque Guaiachiliensem 6 omnibus precibus Vaccam Castrum praefectum orare ut quam primum fieri posset eam ciuitatem optime de Caesare meritam ex tantis communibusque periculis et ex omni Punensium impetu eriperet atque conseruaret.

Quibus rebus intellectis Castrus et ex Didaci Vrbinae **60** eius urbis praefecti etiam litteris, quas legati attulerant, cognitis quam celerrime occurrendum putauit. et multae res eum hortabantur quare eam rem maxime cogitaret atque susciperet; quod multa inde mala, si Guaiachilia caperetur, oriri magnaque detrimenta inferri intellegebat; quod, si a Punensibus bello poenas non repeteret grauis-

3 Blaschium A : -quium P | aurumque ... abstulissent *om.* P : *add. in marg.* P[2] || 4 urbes P : urbis A || 5 simul *iterat* P
60 1 grauissimumque A : grauissimum P

simumque de his supplicium non sumeret, qui a Caesare desciuissent, qui caedes effecissent coloniamque Guaiachiliam obsidione cinxissent, in tanto Caesaris imperio turpissimum sibi et reipublicae Hispanae esse existimabat; quod homines feros ac barbaros consuescere ciuitates inuadere et excursiones in earum agros facere Hispanis qui Portum Veterem, Piuram et Trugillum eius orae colonias et Quitum urbem incolerent pericu-
2 losum arbitrabatur. neque tutum esse neque e reipublicae commodo hostes a tergo relinquere uidebat, sed nec alios Indorum principes, ni Punensium ferocitatem comprimeret, audaciam frangeret et conatus uindicaret, quieturos nec sibi obtemperaturos credebat quin arma caperent et in Piurensem regionem et Quitiam prouinciam exirent seseque tanta occasione oblata in liberta-
3 tem assererent priuatasque iniurias ulciscerentur. his rebus praefectus adductus, tametsi paucos tunc milites habebat et ut plures colligeret ac copias quam maximas compararet omni studio contendebat atque laborabat, quo uel Caesaris nomine uel auctoritate sua atque exercitus Didacum Almagrum, Ioannem Radam Montanum, Garsiam Aluaradum et ceteros eius factionis duces et milites ita deterreret ut eos sine ullo conflictu in gratiam fidemque Caesaris reducere posset, tamen auxilium quod legati petebant se daturum eamque rem sibi curae futuram pollicitus est ipsosque, ut id ciuitati confestim renuntiarent, abire iussit.

2 *interpunctionem ante* quin *sustuli, cf. Caes. Gal. 1.33.4* | occasione P : occacione A | oblata A : ablata P || 3 ut *ante* plures *om.* P | *post* laborabat *plene distinguunt* PA | *post* posset *plene distinguunt* PA

Sed imprimis Castrus Sebastianum Benalcazarem Popaianae praefectum inde dimisit, quod ipsum in Didaci Almagri et Chiliensium partem propensum esse cognosceret constantiamque et fidem quam Caesari deberet in eo requireret, quod etiam uereretur ne ille nouis rebus studeret militesque a fide abduceret et in eam partem quam foueret spe praemiorum obiecta traheret. is ubi in Popaianam iter conuertit, Franciscum Nunezium, unum de Francisci Pizarri praefecti interfectoribus, obuiam habuit eumque, ne sceleratissima Didaci Almagri consilia aperiret, a proposito auertit et ut a uia deflecteret et in Popaianam se reciperet equo ei attributo persuasit. **61** 2

Iam uero Castrus, statim ut Benalcazar praefectus discessit, cum Guaiachiliam se diutius sustinere non posse intellegeret, ex eo agmine quod ducebat quinquaginta milites delegit, quibus Bartholomaeum Perezium Portus Veteris ciuem praefecit. eos autem milites, quorum uiginti erant equites et ceteri pedites partim tormentarii partim sagittarii, uestibus adornauit et armis instruxit stipendiaque ipsis numerauit et magnos, ut eam urbem obsidione liberaret, sumptus fecit. omnia tunc in Quitia prouincia care constabant; nam et singuli arcus ferrei, siue hos ballistas minores siue arcuballistas appellare placet, uicenis nummis aureis et gladii et tormenta manualia denis senis uenibant. **62** 2 3

Ceterum Perezius centurio ex Tichizambi eam militum manum per iuga praerupta et aspera et Chumbo- **63**

61 1 uereretur P : uteretur A | nouis P : nobis A || 2 Popaianam P : Popaianum A

62 3 uenibant A : ueniebant P

63 1 Tichizambi *correxi coll. acc.* Tichizambim *in 6.59.1* : -be PA

rum regionem duxit iterque in Guaiachiliam difficillimum habuit. at legati, qui eum antecedebant, incredibili usi celeritate in urbem redeunt eamque in extrema fortuna et discrimine positam inueniunt auxiliumque quod postulabant iam a Castro praefecto mitti et ualidam militum manum aduentare et prope iam adesse palam ciuibus renuntiant. qui, quamquam res erat in angusto et paene iam desperata, tamen se ad omnia confirmant, atque eo magis quod Punenses in se iam irruentes uiderent, quippe qui eo ipso die quo legati uenerant ciuitatem infesto et inimico utrimque clamore edito adoriuntur, quattuor Hispanos interficiunt, octo uulnerant et reliquos fortissime inuadunt. qui numero utique pauci tantum hostium impetum etsi aegre sustinere poterant, at manibus telisque urbem defendebant et ab aris focisque flammas depellebant. sed ne feminis quidem Hispanis segnis tunc erat animus: hae super corporis uires pugnantibus uiris adesse, tela ministrare, uulneratos ad terga recipere et in aedem sacram portare. Punenses uero ab utroque urbis latere ferociter instare et urgere; iam ignes tectis inferre, iam templum incendio consumere uelle. sed militum aduentu, qui subsidio mittebantur, cognito pars subito in castra, pars in rates, ut obuiam ipsis occurrerent, sese recipiunt. quod ubi Didacus Vrbina, qui praeerat Guaiachiliae, intellexit, nuntium ad Bartholomaeum Perezium mittit, ut, si conseruatam urbem uellet, gradum quam maxime acceleraret: sexaginta circiter Hispanos et ex his paucos integros et eos quidem stando uigiliisque fessos, plures autem saucios et

3 confirmant A : -mat P | ipso P : ipse A | uenerant P : uenerunt A || 4 segnis A : signis P || 5 circiter A : cirter P

aegros esse in urbe; nec se dubium facere, nisi intra unum aut alterum diem auxilium ferret, quin Punenses templum et domos eius urbis exciderent atque incenderent. Perezius nuntio accepto, cum salutem ciuitatis in 6 celeritate consistere uideret, amplius milia passuum quinquaginta eo die confecit Indosque armis, qui in itinerum angustiis palustribusque locis agmen intercludere opprimereque conabantur, sex tantum militibus ex suis amissis et pluribus ex hostibus interfectis reppulit et ad mediam noctem Guaiachiliam ingressus Didacum Vrbinam, qui eos Hispanos quos habebat idoneis locis ita disposuerat ut alii hostes propulsarent, alii iniectos templo et tectis ignes restinguerent, in fluminis ripa cum uno aut altero milite stantem inuenit. ex quo facile 7 cognouit et quam misera et afflicta et perdita ciuitatis fortuna esset et quam certum et commune omnibus periculum a Punensibus instaret. ad haec intellexit Vrbinam uereri ne ea nocte a magna Hispanorum parte desereretur neue Guaiachilia defensoribus nudaretur, propterea quod rumor erat quindecim Hispanos, qui simul cum anaconibus, id est, famulis suis aedem sacram, in quam saucii et matres cum liberis ac bonis confugissent, tuendam habebant iam fugam parare, ut qui, ubi illucesceret, excidium urbis continuo futurum pro certo putarent. haec cum ab Vrbina Perezius audiisset, et fu- 8 gam ipsorum repressit et eos in officio retinuit aduentuque suo cunctorum ciuium animos erexit atque confirmauit.

nec P : ne A | exciderent A : -rint P || 6 itinerum A : itinere P || 7 ad A : at P | Guaiachilia A : Guaiachia P | illucesceret *corr. To.* : illusc- PA

64 Haec urbs in Guancabilcarum regione ad Guaiachilis fluuii ripam, unde nomen accepit, a Francisco Orellana, qui sub Francisco Pizarro maximo Perurae praefecto ordines duxit, condita fuit colonique ab eo deducti et agri ipsis diuisi anno a Christo nato MDXXXVII. distat a Portu Vetere interuallo milium octo et ab insula Puna plus centum et sexaginta. Guaiachilis uero amnis ex Quaquiis montibus demissus in austrinum mare exit; nauigabilis est et insignis Guainacapae Hingae traiectu. 2 is enim, cum Caraquios et Guancabilcas perdomuisset et multa Punensium milia, capta insula, acerbissimis et debitis suppliciis mactauisset, quod hi scelerata ac nefaria fraude Hanancuschos et Orencuschos milites totius prouinciae Cuschanae et urbis longe nobilissimos solutis ratibus, quibus ipsos ducebant, in mari submersissent crudelissimeque obtruncauissent, uiam super Guaiachilem amnem latissimum et altissimum construere temptauit. 3 fuit hoc opus profecto magnum et arduum et quod longe omnia opera humana multumque superauisset, si quod tantus princeps incohauerat absoluere perficereque potuisset. sed et uestigia, quae maximam quidem admirationem habent, in flumine adhuc exstant eius uiae, quae traiectus Guainacapae uocatur, abestque is ab insula Puna milia passuum quinquaginta.

64 1 Orellana *correxi, cf. 4.45.1* : Orillana PA (*cf. Cieza 409a*) | duxit A : eduxit P | Quaquiis *correxi, cf. 3.15.3 et Cieza 357a* : Quachiis PA | Guainacapae P : Guanicapae A || 2 Caraquios *correxi, cf. 3.17.1, 3.18.1* : Carachios PA | scelerata P[2]A : scelera P | et Orencuschos *om.* A | nobilissimos A : nouisissimos P || 3 magnum *om.* A | inchoauerat A : inchoauera P | extant A : stant P

Cuius incolae cum Bartholomaeum Perezium, qui **65** subsidio Guaiachiliensium ciuitati uenerat, quam ipsi maxima multitudine obsessam tenebant, intercipere non potuissent, in castra, unde obuiam ei prodierant, reuersi eam telis missilibus, fustibus, facibus et lapidibus uehementissime oppugnant. eos Hispani, quos Vrbina et 2 Perezius indoneis locis collocauerant, tormentis et sagittis repellunt atque ita pro omnibus reipublicae fortunis propugnant ut nullos impetus quos hostes darent, nullos ictus quos inferrent reformidarent, sed omnia tela undique intenta et inter ipsam dimicationem, quae periculosa et atrox erat, in se coniecta subirent atque exciperent. multi ex hostibus tormentis traiecti conci- 3 dunt et ex nostris Aluarus Ordasius Biatiensis centurio et alii duo Hispani occiduntur et tredecim ex Perezii centurionis militibus uulnerantur. reliqui irruentes in se Punenses propellunt caedunt atque fundunt. qui cum Hispanos ex praesidiis et stationibus deturbare non possent et ad multam diei partem dimicatum esset, se in castra recipiunt. nec uero Indi postero die quiescunt 4 nec pugna absistunt, sed non minore animo ac fiducia quam ante dimicauerunt urbem aggrediuntur, quippe cum eo die se eam expugnaturos sperarent et Hispanos fame, morbis, laboribus et uulneribus esse confectos existimarent. itaque maximis clamoribus de more suo utrimque sublatis, ac si uictoriam in manibus haberent, et ex nauibus et ex castris in urbem irrumpunt. quos 5 Hispani obstinatis in ultima spe animis ad decertandum

65 1 Bartholomaeum Perezium P²A : Bartholomaeo Perezio P | obuiam A : obiam P || 2 nullos ... reformidarent *om.* A || 4 fame A : famae P

destrictis gladiis excipiunt et acerrime pro salute communi propugnantes incursionem impetumque ipsorum non solum comprimunt sed complures etiam humi prosternunt. Indi tela coniciunt et omnibus uiribus conten-
6 dunt ut Hispanos uincant et urbem expugnent. hoc ubi Perezius animaduertit et Hispanos impetu et oppugnatione premi uidit, ueritus ne Punenses in urbem irrumperent repente ex ea eruptionem fecit. Vrbina etiam praefectus et ciues, qui in stationibus ad fluminis ripam erant, audacissime prorumpunt et aduersarios ferro urgent eminusque tormentis et sagittis et comminus gladiis et bipennibus rem gerunt. altera ex parte, quae castris hostium erat opposita, Perezius et equites, quos in pugnam induxerat, circumire Indos, propterere auersos
7 et hastis confodere coeperunt. Punenses autem redintegrato clamore se colligunt et impressionem in equites faciunt et septem circumuentos simul cum equis obtruncant, reliquos telis repellunt atque auertunt. Hispani uero ex utraque urbis parte sese ferociter in Punenses inferunt. hinc late stragem dant, hinc ingentem caedem edunt eosque, cum iam nox proelium dirimeret, pedem referre ac terga uertere et sese in castra aut in rates reci-
8 pere cogunt. multi ab equitibus, dum pedites strictis gladiis eos insequerentur, protriti, multi in fuga intercepti fuere. ceteri motis ea nocte castris rates conscendunt et secundo flumine delati in Punam insulam reuertuntur.

66 Iam uero Perezius, Guaiachilia periculis obsidionis liberata, in Portum Veterem cum his militibus qui relicti erant se contulit breuique eo adueniens effecit ut

6 opposita A : apposita P

Caraquii et Guancabilcae furore et bello, quo eam premebant urbem, absisterent et reguli finitimi, qui defecerant, in deditionem potestatemque Caesaris redigerentur atque ea sine certamine tota ora ad Tumbezium usque in dicionem fidemque eius rediret. quibus 2 in rebus Perezius fortiter prudenterque se gessit ac de his omnibus per litteras Vaccam Castrum praefectum certiorem fecit. qui interim, dum haec ad Guaiachiliam et Portum Veterem gererentur, ex Tichizambi profectus ad Chanchani hospitia, quae a Thomebamba milia passuum sunt octoginta, descendit iterque inde eo direxit.

Terra et aprica est atque ea caeli temperatione ut eae **67** arbores et herbae ibi nascantur, quae alibi propter frigoris uim non proueniunt. ideo eius regionis cultores ut ceteri tam Perurae montanae quam planae, qui huiuscemodi incolunt terras, quae nec intolerabili frigore nec nimio calore infestantur, Iungae in unum omnes appellantur. totus ille tractus utrimque cultissimus est et 2 uia regia, qua Castrus praefectus Thomebambam uenit, deuersoria habet peropportuna et alimentis plena octonisque aut duodenis aut denis senis passuum inter se milibus distantia. iam uero Thomebamba in Cannaria, 3 quae nomen a celeberrimis Cannaribambae et Hatuncannarii deuersoriis accepit, sita est. haec prouincia late

66 1 Caraquii *correxi, cf. adn. ad 6.64.2* : Carachii A : Carchii P || 2 fecit P : f*cit A | Tichizambi *correxi, cf. app. crit. ad 6.63.1* : -be A : -bae P *ut uid.* | Chanchani P (*cf. Cieza 396b*) : -cani A | ab *scr. To.* : ad PA | Thomebamba P : To- A

67 1 Iungae *correxi, cf. e.g. 2.29.1* : Hyun- PA || 2 duodenis P^2A : duonis P | se *om.* P || 3 Cannaribambae A : Canari- P

patet et ditis admodum soli feracisque est. multi magnique amnes aurum generantes per eam in austrinum ma-
4 re decurrunt. Cannarii una gens parum ingeniis cultibusque ab aliis Peruranis differunt, tunicis laneis aut gossypinis uelantur et comas, quas promissas longasque nutriunt, inuoluunt implicantque sertis ex lino tenuissimis eoque insigni ipsi ab aliis Perurae gentibus distinguuntur, domiciliaque lapidibus exstructa et stramentis
5 contecta habitant. uiri autem domi ritu mulierum desides sedent, crines componunt nec faciem neglegunt, corpora sua somno et cibo curant, arma poliunt, pensa trahunt, telas texunt et uestimenta consuunt atque resarciunt; feminae uero agros colunt atque exercent, sementes faciunt, fructus colligunt atque condunt et in militaribus sarcinis ferendis in locum uirorum subeunt
6 easque procul etiam domo umeris portant. hoc Cannarii ideo coniugibus et puellis permittunt, quod Atabalipa crudelissimus princeps eam prouinciam maribus exhauserit et funditus Thomebambam euerterit atque exusserit refertissimamque eam feminis reliquerit, quippe qui, Atoco Guascaris Hingae fratris sui legato ad Ambatum cum exercitu fuso atque deleto, Cannarios simul cum pueris et ramis uiridibus ac palmis obuiam ei procedentes et ueniam petentes supplicesque eius misericordiam implorantes fere ad unum omnes, quod
7 partes Guascaris secuti fuissent, interfici iussit. Sol ex Mangi Capae Hingae instituto cunctorum Cannariorum

3–4 aurum ... una gens *om.* A || 4 uelantur A : be- P | sertis A : certis P | lino P (*de toto hoc capite cf. 2.31.3, 2.31.4 et Cieza 396a*) : ligno A || 5 crines A : clines P || 6 Atoco *correxi, cf. e.g. 3.1.4* : Atocho PA

numen est. qui etsi aliis superstitionibus, ominibus et ueneficiis maxime sunt dediti, tamen unum omnium rerum factorem, quem lingua Cuschana dicunt Ticebiracochem, agnoscunt et fatentur. at uero Thomebamba in 8 planitie frigida quidem illa at ceruis, cuniculis, perdicibus et turturibus aliisque auibus abundanti et in circuitu milia quinquaginta excurrenti ad duorum amnium paruorum confluentes posita est et Maranonem fluuiorum maximum, quem Amazonium uocant, et montes eius ad solis ortum et Guancabilcas, qui ad Guaiachiliam et Portum Veterem pertinent, ad occasum habet.

Hic regia et magnificentissima Hingarum hospitia et **68** palatia fuere. hic templum Solis ditissimum et ornatissimum omnium, Cuschano aut Pachacamensi excepto, fuit, quod Iupangues Hinga condidit, magnus Topahinga eius filius refecit et Guainacapa nepos summe excoluit. aedes autem Solis et regia domus e politissimis ma- 2 ximisque lapidibus partim nigri partim iaspidei coloris erant exstructae. quos ab Cuscho usque funibus religatos imperantibus Hingis memorant a multis Indorum milibus continenti labore et ualidissimis uiribus et lacertis tractos fuisse. quae sane res, si fidem habet ac si quis secum in animo magnitudinem et ingentem lapidum numerum et itineris longitudinem atque difficultatem considerat, longe omnium operum labores et sumptus multumque superat et neminem non ad sum-

7 numen P[2]A : nomen P | ominibus *scripsi, cf. e.g. 5.79.7* : omnibus PA | ueneficiis P[2] : beneficiis PA || 8 ceruis P[2]A : seruis P | ad *post* qui *om.* P : *add.* P[2] | Guaiachiliam A : Guaiaquiliam P

68 1 magnificentissima A : manif**entissima P || 2 animo A : animum P

3 mam admirationem traducit. interiora uerum parietum latera laminis et crustis aureis operiebantur, in quibus Hingarum principum figurae erant caelatae. atque ea aedificia in pulcherrimae testudinis modum tanta arte paleis ex milio erant contecta ut, nisi incendio consumpta fuissent, fere in perpetuum durauissent. sed et in ostiorum antepagmentis, hyperthyris, cornicibus et tympanis quam plurimi smaragdi aliique lapilli perlucentes erant inserti. tum uero in conclauibus regiae complures palearum manipuli et guanacorum, uicuniarum, tigrium et aliarum ferarum siluestrium et auium et piscium arborumque et herbarum effigies ex puro erant
4 auro et suis quaeque parietum aediculis repositae. ad haec in arcanis penetralibus maxima uis auri atque argenti facti et signati armariis condebatur et quam plurimae urnae, pelues, aena et alia uasa ex argento ingentia poculis et pateris et ornamentis aureis erant referta. multa et magnifica in multis camaris supellex, multae et pulchrae tunicae, multae et pretiosae uestes stragulae et bratteis aureis et calculis purpureis, quos chaquiram uocant, distinctae. hi uero calculi sunt orbiculi, quibus Peruranae feminae aeque ac gemmatis monilibus (magni enim eos aestimant) aureisque torquibus ad corporis
5 ornatum utuntur. at enim uirgines ueteribus institutis religionibusque Mangi Capae Hingae Soli lectae atque consecratae, quae amplius ducentae et forma et uirginitate insignes et Cannariorum regulis et nobilibus erant prognatae, tunicas ex lino xylino et stragulas uestes e

3 et *ante* tympanis P : ex A || 4 armariis P[2]A : armis P | ahena A : abena P | hi A : hic P | (magni ... aestimant) *sic distinxi*

mollissimis candidissimisque uicuniarum ouium lanis aut ex auro textili faciebant easque gemmis, margaritis et orbiculis purpurei coloris praetexebant. praeterea ingens erat aurificum et caelatorum numerus, qui uasa aurea et argentea ad fani regiaeque cultum et usum necessaria factitabant et simulacra et signa Solis et Hingarum principum ex auro exsculpebant effigiesque animalium et plantarum aliarumque rerum exprimebant auroque uel argento caelabant. permulti erant in templo sacerdotes magnam religionem et sanctimoniam prae se ferentes, qui permutatis uicibus sacra obibant Solique sacrificabant, permulti etiam aeditui, ostiarii et custodes aliique Solis ministri publici, qui ad uirginum sacrarum custodiam, nisi castrati essent, non admittebantur. ac tum demum ne quid sacerdotibus neue uirginibus neue ceteris deesset praefectus annonae diligenter curabat et prouidebat et ea parare studebat, quae ad cultum et ad uictum suppeditarent. 6 7

69 Ceterum ad templi aediumque regiarum ambitum non pauca erant domicilia excipiendis militibus, cum exercitum eo Hinga duceret, constructa et uestiaria tunicis, sagis et aliis uestimentis laneis et gossypinis et calceis siue oxotis plena et armamentaria omni telorum genere, quibus Indi utuntur, referta et suis quaeque locis miro ordine collocata. quin et cellae et horrea undique erant constituta, ubi esculenta et poculenta et fruges recondebantur tantaque omnium rerum quas natura desiderat abundantia et copia ut ea uestiendis, armandis alendisque triginta hominum milibus abunde sufficeret. 2

6 aliarumque A : aliorumque P | aeditui A : *ditui P | castrati P² (*in marg.*) A : castri P

3 nam praeter alimenta, quae subinde cellis reponebantur, milium aliaeque fruges ita in annum erant a praefecto annonae prouisae atque ea cura et moderatione distributae ut non modo non deessent, sed sumptibus etiam necessariis suppeterent. is rationes accepti et expensi more patrio ab se confectas quaestoribus reddebat, quas ipsi ab eo accipiebant et praefecto regio Cannario-
4 rum, qui praeerat Thomebambae, referebant. ceterum si quis militum, quoniam necessarii et cottidiani sumptus ipsis suppeditabantur, aliquid a Cannariis per uim auferret aut latrocinium aut aliud crimen faceret, adeo grauiter et seuere Hinga aut eius praefectus in eum animaduertebat ut ne filiis quidem ipse suis parceret. tanta erat iustitiae cura et rei militaris disciplina.

70 Etenim principes Hingae Thomebambam tum ob regionis naturam, quod caelo laeto et solo fecundo esset, tum ob maximam gentium frequentiam tanti faciebant ut eam potissimum ornandam instruendamque curarent primasque post Cuschum ei deferrent. itaque, cum aliquis princeps de uita decederet, is qui in eius locum succedebat, statim ut diadema regium capiti suo impositum erat, praefectum eo mittebat, qui et possessionem eius Cannariorum prouinciae acciperet et imperio eam obtineret atque administraret hospitiisque Thomebam-
2 bae regiis praeesset. quippe Iupanguem Hingam tradunt Thomebambam maxime illustrem et nobilem fecisse temploque Solis et aliis magnificis et praeclaris operibus decorauisse ipsumque diutius ac libentius illic
3 quam Cuschi aut alibi uitam egisse. addunt etiam Indi magnum Topahingam, simul ac primum ipse Iupangui

70 1 principes A : princeps P

Hingae patri suo successisset, eam Thomebambae praefecturam nobilissimo Indo dedisse et templum Solis signis et donis aureis pulcherrimisque monumentis exornauisse ac domum ibi regiam et dignitatis plenam sibi aedificauisse et ut aedes paternae una cum omni auro et argento cunctisque ornamentis integrae et intactae manerent uoluisse iucundissimeque ipsum aliquandiu Thomebambae uixisse. at uero Guainacapa ueteri Hingarum consuetudine et instituto, ubi insigni regio, iustis magno Topahingae patri rite persolutis, Cuschi more maiorum ornatus fuisset, quendam ex equitibus hominem et perspecta fide et summa uirtute praeditum Thomebambae praefecit et palatia Topahingae patris atque Iupanguis aui maximis diuitiis plena et referta religiosissime custodiri et regiam plane auream sibi construi et templum Solis renouari iussit. sed et Quitum ipse, cum Quitiam in potestatem suam armis redegisset imperiumque Perurae in Pastos usque Indos protulisset, praecipue illustrauit atque nobilitauit. quo fiebat ut Thomebamba, propterea quod templum Solis regalibus principum donis augeretur ac decoraretur et ueterum Hingarum regia tecta integra seruarentur nec aurum nec argentum nec cetera ex armariis ubi erant condita promerentur, et thesaurorum magnitudine et pretiosissimarum rerum multitudine longe ceteris Perurae praefecturis antecelleret. 4 5

71 Quin et Guainacapam ferunt, cum Thomebambae commoraretur, aduentum Francisci Pizarri et tredecim

4 atque nobilitauit *om.* A || 5 ac P : et A

71 1 Guainacapam *correxi hic et quotienscumque codd.* Guayn- *scr., sicuti posthac solent* : Guayn- PA

sociorum eius, cum ipsi nauem ad Tumbezium appulissent eamque Perurae oram primi omnium Hispanorum explorauissent, ex nuntiis cognouisse atque tunc praedixisse gentem exteram, fortem ac bellicosam et haud ipsi quae in ea erat naue absimilem post obitum suum impe-
2 rio Perurae potituram. id ipsum non multo post Guainacapae mortem, sicuti ipse ante praedixerat, ex discordia inter Guascarem et Atabalipam fratrem exorta euenit, unde initium belli acerbissimi et calamitosissimi factum est. Guascar enim, cum iam summo in imperio, Guainacapa patre uita Quiti defuncto, esset, exemplo eius atque aui Topahingae Atocum ducem praestantissimum in Cannariorum prouinciam misit, ut eam gubernaret et Thomebambae praeesset aedesque nobilissimas
3 et ornatissimas, refectis paternis, ibi constitueret. unde, cum id Atabalipa non permitteret, ut qui contenderet Thomebambam ad Quitiam regnum auitum, maternum atque suum, quod etiam Guainacapa pater moriens ipsi reliquerat, pertinere, magnae et perniciosae seditiones et bella impia et pestifera per totam Peruram concitata sunt. maximi deinde exercitus utrimque collecti atque concisi tantaeque et publicae clades contentione et temeritate amborum fratrum contractae fuerunt ut alter alteri
4 exitio et uterque patriae excidio fuerit. quin et Thomebamba horribili utriusque exercitus strage et nefaria Cannariorum caede et suo etiam ipsius incendio ac ruina dein clarior quam templo Solis diuitiis incluto et hospitiis regiis auro, argento et gemmis plane scatentibus futura est. cuius uix simulacrum aliquod aut uestigium

absimilem A : absimile P || 2 Guainacapae A : Guaynapae P | in *ante* imperio *om.* P || 4 uestigium A : uestigio P

remanet et quod relictum est haud difficulter significat quanta fuerit templi aedificiorumque regiorum amplitudo et pulchritudo. quorum ruinae incredibilem Vaccae Castro praefecto admirationem mouerunt.

Is ab Thomebamba milites ad Cannaribambam deduxit et inde itinere per Cannarios continuato Paltarum regionem est ingressus et ad ea uenit deuersoria quae lapidibus ad Tumbezii amnis fontes pulcherrime structa sunt, unde ab Hispanis nomen Petrarum illis inditum est. haec Portum Veterem ad occidentem et Bracchamoros populos ad orientem spectant. quorum regio longe lateque patet, quae etsi altissimis siluestribusque montibus et plurimis praegrandibusque fluminibus impedita esse traditur, tamen solo est admodum diti et fecundo. cuius cultores moribus ab Popaianis non multum differunt. nudi agunt atque adeo inculti sunt et omnium uirtutum ignari indomitique et bellicosi ut numquam ab Hingis subigi potuerint, sed Guainacapam magna illata clade in fugam uerterint. eorum etiam regionem Petrus Vergara centurio, cum explorare inuadereque cum una Hispanorum cohorte inciperet, litteris Vaccae Castri praefecti, quas Didacus Sandouallius a Quito usque ipsi pertulit, euocatus reliquit. traiecto autem Tumbezio flumine, mons surgit perfrigido ille quidem situ, sed qui ad milia tantum quadraginta protenditur. ad cuius radices ea sunt deuersoria posita quae ab albedine

72 (margin: 72, 2, 3, 4)

haud *scripsi* : aut PA

72 1 ad *ante* ea A : ab P | Bracchamoros A : Bracca- P | spectant A : expectant P || 2 adeo P : adeo *in* ideo *corr.* A *ut uid.* | ignari P : ignorari A || 4 deuersoria ... quae ab albedine nomen accepere] *i.e. Tamboblanco, cf. Cieza 410a*

nomen accepere, unde praefectus reliquum iter per Caluam et Aiauacam, quae ad solis ortum Bracchamoros atque Andes montes attingunt et ad occasum Piuram, primam Hispanorum in Perura coloniam, quae cognominatur ciuitas Sancti Michaelis, habent, ac deinde per
5 Caxarum regionem et Guancabambam confecit. haec regio ideo memorabilis, quod in ea arces Hingarum munitissimae et templum Solis insigne et hospitia fuerunt amplissima. illa uero regia tantum domicilia habuit, in quibus omnes res quas Indi qui eam regionem incolebant uectigalis tributique nomine ab Hingis impositi pendebant a summis eorum praefectis reponebantur at-
6 que seruabantur. habitus autem et mores cultorum earum regionum, etiamsi ipsi fines eorum contingant, dissimiles sunt atque Caraquiorum et Guancabilcarum; institutis enim Hingarum illi utpote ab his subacti utuntur. lana aut lino xylino uestiuntur. alii capillum promittunt, alii resecant aut in nodum colligunt. pilos mento, si forte nascuntur (sunt enim in uniuersum omnes Indi
7 semper imberbes), uellunt. iam uero in eo itinere complures Hispani ad praefectum uenerunt et in his Rodericus Ocampus excellenti uirtute eques, qui Pasto oppido, quod praetor nomine Sebastiani Benalcazaris Popaianae praefecti obtinebat, et domo et Indis uectigalibus quos habebat relictis ad Castrum, ut Caesari operam suam contra patriae hostes fortiter praestaret, se contulit. qui eum in honore habuit et custodiae suae praefecit.

73 Et cum ultra Guancabambam cum agmine iam progressus esset, tandem ad Piuram mense Martio eius

6 Caraquiorum *correxi* : Carachi- A : Charachi- P | capillum P : capillunt A | (sunt ... imberbes) *sic distinxit To.*

anni qui erat a Christo nato millesimus quingentesimus quadragesimus secundus peruenit ac summo et singulari amore atque honore ab omnibus ciuibus exceptus est. ac primum Castrus praefectus eam ciuitatem, quam Garsias Aluaradus paene euerterat, in antiquum statum restituit. multa deinde ipse quae ad concordiam salutemque ciuium et ad eos in fide et officio retinendos necessaria esse intellexit sapienter instituit atque perfecit, quippe plures in ea colonia in Didaci Almagri partem propensi erant, quam Didacus Sanctiagus Cantaber, quem Garsias Aluaradus ei urbi Almagri nomine praefecerat, praecipue fouebat. a quo Castrus tria nummorum aureorum milia, quae Sebastianus Benalcazar apud eum deposuerat eaque postea ex aerario regio Quiti acceperat, Roderico Nunezio Bonillae praefecto aerarii eius urbis solui imperauit. qui, relatis ad Castrum cum fide rationibus publicis, quas ipse ab eo et a Francisco Roderico quaestore ibi accepit, quod penes se pecuniae erat ei tradidit. ea autem summa fuit sex milium tantum aureorum, quam praefectus in bellicos domesticosque usus expendit. nam et iis militibus quos ex Tichizambi subsidio Guaiachiliae misit stipendia solui eosque telis ornari et Piurae magnam ferri uim una cum ea nauicula qua in Paitam portum deuecta erat, ut Limam inde deferretur, emi iussit. tum uero ex ea materia loricas, galeas et spicula et octoginta tormenta manualia, quibus totidem ex iis militibus quos Ioannes Perezius Gueuara centurio sub signo ha-

(2) (3) (4) (5)

73 2 Sanctiagus *correxi* : -cus PA | Cantaber] *sed cf. 6.17.1* || 4 Tichizambi *correxi, cf. app. crit. ad 6.63.1* : -be P : -bae A

buit postea instruxit, Limae fieri mandauit. ad haec Piurae maximam pulueris puluisculique et glandium ex plumbo et funiculorum tormentariorum ex gossypio copiam (neque enim cannabis aut linum in Perura tunc proueniebat) parari et Trugilli hastas lanceasque confici curauit.

74 Tanta medius fidius et cura eius et prouindentia in omnibus rebus et conquirendis et comparandis fuit ut iure Franciscus Abraeus dicere in publico non dubitarit ea certe quae Castrus faceret atque prouideret ueterani potius esse militis ac ducis in rebus militaribus et gerendis et sustinendis in Italia exercitatissimi et paratissimi quam iudicis seuerissimi atque integerrimi et uiri in artibus ingenuis et iuris consultorum uoluminibus maxime uersati atque in academia Salmanticensi totius orbis longe celeberrima atque florentissima auspicato 2 inaugurati. quod sane non paruam admirationem obtinet, atque eo magis quod Castrus in tam magna omnium rerum inopia et summa annonae caritate tot tantasque res et in tam longis et diuersis terrarum tractibus et tam diligenter ac celeriter conquisiuit atque comparauit quot quantasque, antequam agmina collatis signis con-3 fligerent, in manu habuit. nam quamuis tum Garsias Aluaradus Piuram et Trugillum Hispanorum colonias omni auro et argento spoliarit, equos et arma abstulerit et Indos et agros uectigales a Paita portu ad Ciuitatem usque Regum adeo uexarit atque exinanierit ut nihil ferri, nihil plumbi, nihil earum rerum, unde tormenta bellica et glandes et cetera ad belli usum necessaria fieri

5 ad A : at P | (neque enim ... proueniebat) *sic distinxi*
74 1 et *ante* comparandis P : atque A | orbis A : orbi P

possent, reliquerit, tum Didacus Almagrus Limam diripuerit omnemque pecuniam ex aerario exhauserit, tum denique eius duces totam paene Peruram compilarint et fana depeculati fuerint, tamen Castrus labore, industria consilioque suo ita omnia praecauit atque prouidit ut pro salute communi contra sceleratissimam patriae Caesarisque conspirationem hostium confligere et haud dubiam uictoriam habere posset.

75 Iam uero complures Hispani partim nudi inopesque partim inermes ad eum cottidie confugiebant, quos et ali et uestiri et armari ac nonnullis ex ducibus equos attribui, quorum singuli tunc in Perura non minoris quam trecenis aut quadringenis aureis uendebantur, atque etiam ipsis pecuniam dari erat necesse. quin et militibus, quos Castrus praefectus et Quiti et in uia usque ad Piuram collegerat, et tubicinibus et citharoedis satellitibusque et stipatoribus corporis sui, quos ipse constituerat, stipendium est persolutum. 2 at enim Castrus, licet his difficillimis reipublicae Peruranae temporibus Hispanis miseris laborantibusque succurreret, tamen ducibus, ut illud quo animum intendebat efficeret, dona muneraque dabat, ut qui et Roderico Ocampo custodiae suae praefecto pecunias adnumerarit et Ioannem Vlmum centurionem equo donarit et Greiedae uiro fortissimo, qui militarem egregiamque operam Caesari nauauerat, Indos uectigales Bernardi Piurensis, qui diem obierat suum, concesserit.

3 omnemque pecunia *(sic)*, *quod post* exhauserit *iterauerat* P, *expunxit* P[2]

75 1 quadrĩgenis P : quadrãngenis A || 2 donarit P : donari A

76 Ceterum ipse, cum multa praefectis et centurionibus conferret militibusque auxilii inopibus subueniret, tamen eo animo fuit incorrupto ut nihil umquam ab aliquo, dum summum in Perura gessit magistratum, nisi prius illud tantidem quanti ualeret aestimaretur pecuniaque etiam numeraretur, muneri acceperit. **2** usque adeo enim religiose donis Castrus semper abstinuit ut neque pro praetura aut alio munere regio, quod deferret, neque pro uectigalibus stipendiariisque Indis, quos attribueret, neque pro ullo alio beneficio, quod alicui daret, quicquam a nemine homine pretii repetierit. nam et in Riobamba Ioanni Rheae pro patera aurea quam dono ei dare uoluerat et Piurae Ioanni Porcello centurioni pro smaragdo aequa aestimatione facta pecuniam soluit. **3** tum uero Castrus insignem et fortem equum, quem Sebastianus Gama ciuis Piurensis muneri ei obtulerat, altero equo suo et pretio permutauit, quippe praeter eum equum, qui ducentis aureis constiterat, quadringentos insuper addidit, etiamsi Gama eum equum multo minoris quam tunc a quodam ciue Piurensi aestimatus fuit Garsiae Leoni iuris consulto ante uenderet. itaque equus ille sescentis aureis Vaccae Castro praefecto stetit. **4** quem Sebastianus Gama nullo umquam modo inducere potuit, etiamsi id ab ipso uehementer contenderit, ut smaragdum peruiridem et radiantem, quem dono ei dabat, acciperet:

76 1 conferret A : coferreret P | auxilii inopibus] auxilii in opibus PA | pecuniaque etiam numeraretur *om.* P : *add. in marg.* P[2] | muneri P : numeri A || 2 praetura P : Perura A | munere P : numere A | Rheae *corr. To.* (*Hispane* de la Rea) : Reheae P : Reae A | aestimatione A : stimatione P || 4 acciperet A : -ere P

usque adeo Castrus se in Perura excellenter gessit et in omnibus semper rebus caste integreque uersatus est.

Sed enim coloni Piurenses nec pecunias militibus in stipendium dedere nec equos praeter quosdam clitellarios, quos statim praefectus reddi ipsis iussit, attribuere nec arma contulere; denique nec quisquam omnium, uno Petro Gutterio Rheio excepto, fuit, qui sumptis armis castra regia sequeretur, ut qui dicerent bellum a finitimis Indorum regulis et periculum sibi a Punensibus, qui in armis tunc erant, imminere. iam uero Castrus, rebus prudenter constitutis, Sebastianum Gamam, quem Ioannes Valdiuiessus, cum ab eo missus Piuram uenisset, in Didaci Sanctiagi Cantabri locum abdicato magistratu, quod is factionis esset Chiliensis Didacique Almagri partem defenderet, iam suffecerat, ei etiam urbi suo atque Caesaris nomine praefecit; deinde ex ea postea cum ducentis et triginta militibus tum equitibus tum peditibus occidente iam sole egressus est iterque Trugillum, quod inde aberat milia passuum ducenta et quadraginta, intendit. **77** 2

Vastae in ea regione solitudines et harenosae atque saxosae praesertim ad Motupiam usque uallem sunt, in quibus ob intolerabiles aestus nec arborum umbrae nec herbarum uiriditates nec fontium amoenitates nec aurae refrigerationes nec aliae sunt aquae quam illae et quidem salsae, sicuti libro secundo dictum est, quae de puteis qui habentur in deuersoriis hauriuntur. haec **78** 2

semper rebus A : rebus semper P

77 1 nec *ante* quisquam A : ne P | Indorum A : Indis P || 2 Sanctiagi *correxi* : -tiachi P : -thiachi A | tum equitibus tum peditibus *om.* P

78 1 arborum A : orborum P | secundo] *sed cf. 3.30.1*

itinere unius diei siue potius noctis inuicem inter se distant; noctu enim non interdiu iter ea uia aestuosa et puluerulenta conficere oportet atque ab uno deuersorio, nisi quis solis ardore torreri malit, ad alterum, antequam ipse oriatur, peruenire ibique, donec occidat, ut
3 nimius eius calor uitetur, acquiescere. ceterum Castrus ea nocte qua ex ciuitate Sancti Michaelis profectus est uiam quam celerrime potuit confecit peditesque et Indos sarcinarios, ut laborantibus subueniret, ne siti consumerentur, cum equitatu antecessit et, priusquam illucesceret, in deuersorium uenit, unde e uestigio ipse quosdam ex equitibus atque ex domesticis suis obuiam peditibus et Indis, qui sarcinas umeris portabant, cum canistras cucumerum plenis, quorum magna copia in eo erat deuersorio, et uasis aquae misit. ac sic eos per interualla suis quosque locis dispositos esse iussit, ut alii ab aliis huc atque illuc recurrentibus ea uasa acciperent atque ita concitatis equis properarent et peditibus Indisque uenientibus occurrerent ut eos ex labore caloreque reficerent atque illi ipsi aestum refrigerarent eoque cibo et potione, si non famem et sitim depellerent, at saltem
4 leuarent. qua profecto refectione et refrigeratione Castrus fecit ut duobus equis amissis, qui pluris sescentis tunc aureis ualebant, pedites et Indos sarcinarios omnes ad unum incolumes bidui inde itinere ad Motupiam uallem perduxerit, fecundam quidem frugum et prae-

2 itinere A : -ris P | iter A : inter P || 3 illucesceret *corr. To.* : illuscesceret P : illusceret A | unde P[2]A : und P | cucumerum A : cucumerim P[2] : *nescio quid in* P | erat P : ea A : est *scr. To.* | sic *scr. To.* : si PA | quosque A : quoque P | atque illi ... refrigerarent *om.* A

dulcium siliquarum et gossypii copia abundantem. quam eiusdem nominis amnis e montibus descendens irrigat ac non longe a mari in cuniculos se mergit nec amplius super terram emergit.

79 Inde uia regia, quae ab Tumbezia per regiones et ualles Perurae planae ad Cuschum ducit, in Xaiancam milia a Motupia sedecim uentum est, unde Petrus Vergara centurio una cum Didaco Sandouallio et Didaco Nunezio Vacca et militibus, quos ex Bracchamoris eo deduxerat, longe Vaccae Castro praefecto obuiam processit. 2 quos ipse omnes alacri et prompto uultu excepit fidemque et constantiam ipsorum summis extulit laudibus. tum uero Caesaris nomine pollicitus est se pro laboribus quos in explorandis Bracchamoris et in tam longinquo periculosoque itinere pertulissent, dummodo ipsi in fide et constantia perseuerarent atque permanerent praeclaramque, sicuti semper fecissent, operam in re militari praestarent, magna et ampla praemia etiam in Perura eis daturum. 3 erant hi milites numero sexaginta horridi plane et fame et egestate perditi ac sine uestimentis et armis partim nudi partim ceruinis pellibus tecti, quorum misera et afflicta fortuna facile animum Vaccae Castri, ut ipsis succurreret, ad misericordiam allexit. qui, tametsi magna erat stipendii inopia, tamen Petro Vergarae centurioni circiter quattuor nummum aureorum milia, ut militibus ea distribueret, unde sibi et uestimenta et arma compararent, a quaestoribus numerari imperauit eumque militaribus et honestis donis ornauit.

79 1 Bracchamoris A : Bracca- P || 3 hi A : hic P | egestate P : gestate A | questoribus P : quaestore A

80 At uero ipse a Xaianca copias, quas iam ex militibus Vergarae centurionis suppleuerat, in Tuquemiam, post in Cynthiam, deinde in Collichiam duxit. haec uallis a Collichio amne, qui per eam defluit, nomen accepit, unde Indi simili et eadem industria atque alii uallium irriguarum cultores riuos deducunt, quibus agros hor-
2 tosque et arbores rigant. ceterum id terrae spatium, quod singulas quasque ualles interiacet, ita sterilibus obductum est harenis ardoreque solis exustum ut nihil omnino gignat; non enim fontes ibi oriuntur, non herbae, non arbores nascuntur, nec ferae per eas solitudines errant nec alites nisi alte perniciterque superuolantes uidentur. hoc unicum laboris solacium et leuamentum iis praesertim est, qui per ea deserta et harenosa loca iter pedibus ingrediuntur, quod multo ante quam in uallem perueniant, arbores siluasque eius prospiciunt, ubi se ex labore reficiunt. fertiles enim hominum, frugum fructuumque sunt hae ualles, sed praecipue Collichia, unde Castrus in Zaniam et inde in Pacasmaiam et ab ea in Chazamiam milia sedecim in Chimia ualle uia
3 regia se contulit. quae florentibus Hingarum rebus aedificiis perinde magnificis et repositoriis maximis, ubi res quas earum uallium incolae pendebant a praefectis exactoribusque condebantur, ac montana illa militarique uia ornata erat. quae omnia bellis ciuilibus ita funditus diruta euersaque sunt ut ne uestigium quidem ullum

80 1 Xaianca P : Caianca A | Tuquemiam *correxi, cf. Cieza 419a* : Teque- PA | duxit ... Collichio *om.* P : *add.* P[2] *in marg.* | Collichiam ... Collichio P : -quiam ... -quio A || 2 fertiles A : -lis P | Collichia P : -quia A || 3 militarique *corr. To., cf. Cieza 419b* : militarisque PA

maneat. sed enim in illa uia regia nullus fere intercede- 4
bat dies quin aliquot Hispani cum alibi tum maxime in
Pacasmaia Vaccae Castro praefecto occurrerent, ut sub
eo Caesaris nomine stipendia mererent. ea autem uallis 5
ceteris quas supra rettuli et agris uberrimis et arboribus
tam cultis quam siluestribus et pabulis laetissimis, ad
quae paene innumerabilis pecoris multitudo mittitur,
longe antecellit. id uero flumen ingens, unde ipsa no-
men traxit, per eam de montibus defluens efficit. cete- 6
rum a Chazamia Vacca Castrus praefectus cum trecentis
et triginta militibus, quamquam Augustinus Zarataeus
Caesaris quaestor multo minorem numerum tradit,
Trugillum peruenit et a Petro Puellaeo eius urbis prae-
fecto et a decurionibus ceterisque ciuibus, qui obuiam
processerant, de more solemni ac plane regio exceptus
est.

Trugillum in loco plano, salubri atque amoeno Chi- **81**
miae uallis, cui et amni qui eam influit Chimus uetu-
stissimus et fortissimus earum uallium princeps nomen
dedisse traditur, situm est. quod Franciscus Pizarrus
praefectus ad fluminis ripam, cum iam antea Didacus
Almagrus fines ei designauisset, eo anno exstruxit qui
fuit Christi millesimus quingentesimus tricesimus quin-
tus. haec autem urbs quam plurimis et optimis undique 2
uillis et his quidem frugum fructuumque refertissimis
cincta est, ager uero utpote riguus maxime iucundus ac
fertilis; nam praeter milium et radices, quibus Indi ue-
sci solent, et peculiares arbores fructiferas quas habent
frumenta etiam sata fecundo prouentu nutrit et uitem

4 illa P : ea A | Vaccae P : Vacca A
81 1 Franciscus A : Francus P

ficumque et malum Punicum benigne alit atque omnis generis citros aliasque arbores peregrinas ex Hispania
3 aduectas gignit. tum uero pecore et altilibus et auibus tam domesticis quam siluestribus abundat. tanta etiam hic lini xylini copia est ut ex eo uestes magno numero conficiantur et nauibus in alias prouincias exportentur; non enim longe ab ea urbe mare nec portus qui uocatur Arreciphius Trugillensis abest.

82 Porro Garsias Aluaradus aeque Trugillum ac Piuram diripuerat nihilque non modo de aerario sed ne de bonis quidem ciuium reliqui fecerat, quod Vaccae Castro praefecto usui uel ad bellicum apparatum uel ad tantos sumptos quantos ipse faciebat sustinendos esse posset.
2 omnibus enim hospitium eius patebat mensaeque semper erant appositae et cibo et potione liberaliter exstructae, ut cum alii milites tum potissimum hi qui erant inopes famem sitimque depellerent. sed et Castrus praefectus duces et equites et in his Laurentium Aldanam et Gomezium Tordoiam, cui dissensio et inimicitia cum Petro Aluaro Holguino intercesserat ideoque cum aliis Hispanis nobilibus Trugillum uenerat, uel prandio
3 uel cena in dies accipiebat. at Castrus, cum in tanta ciuitatis direptione nihil ex ea opis exspectare, nihil auxilii habere posset praeter eam pecuniam quam ab aerarii expilatione Didacus Mora collegeret eique numerauerat, quae summa quinque milium aureorum fuit,

3 altilibus *corr. To.* : alitibus PA | lini A : ligni P | uocatur A : uica- P | Arreciphius] *sed cf.* Arraciphem *in 4.24.5*

82 1 aeque A : equae P || 2 alii A : aliis P | inimicitia A : inimitia P || 3 auxilii A : auxiliis P | aerarii P *(f. 310ʳ)* A : aerariis P *(f. 309ᵘ)*

hastis et lanceis quas ibi faciendas curauerat spicula aptari iussit. ad haec soleas ferreas (nam et hoc quidem prouiderat), quod earum solearum et ferri magna tunc erat penuria, equitibus pro numero equorum, ut eas suis quisque equis indueret, distribui ac tum demum ea conquiri compararique mandauit, quae ad belli usum profectionemque necessaria fore intellexit, quippe qui uim omnem eo intendebat, ut maximam rei bellici curam adhiberet institutumque suum ubique seruaret. quo usque adeo usus est ut semper sibi constiterit nul- 4 laque umquam dona ne a regulis quidem Indorum oblata acceperit. nam et pro quibusdam uasis argenteis, quae Didacus Mora facienda caelandaque curauerat, pecuniam ei soluit et pro duobus uini congiis, quos ille Castro dono dederat, totidem ipse et quidem uini multo suauioris ei rependit. qua sane praefectus abstinentia et continentia non paruam et militum et colonorum Hispanorum beneuolentiam sibi conciliauit, atque eo etiam magis quod eius reipublicae statum a Garsia Aluarado labefactatum atque conuulsum in integrum restituit auctoritateque sua et consilio confirmauit.

83 Iam uero Castrus, omnibus rebus constitutis et paratis, Didacum Moram, qui eum hospitio exceperat, urbi praefecit et Petrum Puellaeum uirum fortem et animosum reique militaris peritum secum duxit atque eo die in Guanapiam, unde flumini portuique nomen est, milia passuum circiter ab ea urbe triginta uenit. ac tantun- 2

(nam ... prouiderat) *sic distinxi* | distribui A : -buit P || 4 labefactatum P : labefactum A

83 1 Guanapiam A (*cf. Cieza 420a*) : Guanacapiam P

dem uiae regiae usque ad Sanctam uallem et fluuio et portu sui nominis insignem progressus iter ab ea ad Peruram montanam direxit ascensuque difficili et arduo ad Tocarum deuersorium, quod in altissimo iugo positum est, interuallo milia ab Sancta sexaginta peruenit.
3 inde ad Guaylos Indos processit, ubi Petrus Anzurius et Franciscus Caruaialis et alii equites Hispani, qui officii causa ex Guarazia eo uenerant, se obuios Vaccae Castro dedere, quos ipse alacri promptoque uultu excepit et dimisit, atque ea uia regia, qua Cuschum itur, copias in Piscobambam duxit.

84 Multae sunt in ea uia utrimque a Guancabamba prouinciae maxime locupletes et fructuosae, sed imprimis Caxamalca milia passuum ab ea regione ducenta clade excidioque exercitus Atabalipae principis atque acerbissima indignissimaque eius morte percelebris; deinde milia undecim Guamachucia nemore regio omni ferarum genere referto clara, in quo Hingae, cum se eo conferrent, animum relaxare uenando solebant; post bidui itinere Conchuci sunt populi opulenti, quos Franciscus Chauius, is qui simul cum Francisco Pizarro praefecto interfectus a Chiliensibus fuit, crudeli exitiosoque bello
2 domuit. permulti enim Indi exusti tunc palisque ab Hispanis affixi et ex his a Cuscho ad Quitum supra sep-

2 uiae regiae PA (*cf. e.g. Cic. Tusc. 1.104*) : uia regia *corr. To.* | Tocarum *correxi, cf. 2.12.2. fort. amplius corrigendum, cf. Cieza*[2] *280a* : Thocarum PA || 3 Guaylos P : Guailos A | Guarazia P : Guaracia A | promptoque uultu A : proptoque uulto P

84 1 Guancabamba P^2A : Guancabambae P *ut uid.* | excidioque P : exidioque A | indignissimaque A : crudelissimaque P *fort. recte*

tingenti eo praesertim tempore, quo Perurani Indi defecerunt et Cuschum Limamque obsederunt, trucidati dilaniatique ab illis fuerunt. interiora autem ad Andium montium radices tenent Chaxapoiae, Guancae, Guayli et Guanuci et alii populi. ea uero uia regia quam plurima habet Hingarum hospitia et deuersoria omni alimentorum genere etiam in desertis locis refertissima aliaque ab aliis denis senis passuum milibus inter se distantia, propterea quod Hingae more suo tanta maiestate apparatuque regio per eas prouincias incedebant ut tantundem spatii quantum inter singula interesset hospitia cottidie solum procederent. 3

85 At uero Castrus ex Conchucis, qui a Piscobamba milia passuum quattuor et sexaginta absunt, nuntium cum litteris et edictis regiis ad Gomezium Aluaradum ornatissimum equitem et Petri Aluaradi Guatimalae praefecti fratrem, quem audiebat quam primum ex Ciuitate Regum ad se uenturum, misit, ut e uestigio, si forte is in uia iam esset, eo regrederetur easque litteras, quibus lex regia inserta erat, qua ii proditores denuntiantur qui contra atque ea esset cautum fecerint, senatui et praefecto aerarii aliisque magistratibus redderet, quorum ope et opera unam militum cohortem ex praerogatiua, quam propter nobilitatem uirtutemque perspectam ultro ipse nomine Caesaris ei deferebat, confestim et sine mora conscriberet et ad se duceret. is Gomezius Aluaradus sub Francisco Pizarro praefecto ordines duxit et Guanucos Indos armis subegit ibique urbem anno Christi 2

2 eo praesertim tempore quo Perurani *om.* A | Chaxapoiae A : Chaxapoyae P

85 1 opera A : operam P

MDXXXIX condidit, quam postea increbrescente fama belli ciuilis subitaeque defectionis et rebellionis post caedem Pizarri factae deseruit, Limamque cum nonnullis Hispanis se recepit et ex Didaci Almagri castris profugiens ad praefectum ire contendit, acceptisque ab eo
3 in itinere litteris, Limam est reuersus. at Castro Piscobambam ingredienti obuiam fit Alfonsus Aluaradus cum turmis equitum egregie instructis in planitie quadam ad Iungaiam uallem, in quam ex Chaxapoiis ideo descenderat, ut summo cum honore eum exciperet praefectumque Perurae maximum agnosceret ac se suosque imperio potestatique eius Caesaris nomine subiceret. neque enim ipse cum Petro Aluaro Holguino in Guarazia, ubi castra erant posita, Vaccam Castrum praefectum excepit neque ad eam regionem prius milites adduxit quam compertum habuit Castrum ingenti omnium ducum et militum clamore et assensu praefectum maximum Perurae et summum Caesaris legatum declaratum et appellatum fuisse.

86 Sed Augustinus Zarataeus, qui hoc longe aliter ac gestum est tradit, ita in hac parte ut in pluribus etiam aliis non sibi constat, utpote cum memoriae prodere non dubitarit Vaccam Castrum a Caesare senatuque Indico in Peruram ideo missum, ut praecipue de Didaci Almagri praefecti caede cognosceret ac de iis rebus quae in Perura eius mortis causa successisent tantum inquireret, excepto quod Franciscum Pizarrum praefectum magi-

3 Castro A : Castrus P | ingredienti A : ingrediendi P | fit A : fuit P *ut uid.* | eum A : cum P | Iungaiam A (*cf.* *6.42.5*) : Iungarum P | assensu P : ascensu A

86 1 ut *post* parte A : et P | prodere P : -ret A

stratu mouere non posset; quod si interim is moreretur, tunc ipse in eius locum succederet, prouinciam usque eo gubernaret, dum Caesar aliud decerneret. qui certe 2 multo maiorem quam Zarataeus scribit Vaccae Castro potestatem dedit, nempe ut in ordinem Peruram redigeret, iustitiam exerceret ac Indorum mores reformaret atque corrigeret. tum autem iussit ut Franciscus Pizarrus quae in magistratu gessisset apud Castrum ederet atque exponeret ac de iis ipse praeiudicaret ac tum demum, si Pizarrus interim e uita discederet, extemplo Castrus ex diplomate regio, quod secreto ipse secum habebat, praefectus Perurae et legatus Caesaris maximus esset. qui eo diplomate prolato et ab Alfonso 3 Aluarado ad Iungaiam et ab aliis postea ducibus et militibus in Guarazia eo nomine exceptus appellatusque Peruram, debellatis patriae hostibus, recepit et in Caesaris potestatem redegit.

Ceterum Alfonsus Aluaradus, ubi cum praefecto collocutus fuit, ad Chaxapoias rediit, ut inde cum his militibus quos habebat atque cum aliis qui ex Vaccae Castri edicto ad eum se conferebant multo instructior paratiorque in Guaraziam ueniret. is etiam Francisco Pizarro praefecto Chaxapoias Indos, qui ad orientem Andes montes et ad occidentem austrinum mare spectant, sub imperium dicionemque Hispaniae subiunxit ibique pri- **87** 2

prouinciam] *an* prouinciamque? || 2 praeiudicaret P : praedicaret *in* praeiudicaret *corr.* A | discederet P : descederet A | diplomate P : diplomatae A || 3 Guarazia *corr. To.* : Guaruzia PA

87 1 Chaxapoias *corr. To.* : Chaxapeias PA | Guaraziam P : Guaratiam A || 2 spectant A : expectant P

mo in loco edito naturaque munito, quod Leuantum appellatur, eiusdem urbem nominis eo anno Christi posuit qui fuit supra millesimum et quingentesimum tricesimus sextus. nec multo post eam in Guancarum regione Chaxapoiis finitima exstruxit, unde ab situ ciuitas Finium ut prius antea Leuantum fuit cognominata. haec
3 optimum et fructuosissimum habet agrum. Chaxapoiae autem pulchri sunt forma et aequi uenustique corporis et coloris non fusci ut alii Indi Perurani sed albi. feminae uero ipsorum ea etiam pulchritudine, albedine atque uenustate ceteris praestabant ut complures uirgines ex his prognatae Soli legerentur et non paucae Hingis
4 collocarentur. sed Chaxapoiae et Guancae ut et Caxamalcae Guamachucique et Conchuci ceterique ferme populi montani longe industria et ingenio Perurae planae Indis antecellunt, quippe qui riuos ex fluminibus deducunt, aedificia ex lapidibus construunt, agros colunt atque exercent, pecus alunt et pascunt, aurum et argentum, quibus metallis regiones illae montanae praecipue scatent, mirifice scalpunt atque caelant, denique ex guanacorum et uicuniarum lanis pulcherrimas uestes texunt et aulaea tam eleganter uenusteque conficiunt ut ne Bruxellensibus quidem ipsis nedum aliis Belgis cedant.

88 Ceterum praefectus, ubi Alfonsus Aluaradus discessit, statim in Iungaiam, quae ab urbe Quito decies et milia passuum ducenta et a Guarazia circiter triginta

Chaxapoiis *correxi* : -poys PA ‖ 3 albi A : alibi P | prognatae P : pugnatae A ‖ 4 longe P : longes A | qui *om.* P : *add.* P² | ex A : et P | illae P : ille A | praecipue P : praecipuae A | aulaea P : aulea A | Bruxellensibus A : Bruse- P

88 1 Iungaiam *correxi* : Lungaiam PA

distat, se contulit. hoc ut primum in ea regione nuntiatum est, Petrus Aluarus Holguinus, Garcilassus Vega et Nunius Castrus cum una et altera equitum turma eo salutandi uisendique causa et aduentum gratulandi uenere. quorum fidem et constantiam Vacca Castrus non 2 probauit solum, sed laudauit etiam, quod ipsi rem honore, uirtute nobilitateque sua et nomine Hispano dignam fecissent, ut qui non euocati sed sponte sua primi omnium arma sumpsissent, milites coegissent et signa in Caesaris patriaeque hostes intulissent. tum uero se per litteras ea omnia clare et aperte Caesari significaturum ac nomine eius se in ipsa etiam Perura eximiis eos praemiis donaturum pollicetur. tum deinde, cum multa 3 non minus grauiter quam luculenter de eo bello deque reciperanda Perura dixisset, maxima omnes qui aderant admiratio incessit, quod uir omnis diuini atque humani iuris consultissimus ea de re bellica, quam numquam gessisset, tam commode dissereret ac tam conuenienter ad praesentem eius prouinciae statum loqueretur. qui 4 initio et bello post confecto Peruraque recepta id ipsum quod ducibus militibusque promisit egregie praestitit. nam et Petro Aluaro Holguino Indos et agros uectigales et stipendiarios Didaci Almagri, quos iam ille possidebat, et Nunio Castro centurioni alios Didaci Mendezii, quos Holguinus ei attribuerat, non solum confirmauit et ut iure occupatos comprobauit sed denuo etiam ipsis, ut eo beneficio utrumque sibi obstringeret, eos dedit atque concessit, ut qui Indos et agros uectigales Didaci Almagri, Didaci Mendezii, Petri Onnatii et alio-

Nunius A : Xunius P || 3 dissereret A : discereret P || 4 iam ille A : illae iam P | Onnatii P : Onnazii A

rum Hispanorum rebellium et perditorum pro uacuis habuerit, propterea quod isti praeter immania et nefaria scelera quae commisissent maiestatem etiam regiam minuissent et in proditionis rebellionisque crimen incurrissent atque constanter in eo perseuerassent compluresque Hispanos optimos amicissimos fidelissimosque regi suo et in his Vincentium Valuerdum pontificem Cuschanum, Ioannem Blaschium iuris consultum et Ioannem Valdiuiessum equitem honestissimum sollicitatis ad rebellionem Punensibus necandos curauissent.
5 quorum Indos uectigales (sed Valuerdi tantum et Valdiuiessi) Vacca Castrus a morte ipsorum sibi merito retinuit, ut commodius eo praesertim bello munus tam praefecti quam legati a Caesare sibi delatum exsequi et obire dignitatemque sustinere, seruare tuerique posset.
6 at enim ipse cum iam Holguinum, Garcilassum Vegam et ceteros eo regredi unde egressi erant iussisset, biduum illic commoratus nuntium ab Alfonso Aluarado et litteras accepit. eas simul ac legit, in ore atque oculis nuntii statim rupit. iniquum existimauit duas ab eo Indorum distributiones et quidem locupletissimas tam cupide peti, cui iam ipse milia aureorum quinque a praefecto quaestoreque aerarii Limensis numerari imperasset, cui etiam equum et alacrem et fortem misisset, cum nondum ille opem atque auxilium afflictae reipublicae contra acerbissimos eius hostes tulisset, cum nihil adhuc operae, consilii, studii, laboris ad conficiendum bellum
7 reciperandamque Peruram contulisset. ceterum praefec-

5 (sed ... Valdiuiessi) *sic dist. To.* || 6 biduum A : bidui P | eas P : eos A | peti A : petit P | quaestoreque P² : quaetorique A : quaestoremque P | consilii P : concilii A

tus, cum uideret atque consideraret rationem temporum cum alibi semper tum uero in ea tunc prouincia habendam esse, Aluarado alteram ex distributionibus, ne animum uiri fortissimi et nobilissimi ab se abalienaret, datis nuntio litteris attribuit.

Iam uero ipse insequenti die quadrato agmine in **89** Guaraziam ire perrexit et, cum interuallo milium octo ab ea tantum abesset, Martinus Dominicanus eius in Perura ordinis magister summa religione eximiaque doctrina praeditus praeter quosdam equites, in quibus insigne erga Petrum Aluarum Holguinum erat studium uel dignitatis eius tuendae uel etiam augendae, ad Christophorum Vaccam Castrum praefectum uenit. qui 2 omnibus precibus ab eo petit atque contendit ut deinde Petro Aluaro Holguino equiti nobilissimo reique militaris peritissimo, quem Cuschum, Plata et Arequippa militibus suis praefecissent eosque ille per medios etiam hostes in Guaraziam uirtute sua saluos incolumesque duxisset, potestatem explicandi attollendique signa militaria uexillumque, quod ab urbe usque Cuscho extulerat, proponendi permitteret: ipsum permagnam, si id ita faceret, gratiam apud milites quos Holguinus sub signis imperioque suo haberet initurum, utpote cum nihil magis cuperent atque optarent quam praestantissimum ducem suum amplissimis honoribus et praemiis decoratum uidere. negat Castrus se iniussu Caesaris uexillum 3

89 1 Guaraziam A : -ciam P | abesset P : ab esset A | praeditus A : praeditor P || 2 Arequippa P : -quipa A | potestatem ... militaria *iterat* A | milites A : -tem P || 3 in iussu P[2]A : iniu*um P

cum insignibus regiis cuiquam permissurum et id quod
4 peteret facturum. ad haec Dominicanus respondit Holguinum instructa in campo acie eum exspectare ac praeter aliquot equitum turmas et tormenta campestria centum pedites hastatos et totidem tormentarios habere; caueret ne tam atroci et difficili reipublicae tempore militum animos a se auerteret; neque enim hos passuros esse Holguinum praefectum suum optime de Caesare deque reipublicae meritum de dignitatis gradu in quo
5 erat collocatus dimoueri. 'atqui certe' Castrus inquit (grauiter enim commotus et Dominicano haud leuiter suscensens non potuit ferre timorem sibi ab eo inici), 'per Caesarem iuro ea potestate sola, quam iustam et legitimam ipse mihi dedit, caput eius ducis militisue etiam inter tormenta bellica abscidam, qui pedem ad concitandam seditionem porta extulerit, qui aut tumultum fecerit aut uexillum regium sine meo Caesarisque permissu intulerit.'

90 Et cum haec ambo inter se multum per uiam colloquerentur, ad Guaraziae fines peruentum est, quo iam Petrus Aluarus Holguinus, Garcilassus Vega et Petrus Anzurius, qui equitibus praeerant, et Nunius Castrus centurio, qui pedites ducebat, Christophoro Vaccae Castro ex Hispania uenienti acie pulcherrime instructa tormentisque campestribus idoneo loco dispositis obuiam processerant. qui incredibili amore atque honore displo-

peteret A : pettere P || 4 caueret P : cauere A | tam *om.* P | passuros esse A : passurus esset P | dimoueri] *an* demoueri? || 5 (grauiter ... inici) *sic distinxi* : (Castrus ... inici) *parenth. statuit To.* | leuiter *om.* A | legitimam P : lexi- A

90 1 Guaraziae A : Garsiae P

sis etiam solutisque frequenter in signum certae communisque laetitiae tormentis tam campestribus quam manualibus eum excipiunt et more militari signa Castro tamquam summo Caesaris duci submittunt atque tradunt ac se suosque milites imperio potestatique eius nomine regio subiciunt. quorum ipse militaribus signis 2 ab signiferis acceptis, fidem, diligentiam, operam, consilium, officium, quod Carolo V Caesari imperatori maximo et Hispaniarum regi Catholico ac potentissimo praestarent, ita extulit, ita benignis blandisque alloquiis et duces et milites prosecutus est ut omnium animos in se subito conuerterit. qui magnis laetisque militum ac- 3 clamationibus, resonantibus utrimque tubis et tormentis subinde solutis, in praetorium ductus praefectus Perurae maximus et summus Caesaris legatus est appellatus. signa autem militaria, statim ut ipse a signiferis ea accepit, praefectis et centurionibus reddidit. uexillum 4 uero regium, quod Petrus Aluarus Holguinus dux fortis et audax ab urbe Cuscho Guaraziam usque extulerat, Roderico Ocampo cohortis praetoriae praefecto complicandum inuoluendumque hastili in conspectu omnium dedit. quod Holguinus et alii duces et milites qui eum sequebantur adeo aegre tulerunt ut seditionem discordiamque concitare et ad arma concurrere uiderentur. sed ea fuit constantia et firmitas animi in Castro et pru- 5 dentia in tuenda seruandaque dignitate sua ut uestigio temporis animos omnium ad se traduxerit omnesque in uoluntatem suam adduxerit. 'hoc' inquit, 'uexillum est regium, hoc ad me pertinet nec aliud quam meum pro-

2 signiferis A : signeferis P | V P : quinto A | et Hispaniarum regi Catholico P : *in marg.* A

ponendum est, quippe qui unus sum Caesaris et legatus
6 et maximus Perurae praefectus.' at Holguinus, cum nihilo setius uehementer a Castro contenderet idque etiam per quosdam ageret ac saepe temptaret ut eo tantum die uexillum ipse sibi redderet ac tam insigni et publica iniuria quam ab eo acceperat iam abstineret,
7 tamen impetrare nihil potuit. nam instantibus atque adeo urgentibus Holguini amicis ut quod hic petebat faceret, ne ducem acerrimum et optime de Caesare meritum a se abalienaret, respondit (tantus fuit animi uigor!): 'ego unus sum Caesaris summus dux et Perurae praefectus; unum erit uexillum regium, sub quo milites mitti debent. hoc ex Hispania mecum attuli; hoc in Perura contra regis hostes inferam.' scilicet his uerbis Castrus significare uoluit eos omnes, quibus ipse ut Caesaris legatus et praefectus imperaret, e uestigio oboedire pare-
8 reque debere. itaque nemo omnium re penitus percepta ac plane cognita amplius cum eo de uexillo agere ausus fuit, propterea quod omnes intellegebant nec aequum esse uexillum Holguino restitui nec e Caesaris commodo duos in castris regiis duces summum imperium in milites habere, quod periculum esset ne exercitus Hispanus maxima cum reipublicae pernicie, sicuti inter Franciscum Pizarrum et Didacum Almagrum praefectos in ea prouincia iam contigerat, in duas factiones diuideretur.

91 Et profecto Castrus, nisi se tam constanter et libere sicuti fecit gessisset (erat enim hic tunc primus gradus

7 abalienaret A : -nare P | (tantus ... uigor!) *sic distinxit To.* | unus sum A : sum unus P | inferam A : inferant P || 8 plane A : pene P | in *ante* milites *om.* P

91 1 (erat enim ... uti debuit) *sic distinxi*

et aditus, quem ad cetera iaciebat, de quo nec deici nec dimoueri, sed uirili et praesenti animo et consilio firmo et prudentiae pleno uti debuit), contemptui ludibrioque praefectis, centurionibus et militibus omnino fuisset. qui 2 uirtute atque integritate Castri perspecta non solum eum colebant inter se ac diligebant sed uerebantur etiam et timebant. quin ipsum etiam non iam tamquam senatorem amplissimum et iuris scientia consultissimum sed ut ducem clarissimum et rei militaris peritissimum suspiciebant et admirabantur. iam uero milites Castri aduentu in 3 spem Perurae recipiendae inducti gaudia renouant, laetitiam redintegrant nullamque requiem gratulationis dant, sed incredibili laetitia gaudioque exsultantes frequenter et assidue tormenta manualia, ut moris est, soluunt eumque identidem inuisunt, salutant atque obseruant, quippe uidebant Castrum in excipiendis tractandisque ducibus singulari comitate et affabilitate sermonis eximiaque in egentes liberalitate et admirabili in supplices clementia uti. quod sane tunc in Perura non oportuit modo fieri, sed 4 necesse etiam fuit; nam aliter nisi Castrus tanto amore, benignitate, humanitate Hispanos prosecutus fuisset, numquam exercitum collegisset, nec imperio eius paruissent, nec duces ipsum praefectum appellassent, nec ad gubernandam Peruram admisissent.

Postero die duces ac milites ad praetorium, ut cum **92** Castro agerent, frequentes conueniunt. ex his unus Petrus Aluarus Holguinus suo et aliorum nomine 'tam

iaciebat *scripsi coll. Cic. Agr. II.38* : iacebat PA | dimoueri] *cf. adn. ad 6.89.4* || 2 et iuris ... peritissimum *iterat* A || 3 in egentes liberalitate A : ingentes libertate P : inegentes libertate P^2 || 4 paruissent P^2 (*in marg.*) A : parauissent P

longi tandem' inquit 'et periculosi itineris finem factum esse, Castre praefecte, cum omnes laetamur tum et tibi incolumi et saluo et propter nos reipublicae gratulamur. 2 quis enim aduentu tuo non uehementer tibi gratulabitur, cum uideat te iam in Guaraziam uenisse, ut nobis paene deploratis et reipublicae aegrotae ac prope desperatae, quantum in te situm est, et opem et salutem feras, scilicet ut Peruram, quam Didacus Almagrus adulescens tanta cum perfidia et impudentia occupauit, sub regis Hispaniae imperium redigas, Indos in libertatem uindices, colonos qui in fide manserunt a morte eripias et conserues ac demum hostes acerbissimos cottidianis 3 caedibus, rapinis et populationibus prohibeas? quid enim scelerum et flagitiorum Ioannes Balsa et Garsias Aluaradus aliique proditores Almagri duces ac milites non comittunt? actum sane erat, nisi optime in tempore 4 nobis aduenisses; nunc reliqua est in te spes. etenim rumore de aduentu tuo Cuschum perlato maxime stimulati atque excitati ad rempublicam defendendam sumus animosque et uires recepimus. nam simul atque nuntiatum est Franciscum Pizarrum legatum et praefectum regium domi suae ab immanissimis Chiliensibus (sic eos qui Almagranae sunt factionis appellamus) Ioanne Rada Montano duce crudelissime interfectum Limamque direptam esse, statim iussu senatus Cuschani uexillum illud et alia signa militaria quae tibi hesterno die tradidimus nomine regio extulimus, milites ex Arequippa,

92 2 *signum interrogationis, quod post* uenisse PA *scribunt, post* prohibeas *transposui* | opem A (*cf. Cic. Arch. 1*) : opĩ P || 4 (sic eos ... appellamus) *sic distinxi* | hesterno A : externo P | ex *ante* Arequippa A : et P

Goamanga et Plata euocauimus eosque ab urbe Cuscho eduximus et itinere quam celerrime confecto, ut ex paratis hostium insidiis eriperemur atque euolaremus, huc cum trecentis circiter militibus, ut auxilio tibi essemus, tandem euasimus, ubi castris positis te exspectantes rem integram ad tuum aduentum distulimus. nunc uero ego 5 ipse et hi duces et milites qui sub imperio meo fuerunt eo animo et fide ad te uenimus, ut sub uexillo regio mittamur tibique ut summo Caesaris duci et maximo Perurae praefecto, sicuti par est et legibus etiam tenemur, non solum obtemperemus et oboediamus sed etiam te colamus ac diligamus. stat sententia te sequi, te- 6 cum uincere uel mori atque adeo in eo omnibus neruis contendere ut ductu atque auspicio tuo istos proditores patriae nefarios et regis hostes impios occidione occidamus uniuersamque Peruram et res nostras amissas per uictoriam reciperemus.'

Tum Castrus, cum eos etiam milites quos secum du- **93** xerat ad contionem conuocari iussisset, dicere sic orsus est: 'si umquam antea, duces et milites, omnium uestrum uirtus et fides erga Caesarem cum in multis magnisque rebus tum praecipue in hoc bello spectata cognitaque fuit; sponte enim uestra uexillum nomine regio 2 proponere, signa attollere atque arma sumere contra regis patriaeque hostes rebus quidem maxime deploratis non dubitastis, ut, si non utramque Peruram, at mon-

paratis A : partis P || 5 nunc A : num P | tibique A : ibique P | par A : pars P | tenemur A : tenemus P | optemperemus A : o*temper*mus P | colamus ac diligamus A : colimus ac diligemus P || 6 proditores A : pridotores P | occidione PA : obsidione *perperam scr. To.*

93 1 spectata A : expec- P

tanam saltem in fide contineretis et a uastatione defenderetis impetumque hostium et ferociam comprimeretis. 3 hoc uos fortiter et acriter in aduentum usque meum tamquam uiri fidelissimi amicissimique Caesari praestitistis: hoc ipse pro beneficio est habiturus ac tam multa officia quae in se et in rempublicam contulistis persoluturus. non enim dubium est quin Caesar pro comitate ac magnificentia sua clarissimis et maximis beneficiis et amplissimis praemiis ea sit compensaturus, praesertim si intellexerit (intelleget autem ex litteris meis) uos perpetuo in ea amicitia et fide et officio mansisse atque in ea constantia sicuti hactenus fecistis perseuerasse. 4 an quisquam uestrum est qui rem tanta cum laude et gloria coeptam ad optatum finem non perducat? bellum pro Caesare, pro patria, pro uobis suscipitis: hoc pro dignitate Caesaris, pro patriae commodis, pro communi omnium salute gerendum et quam primum perficiendum est. 5 perficiemus autem, si in coepto et proposito susceptoque consilio permanemus, si constanter ad ultimum perseueramus. non enim impetu potius quam perseuerantia, quae cum in omni quidem re tum maxime in militia necessaria est, bella sunt gerenda. itaque, milites, mente et animo in id bellum insistite, in id omni cogitatione, cura, studio incumbite nec eo ante absistite quam spei uestrae finem captis fusisque regis et patriae hostibus imponatis. 6 tantasne indignitates calamitatis et iniuriae diutius pati quam necesse

3 (intelleget ... meis) *parenth. agnouit To.* | amicitia et ... in ea *om.* A || 4 salute P : saluti A || 5 perseueramus A : -remus P | captis P : capitis A || 6 calamitatis et iniuriae PA (*cf. e.g. Cic. Ver. 1.144 et 5.123*) : calamitates et iniurias *To.*

est poteritis? at medius fidius, si nulla alia causa, ipsa atrocitas et indignitas facti perfidiaque et iniquitas hostium ut eis arma inferatis incitare debent, quippe qui fide uiolata ab rege suo desciscentes Peruram, quam uos multo cruore uestris opibus et armis subegistis atque in Hispaniae dicionem redegistis, seruitute oppressam tenent, qui ciuitates, oppida et uicos euertunt et diripiunt, templa spoliant, sacella foedant, uias regias et militares sanguine nobilium Hispanorum implent, agros reipublicae uobisque ereptos turpissimis possessoribus inquinant, ad haec omnia diuina et humana iura nefario scelere polluunt ac tum denique mihi uobisque mortem ferro flammaque minitantur. quid sacrilegia, rapinas, latrocinia, stupra et caedes dicam? quid uectigalia regia abrupta atque aerarium expilatum? quid quosdam Indorum principes, quod a Caesare starent, immanitate plus quam barbara uiuos a Chiliensibus exustos esse referam? quid alia crimina foedissima et scelera acerbissima, quae isti homines profligatissimi et perditissimi fecerunt, his adiungam? haec cum adeo sint manifesta, nec a me proferri nec a uobis audiri, sed omni supplicio constringi et coerceri atque uindicari debent. omnia mentibus uestris circumspicite et facillime et optime perspicietis quantae procellae impendent et, quo magis publicum malum in dies ingrauescit, eo acrius ad salutem reipublicae incumbendum esse et non modo oportere iuuare nos sed etiam necesse esse patriam et uosmet ipsos armis ac uirtute ab inimicis et hostibus defendere. non cum Gallo aut Germano sed cum eo hoste crude-

7 (margin, at "ferro flammaque minitantur. quid sacrilegia")
8 (margin, at "fecerunt, his adiungam?")
9 (margin, at "non cum Gallo")

ditionem P : dictionem A || 7 stupra *corr. To.* : strupa PA || 8 uosmetipsos P : uos metisos A

lissimo res est, qui ne Hispaniae quidem indigena milites natura prorsus immites et moribus feros et omnis iuris et condicionis expertes trahit; hos dux ipse usque adeo Francisci Pizarri et complurium caede ac Limae aliarumque urbium direptione et templorum ac fanorum spoliatione efferauit ut non Deum, non religionem, non Caesarem, non senatum, non magistratus, non le-
10 ges, non mores ac instituta uereantur. hos tam multis flagitiis contaminatos et omni scelere coopertos, qui sanguinem uestrum sitiunt, tam diu uiuere sinetis? hos uidere et habere dominos poteritis? ab his iura petere et Peruram ipsorum prouinciam esse patiemini? quousque tandem indignissimam Francisci Pizarri caedem impunitam feretis, qui tot beneficia in uos collocauit, qui maximis muneribus atque eximiis honoribus decorauit
11 et Indorum distributiones dedit? pulchrum sane erit, duces ac milites, prolapsum Pizarri caede Hispanum in Perura imperium uestra fide uestrisque uiribus retentum ac reciperatum esse. dignum certe aeterna nominis uestri memoria debellatis ui hostibus et Peruram crudeli tyrannorum dominatu liberasse et Indos in libertatem uindicasse et colonos in suis agris et sedibus collocasse.
12 itaque, duces, uiam mecum inite qua bellum hoc taeterrimum conficiamus, qua fusis caesisque hostibus, si in infidelitate impudentiaque perstiterint, Peruranas Cuschanasque prouincias recipiamus. etenim, si fama aduentus mei crebrescente impulsi et spe non dubia incitati

9 indigena] *recte, quamquam in Liu. 23.5.11 corrigendum* || 10 quousque P : quos usque A | *signum interrogationis, quod* PA *post* feretis *scribunt, post* dedit *transposui* || 11 Hispanum P : Hispaniarum A || 12 perstiterint A : praestiterint P | crebrescente P : crebes- A

arma pro republica capere, signa militaria nomine regio attollere, milites colligere incolumesque eos per medios fere hostes ad me ducere ausi fuistis, quid nunc me praesente duceque uestro agendum sit considerate, quamquam quid facere oporteat satis superque uos compertum habere arbitror. sed permittite nunc pauca 13 de me ipso dicere, quippe qui aetate iam prouectus, cum Caesar me unum quem in Peruram mitteret ex senatu regio delegisset, ut de Didaci Almagri praefecti caede illic cognoscerem ac, si forte interim Franciscus Pizarrus decederet, eam cum imperio prouinciam obtinerem, patriam et domum reliqui eoque classe cum summo uitae meae periculo nauigaui. nam saeuis turbulentisque tempestatibus in Oceano tam interiori quam exteriori conflictatus parum afuit quin fluctibus obruerer. iam uero e portu Panamensi soluens cursum in Peru- 14 ram una atque altera tempestate coorta austroque aduerso et furente maris aestu tenere non potui, sed Dei optimi maximi beneficio, ne per insidias a Ioanne Balsa et Garsia Aluarado istius Didaci Almagri, qui Francisco Pizarro tam atrociter necato primus arma contra regem suum mouit Peruramque militibus occupauit, et latronum notissimis ducibus Piurae aut Trugilli circumuenirer, in Bonae Venturae portum deiectus sum. in terram 15 ibi descendi atque in Popaiana prouincia adeo graui periculosoque et diuturno morbo laboraui ut nulla iam aut certe exigua de uita mea spes haberetur. tandem

ausi P : auci A || 13 iam P[2]A : iam iam P | delegisset A : -gisse P | reliqui P : reliquit A | nauigaui A : -gauit P | saeuis A : saeuis *uel* laeuis P || 14 Peruram *corr. To.* : Perura PA | furente P : furenti A | potui A : potuit P | portum A : portu P

euasi et, cum Franciscum Pizarrum a Chiliensibus obtruncatum et Ciuitatem Regum direptam esse accepissem, ualetudine nondum plane a tam longinquo desperatoque morbo confirmata per Popaianam in Peruram ire contendi ac tum demum, ut omittant quantam rei familiaris iacturam fecerim, quantos labores terra marique pertulerim, in haec castra ad uos perueni, ut legati praefectique maximi officium et munus mihi a Caesare delatum non minore fide et cura quam Quiti, Piurae et Trugilli feci, deinde exsequerer atque his prouinciis consulerem et prospicerem et meae uestraeque saluti proui-
16 derem. nullum ego pro republica laborem suscipere, nullum periculum subire recuso, dum Didacum Almagrum et Chilienses aut in gratiam cum rege suo reducam aut cum ipsis ita proelio dimicem ut uel uincam uel acie cadam. id ipsum, milites, apud animos uestros statuite ac decernite. quod si feceritis, sicuti uos facturos certo scio, haud dubia res est quin uictoriam reportetis et pacatissimam Caesari prouinciam reddatis, praesertim cum pari concordia ac fide qua semper erga regem uestrum fuistis inter uos ipsi sitis. utraque enim res perinde ad delendum hostem et prouincias Perurae recipiendas necessaria est quam uigor impetusque animi
17 ac robur uisque corporis. iam signa conuellite atque ea infesta patriae proditoribus inferte meque ducem uestrum sequimini et, quando cum illis acie confligendum erit, adeo istos regis hostes ferro urgete ut nec ipsi Peruram se tenuisse nec Indi se libertatem amisisse nec
18 coloni se agris sedibusque suis pulsos fuisse sentiant. an

15 quantam A : quanta P || 16 uincam P : uineam A | qua A : quam P || 17 patriae P^2A : p**iae P | acie A : aciae P

non uidetis iam uires eorum, qui ante aduentum meum multum terra plurimum mari pollebant, fractas debilitatasque esse? nihil in Perura plana, quam bonis exhaustam ac paene perditam reliquere, possident; nihil in austrino mari, quod clausum infestumque habuere, possunt: iam omnia haec sub imperio sunt regio. Cuschanas tantum prouincias ui et armis oppressas tenent et omnia euastant fletuque complent. quae hostium immanitas eo detestabilior est, quod omni scelerum genere lacerare patriam non cessant. quis tanta tam atrocia, 19 tam manifesta maleficia ultimis suppliciis punienda non putabit? quis Cuschanis tot miseriis calamitatibusque oppressis non subueniet? quis sublatis etiam legibus et iudiciis prouincias diripi, ciuitates funditus euerti, fana expilari, socios exspoliari, uectigalia regia abrumpi, aerarium exhauriri, caedes et occisiones fieri, agros uastari et rem publicam et priuatam compilari amplius impune feret? nihil in Perura praeter agri solum et urbium et oppidorum domos direptas reliqui esse scitis. at qua- 20 muis omne aurum, argentum, equos, arma, uestimenta isti Chilienses abstulisse uideantur, tamen affatim pecuniae ad ea comparanda nobis est, quae ad bellum opus erunt. non equi, non arma, non commeatus, non pecunia ad stipendia deerunt, si uobis ipsi, cum res ipsa tulerit, non defueritis, si fortem fidelemque operam, sicuti debetis, regi uestro praestiteritis, si ea denique uirtute, perseuerantia, concordia, fide et uoluntate uobis inter uos coniuncta, qua suscepistis bellum, confeceritis. nam 21 copiis hostium profligatis et occisis uniuersaque Perura

18 fletuque P : flectu- A || 19 putabit A : -uit P | miseriis A : -ris P || 20 ad *ante* bellum A : ab P | erunt A : erant P

in Caesaris potestatem redacta, do dextram fidemque me uobis agros et Indos uectigales et stipendiarios qui dominorum morte ad praesens uacant aut in posterum uacabunt diuisurum eximiaque pro cuiusque meritis
22 praemia daturum. quod reliquum est, equidem uelim existimetis hanc orationem foederis habituram esse uim non contionis meque ea quae uobis promitto ac recipio sanctissime obseruaturum diligentissimeque esse facturum. haec enim omnia quae promisi tuto et libere dare et pro meo iure agere facereue possum, quippe Caesar utramque prouinciam Nouae Castellae et Noui Toleti eadem praerogatiua, immunitate et priuilegio atque Franciscus Pizarrus praefectus obtinuit mihi decreuit potestatemque tribuendorum uirtutis causa beneficiorum detulit. hoc ita esse quemadmodum dixi ex diplomate regio quod ipse Caesar mihi dedit et ex decretis edictisque consignatis quae iam recitabuntur optime cognoscetis atque intellegetis.'

94 Sub hanc orationem statim Castrus diploma Caesaris, cuius exemplum priore libro positum est, aliaque decreta et edicta signo regio consignata in conspectu omnium qui aderant exhiberi recitarique atque ea de more per castra non minore tympanorum quam tubarum sonitu et quam maxima praeconis uoce pronuntiari iussit.
2 ex quibus omnes plane intellexerunt Christophorum Vaccam Castrum in Francisci Pizarri locum et summum ducem et praefectum Perurae creatum esse integramque illi potestatem praestandi ea quae uirtutis causa militibus promitteret a Caesare delatam. neque enim

21 ad A : ac P || 22 recipio] *cf. Cic. Agr. 2.103* | et *ante* Noui P : ac A | recitabuntur A : -bantur P

ullo modo facere iam poterant quin praerogatiua regia omnes extemplo et ingenti quidem clamore atque assensu Vaccam Castrum et summum Caesaris ducem et maximum Perurae praefectum appellarent et acciperent. ce- 3 terum miles ad illa quae de dandis diuidendisque agris et Indis uectigalibus stipendiariisque praefectus promisit atque confirmauit acriter animum intendit ac sibi quisque persuasit ipsum fidem suam liberaturum et pro cuiusque meritis nomine Caesaris gratiam relaturum, ut qui non sine magnis quidem clamoribus dicerent: 'ideo et Deo et regi et defensioni patriae seruimus, ut, si non pari munere praemioque, at grato tamen nos remunerent.' et sane Castrus ea una pollicitatione facta cum 4 alios milites sibi conciliauit paratosque et promptos ad omnia deinde habuit tum maxime eos qui uexillum Holguino non redditum ipsumque de eo in quo erat collocatus gradu deiectum grauiter molesteque tulerant.

Nimirum omnes uidebant atque considerabant nihil **95** sine tali duce ac praefecto qualem Caesar creauisset plane dilucideque expediri posse: iam inter omnes constare nec duces nec milites, nisi constans de Vaccae Castri aduentu fama percrebruisset, sese Cuschi coniuncturos fuisse nec, si se coniunxissent, umquam ipsos inter se concordes futuros, propterea quod alius alium honore et auctoritate praestare uellet, quod complures militum hostili odio in Holguinum, qui Cuschanae praeerat cohorti, essent nec imperia eius perferre iam possent. tum uero, etiamsi Cuschani amicitia caritateque concor- 2 di se complexi fuissent, tamen armorum usu et militum

94 3 defensioni A : -sione P | ut A : et P | grato A : groto P || 4 pollicitatione A : pilli- P | Holguino A : -num P

numero et robore inferiores exstitissent, quoniam Chilienses ante Vaccae Castri aduentum publice et priuatim, palam et clam non solum omnes sinus et portus et colonias Hispanas in maritimis Perurae regionibus sed etiam in mediterraneis ciuitates et oppida et pagos in
3 potestate sua habebant. huc accedebat quod ab interfecto Francisco Pizarro eo in dies singulos numerus, opes animique eorum creuerant ut etiam illi uel sponte sua uel ui uel necessitate coacti uel largitione corrupti, qui haud grauatim postea se suaque Castro uenienti iunxere, in Didaci Almagri partes transiissent eumque et armis defendissent et ad bellum auxilio, consilio, factis, manu, pecunia adiuuissent. quod si qui in officio et armis pro Caesare permansissent, qui profecto perpauci fuissent, Chilienses penitus eos peremissent omninoque deleuissent: itaque et Caesar Peruram amisisset et Al-
4 magrus imperio eius potitus fuisset. at enim Castrus tam impios conatus tantamque Almagri et Chiliensium ferocitatem aduentu suo repressit et res amissas reparauit impeditamque et perditam Peruram in antiquum statum restituit.

96 Is ubi contionem dimisit, munus summi ducis iuxta ac praefecti fortiter et sapienter exsequi obireque coepit. ac imprimis uiatorem ad Petrum Aluarum Holguinum misit, qui ei ediceret ne deinceps nomen summi ducis ac praefecti sibi arrogaret neue illud amplius resumeret sed, statim ut ipsi denuntiatum esset, et praefectura abiret et ad se ueniret: se unum tantum non alium

95 3 peremissent P²A : permisisissent P *ut uid.* || 4 tantamque A : -taque P | repressit A : reprissi*** P
96 1 arrogaret A : abro- P | alium A : aliud P

praerogatiua regia et summum ducem et praefectum esse. [2] Holguinus confestim una cum Martino Dominicanorum magistro in praetorium uenit. cui praefectus 'quousque tandem,' inquit 'Aluare Holguine, te eo nomine appellari uoles importuneque insistes, quod nec tibi Caesar detulit nec ego ut eo utare permissurus sum? an non magistratum iam eiurabis quem senatus Cuschanus ad aduentum meum tibi dedit? quod si pergis nec incepto desistis, lege decretoque regio tecum agendum erit; sin minus, ego te tribunum militum creo et quinquaginta equitibus praeficio.' [3] tum Holguinus: 'libens uolensque praefectura me abdico et munus, si cognitiones ciuilium capitaliumque rerum in militia pro me solus exerceam, a te delatum accipio.' tum praefectus: 'si aequa postulares, ea ultro deferrem. haec uero quae petis magis ad eum iudicem quem idoneum, integrum et peritum constitui, ut militum causas cognosceret atque iudicaret, quam ad te pertinent.' [4] et cum nihilo setius Dominicanus etiam atque etiam instaret ac urgeret, posceret atque adeo flagitaret ut Holguinum utrique muneri et tribuni et iudicis praeponeret, negauit se facturum. res magnis utrimque contentionibus acta est. nec defuerunt qui praefectum ad aurem admonerent ut a quibusdam Holguini amicis caueret, ne se periculo mortis commiteret. [5] at Castrus nulla re territus constanter in sententia sua perseuerauit et permansit atque ea fuit animi magnitudine ut euicerit Holguinumque et re-

2 *post* insistes *sic distinxit To.* : *signum interrogationis scr.* PA | incepto P : in coepto A || 3 abdico P : a*dico A | a A : ad P | aequa A : equa P | cognosceret A : agnosceret P || 4 ac urgeret ... flagitaret *om.* A || 5 fuit A : fui P

liquos, qui impensius rogabant ut utrumque munus ei daret, incepto conatuque desistere coegerit.

97 Hac contentione iam composita, postquam praefectus exercitum lustrauit et dilectum habuit, continuo milites nomina dedere, qui partim equites partim pedites in numeros distributi praeter decem et octo tormenta campestria amplius sescenti fuere, sed ex his permulti 2 nudi atque inermes. post aliquanto praerogatiuis militaribus singillatim unicuique eorum qui ordines ducturi erant nomine regio datis, praefectus Petrum Aluarum Holguinum, quem tribunum militum creauerat, Gomezium Aluaradum, quem ex itinere Limam regredi iusserat, Alfonsum Aluaradum, qui eo die cum centum militibus Hispanis in castra uenerat, Garcilassum Vegam et Petrum Anzurium equitibus praefecit, Nunio uero Castro et Petro Vergarae centurionibus pedites ducendos dedit. quin et Franciscum Caruaialem, qui in Italia sub Ferdinando Consaluo Corduba Magno Duce stipendia meruerat, praefectum militiae et Christophorum Barrientum uexillarium fecit aliaque aliis munera belli prae- 3 buit. eos autem omnes ac reliquos milites sacramento militari adegit, qui conceptis uerbis iurarunt se strenue omnia quae ipse imperaret facturos; numquam pro Caesare proque republica militiam deserturos, sed iussu praefecti conuenturos neque iniussu abituros neque ex ordine nisi sumendi teli aut feriendi hostis causa recessuros.

ut *ante* utrumque *om.* A | incepto *correxi* : incoepto PA
97 2 singillatim A : singilit*m P[2] : *nescio quid in* P | Gomezium P : -cium A | Garcilassum P : -lasum A | Corduba] *cf.* 5.64.14 || 3 hostis P[2]A : hostes P

Praeterea, cum ipse in dilectu habendo cerneret ac **98** uideret arma uestimentaque plerisque militibus deesse atque ex indicibus militaribus cognosceret se quoque aliis rebus quae ad instrumentum et apparatum belli pertinerent indigere, Martinum Florentinum et Ioannem Carauantem ciuem Limensem in Xauxam ire iussit, ut hic quidem hastas, pila, iacula et alia tela missilia, ille uero arma ex eo aere, quod Petrus Heraedia, cum e manibus Indorum qui defecerant effugisset, in silua quadam casu inuenerat et in castra adduxerat, quam primum faceret. eo etiam Didacum Roiam cum uiginti 2 equitibus misit, ut et faciendis armis praeesset et Florentino Carauantique praesidio esset et ut itinera consiliaque hostium exploraret et ubinam essent et quid agerent inquireret (nihil enim de Almagro tunc compertum habebat) et protinus ad se referendum quam diligentissime curaret. insuper Ioanni Alfonso Palomi- 3 no mandauit ut magnis itineribus in Bombonem et Taramam contenderet ibique sulpur et aliam materiam ad faciendum puluerem et puluisculum tormentarium (nihil enim earum rerum unde confici posset Almagrus in Perura reliquerat) conquireret atque inde quam celerrime in Ciuitatem Regum se conferret omnemque diligentiam adhiberet ut confestim ac sine mora illic lori-

98 1 praeterea P : praepterea A | deesse P : deesset *uel* deesse: A | militaribus P[2]A : militibus P *ut uid.* | Ioannem] *perperam hic et in 6.106.5, cf. e.g. 6.121.1, 6.122.1 et Busto s.u. 'Caravantes'* | Heraedia P : -redia A || 2 (nihil ... habebat) *sic distinxi* || 3 Taramam *correxi, cf. 6.39.4, 6.41.1, 6.41.4* : Thara- *hic et postea semper scribunt mss., quod posthac silentio praetermittam* | contenderet A : -rent P | (nihil ... reliquerat) *parenth. statui*

cae, cassides galeaeque et tormenta manualia ex ferrea materia fierent ac demum ut Christophorus Rodericus, cui litteras ad senatum Limensem dedit, magnam ligonum et securium numerum ex ea urbe in castra portaret. 4 multa in Guarazia prudenter prouisa sunt, quae maximam efficiunt admirationem, quippe cum praefectus tam multas tamque diuersas res in tam diuersis et inter se tam distantibus terrarum tractibus eo animo consilioque prouiderit et tanta celeritate confecerit, quasi uero ea omnia in manu usque habuerit, donec in Chupis utrimque pugnatum est. 5 tum praeterea ipse quattuor mulas, quibus tormenta campestria traherentur, ut Indos sarcinarios eo onere leuaret, et uiginti peltas et aliquot loricas ex hamis ferreis consertas et intextas in castris uenales emi iussit. ex peltis autem unam sibi ipse retinuit, reliquas uero Christophoro Barriento dedit, ut eas inter duces et quosdam equites nobilissimos diuideret.

99 Postero die Castrus tribuno, praefectis et centurionibus imperat ut ex eo loco castra moueant signaque uia regia Xauxam uersus milia passuum centum et uiginti a Guarazia distantem ferant et in ea uia ad Caxae deuersoria subsistant et exspectent, donec ipse cum iis equitibus quibus Petrus Anzurius praeerat eo ueniat. et illi quidem, sicuti imperatum erat, copias ad Caxae deuersoria ducunt ibique castris positis consistunt. 2 praefectus

ligonum A : ligorum P || 4 Guarazia P : -rizia A | donec ... pugnatum est *om.* P : *add. in marg.* P[2] || 5 Christophoro P : Chrisphoro A

99 1 Guarazia P : -rizia A | Caxae *correxi, cf. 6.104.1* : Chaxae PA | expectent A : spectent P | Caxae *correxi* : Chaxae P : Chacae A

uero se aliquandiu, ut quaedam negotia explicaret atque expediret, in Guarazia continuit. nam Petrum Anzurium cum triginta equitibus celeriter Piuram, ut Didacum Sanctiagum Cantabrum comprehenderet, ire iussit, quem Ioannes Valdiuiessus iam ab illo tempore, cum in eam urbem Vaccae Castri praefecti iussu uenisset, magistratu mouerat et in eius locum Sebastianum Gamam suffecerat, propterea quod ille ab Ionne Balsa et ab aliis Cantabris inductus a Caesare defecisset, praetor Piuram nomine Didaci Almagri obtinuisset eumque per cottidianos paene nuntios de Vaccae Castri praefecti aduentu deque omnibus rebus quae agerentur certiorem fecisset et Garsiam Aluaradum in diripienda ea ciuitate Sancti Michaelis auxilio iuuisset atque Exachaeum Ionogambiae regionis regulum, ut aurum argentumque eius inuaderet Indosque uectigales haberet, sicuti profecto habuit, ferro occidisset. itaque propter haec facinora atque alia flagitia Petrus Anzurius, statim ut Piuram ingressus est, Sanctiagum cepit atque constrinxit et bona eius sequestro dedit, aurum autem et argentum, quod Sanctiagus Exachaeo interfecto per uim abstulerat a Didaco Palomino aerarii Piurensis praefecto, apud quem depositum erat, accepit. id ipsum uero Anzurius, cum inde Trugillo iter faciens Limam se contulisset, tribunis palam appendit atque in aerarium intulit, dein Didacum 3

2 Sanctiagum *correxi* : Santiachum PA | Cantabris] *suspectum; an potius* Chiliensibus? | Piuram *scripsi* : Peruram PA | ex *ante* Exachaeum *perperam add.* P | Exachaeum P : -quaeum A || 3 Sanctiagum *correxi* : -achum P : -acum A | cepit A : coepit P | constrinxit P (*in f. 336ʳ*) A : constrinxerit P (*in f. 335ᵘ*) | Sanctiagus Exachaeo *correxi* : Santiachus Exacheo P : Sancthiacus Ex aquaeo A | dein P²A : deinde P

Sanctiagum, quem catenis constrictum secum duxerat, in carcerem coniecit.

100 Interim praefectus Didacum Mexiam cum mandatis, litteris edictisque signo regio signatis ad senatum Limensem et ad praefectum tribunosque aerarii miserat. quibus nomine regio imperabat ut sine mora pecunias ad militum stipendia et ad belli usum, quod ipse contra regis patriaeque hostes gerebat, cogerent, dilectus haberent, milites conscriberent, arma pararent, equos conquirerent atque emerent, commeatus expedirent atque 2 ea omnia subito ad se mitterent. his litteris cum mandatis et edictis, quibus leges quaedam regiae insertae erant, a Didaco Mexia senatui, praefecto tribunisque redditis responsum est se nihil earum rerum quas praefectus peteret suppeditare posse, quod ea Ciuitas Regum a Chiliensibus direpta et aerarium a Didaco Alma-3 gro expilatum fuisset. quamquam hoc ita esse plane constabat, tamen pro certo hebebatur maximam ciuium partem rebus Didaci Almagri studere ideoque non opem ferri, non auxilium ab senatu populoque Limensi mitti, non pecunias a praefecto tribunisque aerarii in usus bellicos conferri et Limenses iuxta ac ceteros Hispanos qui agros aut Indos uectigales stipendiariosque in Perura haberent propensioribus in Didacum Almagrum quam in Caesarem animis esse argumento, quia ex ciuibus quidem Piurensibus unus tantum, ex Trugillanis uero quinque, ex Limensibus autem paulo plures 4 regia castra sequerentur. quas ob res praefectus, ubi ui-

Sanctiagum *correxi* : -achum PA

100 1 conscriberent P[2]A : comprimerent P || 2 posse A : posse: *uel* posset P

dit se nihil litteris apud illos profecisse (singulas enim litteras cum edictis regiis primum Ioanni Caceri Trugilli deinde Gomezio Aluarado ex Conchucorum regione, qui cum iam quartum mensem Limae teneretur, ne unum quidem militem conscribere poterat, post in castris Christophoro Roderico, postremo Didaco Mexiae in Guarazia ad senatum Limensem praefectumque et tribunos aerarii dederat), non amplius cunctandum existimauit quin quam ocissime in Ciuitatem Regum descenderet. dum praefectus haec secum in animo cogitat, 5 litterae a Christophoro Roderico uenerunt, per quas ille significabat oportere ac necesse prorsus esse ut praefectus quam primum fieri posset Limam ueniret; aliter enim nihil a senatu impetrari, nihil a ciuibus exigi, nihil a praefecto tribunisque aerarii ac ne terruncium quidem unum extorqueri posse. itaque praefectus his 6 rebus adductus ilico ad Caxae deuersoria, ut inde Limam aduolaret, profectus est, ut qui speraret, cum nihil nuntiis, litteris atque edictis consignatis apud Limenses proficere potuisset, se auctoritate sua et celeritate itineris et opportunitate temporis profecturum esse atque quod postularet obtenturum.

Ceterum Guarazia, quam altissimi undique montes **101** cingunt, etsi propter maximum frigus sterilis infructuosaque est, tamen uenis argenti plurimum scatet. quod et

4 (singulas enim ... dederat) *sic distinxi* | Caceri *correxi* : Casseri PA | Conchucorum *correxi, cf. e.g. 6.85.1* : Conchuncorum P : Chonchuncorum A | unum A : ullum P | Christophoro A : Christopho P || 6 Caxae *correxi, cf. adn. ad 6.99.1* : Cha- PA | se A : sed P *ut uid.*

101 1 scatet A : escatet P | et *post* quod *om.* P

cultores regionis effodere et quotannis ex eo argento
2 tributa Hingis conferre solebant. hanc regionem multo ante Hingarum imperium cultam habitatamque a gigantibus fuisse argumento et indicio est, quod quaedam figurae humanae magnitudinis inusitatae ac prope immensae in maximis politissimisque lapidibus, ex quibus quaedam arx forma quadrata constructa fuit, cuius adhuc uestigia inter uetusta exstant hospitia, incisae atque in-
3 sculptae uidentur. eos autem gigantes ferunt a finitimis populis asperis diuturnisque bellis paulatim consumptos penitusque deletos fuisse nihilque ex his praeter ingentes illas imagines restitisse; arcem uero non a gigantibus sed ab Hingis ideo illic conditam, ut insigne monumentumque et tropaeum bellicae laudis et uictoriae eius esset, quam ipsi a Guarazianis aliisque montanis gentibus feris et bellicosis reportarent et ut incolae militesque qui in praesidio eius regionis essent, si multitudine hostium premerentur, expeditum ad eam arcem receptum haberent.

102 Vltra Guaraziam uia regia Pinchorum est regio, quam flumen maximum praeterfluit, in cuius utraque ripa columnae e regione rectae ad iniciendum distendendumque pontem craticium, ut transitus ultro citroque commeantibus detur, collocatae sunt. deinde Guanucum est nobilissima Hingarum regia et multarum a Caxamalca regionum caput et princeps, unde Legio Hi-

2 habitatamque A : habitamque P | inusitatae A : -tate P || 3 reportarent A : reporarent P

102 1 distendendum *om.* P | commeantibus PA (*post correctionem*) : commeatibus A (*ante correctionem*) | Guanucum P : Guanuchum P[2]A

spanorum colonia Guanucensis cognominatur. circa eam regiam pulcherrima et amplissima erant hospitia, ubi exercitus militum quem Hinga ducebat comiter lauteque accipiebatur. nihil in illis hospitiis militibus deerat 2 sed omnia ad cultum et ad uictum eis suppetebant, quippe ea praefectus, qui cum praesidio Guanucum tenebat et iura populis reddebat uectigaliaque et tributa, quae Hingis pendebant, ab illis exigebat, satis abundanter in annum prouidebat. hic etiam templum Solis et sacerdotum religione et uirginum numero et pudicitia et donis aureis et argenteis clarissimum fuit, ad cuius ministerium triginta hominum milia destinata fuisse traduntur. quae sane aedificia ut Hingarum alia ab inter- 3 fectis Guascare et Atabalipa principibus ita prostrata et diruta ante oculos iacent, tam effrenatus et praeceps fuit belli ciuilis impii ac nefarii furor ut ne uestigium quidem ullum ipsorum praeter quaedam rudera uetera relictum sit. post Guanucum Bombon regio aeque 4 aspera et frigida ut Guarazia est. deinde quadraginta milium interuallo Tarama. haec quidem, quia temperatior est, frumenti, milii, fructuum et radicum quibus Indi uesci solent copia abundat. illa uero ea palude celebris est, ex qua, ut accolae affirmant, Paranaguacus maximus fluuius, qui nominatur Argenteus, oritur. hi domos la- 5 pideas et uallo fossaque munitas circa eam paludem, quae in circuitu milia passuum continet quadraginta,

2 hospitiis militibus A : hospitii militibus P[2] : militibus hospitii P | Guanucum P : -chum P[2]A || 3 Guascare PA : -chare P[2] | prostrata A : postrata P | ne A : nec P || 4 Guanucum P : -chum P[2]A | temperatior P : imperatior A | Paranaguacus *correxi, cf. 3.46.3* : -achus PA

habent. qui, si quando ingens terror uisque in eos ingruit impetuque hostium premuntur, in insulas et rupes
6 praealtas, quae in illa exsistunt, sese recipiunt. at uero in Bombone et Tarama permulti pecorum greges cum domesticorum tum etiam siluestrium, ex quorum lanis Indi uestimenta quibus induunt conficiunt, huc atque illuc per agros per siluas ac montes passim uagantes et pascentes uidentur.

103 Iam uero ritus, cultus ingeniaque gentium eadem prope sunt atque aliarum Perurae montanae; nam earum regionum incolae Solem, quem Mocham appellant, ex Hingarum instituto praecipue colunt, precantur atque uenerantur ac ieiunia quae instituta habent usque adeo seruant ut nec sale cibis aspergant nec carnibus uescantur nec cum uxoribus concumbant. ei uero Indo quem pietate, sanctitate, religione ceteris praestare carioremque diis suis esse ac cum eis in delubris colloqui uidebant ieiunium annum indicebant, quo deos ita placaret, ut ipsi propitii non irati essent, seque pro com-
2 muni omnium salute offerret. nam inter Indos hi qui erant aetate prouecti et colendis religionibus gratiisque diis patriis persoluendis constituti designatique cum ipsis diis in templis, delubris sacellisque religiosis colloquebantur, quibus illi responsa perplexa uoce profecto
3 furiali, rauca atque horrenda reddebant. expleto anni

5 in *ante* insulas *om.* P || 6 Bombone P : -nae A
103 1 Mocham P (*cf. Cieza 431b*) : Macham A | annum PA : annuum *corr. To., fort. recte* | indicebant P : incedebant *in* indicebant *corr.* A | placaret A : placare P | ipsi P : ipsis A | salute P : saluti *in* salute *corr.* A || 2 aetate P : aetati A | atque A : at P || 3 anni A : anno P

unius ieiunio et milio, fructibus semineque radicum messibus collecto, omnes uno tempore in locum certum undique conueniunt ibique festos dies anniuersarios agunt eosque ludis et comissationibus (cibo enim potuque sese obruunt) cum coniugibus et liberis celebrant. quin et in his conciliis et conuenticulis mos illius gentis erat ut qui ex utroque sexu nuptiis alligari uellent, ubi alter alteri zythum propinasset atque ebibisset, in conspectum prodirent et sese inuicem oculis contuentes osculo genis utrimque dato, etiamsi singulis Indis plures esse soleant nuptae, certo et stabili matrimonio coniungerentur. porro illi animas immortales 4 more modoque suo esse credunt. temperatis moderatisque sunt moribus. sed enim eos Indos recte exsecrari detestarique illi ac omnes istis notas ad ignominiam sempiternam inurere solebant, qui nefando illicitoque concubitu sese cum aliis commiscerent. quod sane taeterrimum uitium adeo abominabantur ut non solum maledictis sed etiam hoc communi prouerbio 'usque Guaylos', quod in ore omnium uersaretur, Indos ea turpidine foedissima et dedecore detestabili notatos insectarentur, quoniam Guayli populi illis regionibus contermini propter tam sceleratam ac nefariam rem male audiebant. at principum et nobilium coniuges quae de- 5 functis uiris in uita manent (aliae enim, sicuti iam dictum est, uiuae simul cum maritis sepeliuntur) capillos

millio A : emilio P | radicum A : radicibus P | (cibo ... obruunt) *sic distinxi* | conciliis P[2]A : consiliis P || 4 usque Guaylos] *perperam scripsit Caluetus, cf. Cieza 431b* | *post* uersaretur *sic distinxit To., plene mss.* || 5 (aliae enim ... sepeliuntur) *sic distinxi*

tondent, capita cucullis atro colore uelant, faciem ceromate nigro ex uariis rebus ab se confecto illinunt et annum eos lugent. post nubendi quibus uelint facultas ipsis datur.

104 Ceterum praefectus, ut ad Caxae deuersoria peruenit, omnia perturbata et confusa tumultu in castris esse uidit compluresque milites inde excessisse cognouit, propterea quod his persuasum esset ipsum ea quae Holguinus eis Cuschi dedisset ad empturum nec quae in contione quam in Guarazia habuisset sancte promisisset praestaturum. 2 ad haec praefectus intellexit Nunium Castrum centurionem indigne tulisse non eam sui quam ipse existimabat rationem ab eo habitam ideoque ipsum Petro Aluaro Holguino fauere, partemque eius contra Alfonsum Aluaradum fortiter et industrie tutari, tantique milites eum propter excellentem uirtutem facere ut aperte palamque dicerent 'cui Nunius Castrus adhaeret, is haud dubie ludum obtinet.' 3 at nihil tamen setius Gomezius Tordoia et alii equites ornatissimi, qui acerbe et penitus Holguinum oderant, ab Aluarado stabant; uterque enim adeo atroces habebant inimicitias ut alter alterum ad certamen prouocaret.

105 Quamobrem Vacca Castrus, ut tumultum seditionemque quam in castris oriri uidebat comprimeret (neque enim iam multum aberat quin milites aut omnino dissiparentur aut in duas partes diuisi signa conferrent et manus inter se consererent), ducibus et militibus celeriter in contionem conuocatis et silentio per praeconem 2 facto, ita coepit: 'opinio quam de fide uirtuteque uestra

ceromate A : -mat* P
104 2 industrie P : -triae A | ludum A : l**um P
105 1 (neque enim ... consererent) *sic distinxi*

conceperam, duces, adeo me fefellit ut uix quidem uerba quemadmodum apud uos loquar mihi succurrant, quamquam non oblitus sum uos paulo ante a me in Guarazia Caesaris nomine militibus praepositos esse, nempe ut eos et in fide et in officio retineretis et sub auspicio imperioque meo militarem operam regi uestro nauaretis. at nunc animos uestros plane mutatos uideo; 3 copias imminutas cerno; multos enim ex militibus a signis abesse audio. quid optatis aut speratis? an a Caesare desciuistis? an imperium meum abnuistis et religionem sacramenti rupistis? an aliquid aduersus magni Caesaris maiestatem, ut auspicium imperiumque ad Didacum Almagrum deferretis, ausi fuistis? sed quis persuadere umquam poterit uiros optimos et nobilissimos ista cogitasse nedum temptasse? equidem tantum abest 4 ut credam, ut nihil mali de uobis suspicer, quippe quos non modo a facto sed etiam a conscientiae suspicione abesse certo scio; satis enim superque exploratam omnium uestrum fidem et cognitam uirtutem habeo. agnosco sane duces militesque meos et, cum corpora, ora, uestitum habitumque uestrum conspicio, sanam et saluam rempublicam fore confido. quid patria, quid populus et gens Hispana, quid Caesar de uobis meruit? at 5 medius fidius hoc unum mihi non probatur et omnes in uobis offendit ac certe mutatum malint, quoniam uerentur ne inimicitiae quas uobis graues geritis Caesari et reipublicae grauiores quam uobis fiant. at enim, si dominandi libido uos ad arma stimulat, si imperii mei

3 imminutas A : immunitas P | multos P : multo A || 4 sed *ante* etiam A : se P | Hispana P[2] : Hispania PA || 5 stimulat P : -lant A

uos taedet, quid assequi et efficere ualetis? sin autem neutra res, Petre Aluare Holguine, Alfonse Aluarade, uos agitat aut animos uestros in spem metumque impellit, cur alter alterum lacessitis? cur arreptis armis tumultum in castris facitis et seditionem militum concitatis? cur ipsos castra praeter militiae morem disciplinamque maiorum deserere aut in unius aut alterius uestrum partes transire cogitis? at non prospicitis Caesarem uos intuentem ac quaerentem et fidem auxiliumque uestrum, ut Peruranas Cuschanasque prouincias reciperetis et hostes suos debelletis, implorantem atque flagitantem? 6 circumspicite mentibus uestris et cogitate qui sitis et quid agitis considerate et sub cuius auspiciis militatis et continuo has hodie et in his castris simultates finietis, atque eo magis si illud uobis, quod prouerbii loco dici solet, in mentem uenerit amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse, propterea quod usu saepe uenire uideamus simultates perinde ut bella finiri atque ex acerrimis atque infestissimis plerumque hostibus et inimicis fortissimos fidelissimosque socios et amicos fieri. 7 nec iam dubito quos militaribus praerogatiuis regio nomine datis, ut qui neminem eis praelatum uoluerim, mecum coniunxi quin hos etiam concordiae gratiaeque reconciliatione coniungam, ut uno animo, uno consilio hoc bellum pro Caesare susceptum et aduersus istos proditores et latrones geramus et, ut decet, conficiamus. nam, quod ad me attinet, is sum ego qui hic

aut *ante* animos A : ut P | at non PA (*cf. e.g. Verg. A. 7.363, 9.144*) : an non *To.* || 6 sitis A : scitis P | simultates P : -tis A | prouerbii A : probebii P | amicitias ... debere esse] *cf. Liu. 40.46.12*

statim pro republica, etiamsi omnes me deserant, mori ante oculos uestros non recusabo. 8 iam uero quae in omnem exercitum uulgata sunt, milites, ut orationem ad uos iam traducam et conuertam, tam longe ea a natura institutoque meo quam a uero absunt. quin mihi nec adhuc quidem scire uidemini quo amentiae progressi sitis, qui sacramenti plane immemores, cuius Deum testem habetis, partim iniussu meo ex castris abiistis partim, Holguino et Aluarado summis simultatibus ac prope armis inter se contendentibus, seditionem conciistis. sed haec paucorum furor agitauit, ceteri contagione non multum ab insania afuistis et illis potius quam mihi fidem habuistis. 9 egone, milites, quae Holguinus uobis Cuschi dedit ademptusrus eram, qui multo maiora praemia quam ille tribuit pro suis quibusque meritis sim donaturus? hoc in animum inducite uestrum, ne quis uobis egregie deinde imponat, me non solum uobis ea quae in Guarazia sanctissime promisi atque confirmaui daturum, sed grandi etiam cum faenore redditurum. etenim si initio belli Petro Aluaro Holguino, Alfonso Aluarado et Nunio Castro bene meritis Indos uectigales aut stipendiarios attribui ac denuo concessi, quid praemii unus quisque uestrum, si se excellenter in recipienda prouincia puniendisque hostibus gesserit, non tantum a me exspectare sed uerum etiam postulare debeat uos ipsi diligenter perpendite. 10 interim, milites, uobis egentibus subuenire in animo est. iam iam in

8 sitis P : scitis A | cuius P : citius A | conciistis P^2A : consi- P | contagione A : con*iagione P || 9 egone P^2A : ego me P | *interrogationis signum quod* PA *post* eram *scr. post* donaturus *transposui* | expectare A : spec- P

Ciuitatem Regum descendam, ut inde pecunias ad stipendia, uestimenta ad corporum cultum et cibaria ad uictum mittam, nec ceteris in rebus officium meum requiretis; promissum enim implebo et fidem exsoluam. nam, ut dicendi finem, duces et milites, faciam, bello perfecto prouinciaque in Caesaris potestatem redacta praemia et quidem amplissima et in ipsa Perura uobis persoluam atque eo ampliora tribuam, quo fidelius atque impigrius omnes qui arma pro Caesare fertis mecum aduersus Didacum Almagrum et istos Chilienses steteritis.'

106 Haec oratio non modo duces ac milites mouit, sed etiam alios aliis reconciliauit. qua certe oratione ita conuersae sunt omnium mentes ut subito cuncti sese praefecto addixerint tantumque ipse constantia promissi et spe praemii redintegrata atque confirmata effecit ut deinde milites paratiores, promptiores fidelioresque semper habuerit. quin etiam ii qui propter ducum contentionem discesserant, statim ut rem intellexerunt, in castra redierunt et copiae tam pedestres quam equestres 2 non minus plenae quam antea fuerunt. at uero Castrus, quia Caesaris et reipublicae plurimum interesse uidebat, egit quam diligentissime cum Petro Aluaro Holguino et Nunio Castro, ut in ueterem gratiam cum Alfonso Aluarado et Gomezio Tordoia redirent. quibus iucundissimo reciperandae Perurae fructu reconciliatis, Nunium Castrum, cuius singularem ipse uirtutem cognouerat, per Rodericum Ocampum, qui cohorti praetoriae praeerat, ad se arcessit implacabilemque eius animum

106 1 subito A : sibito P | plenae A : planae P || 2 cuius ... Ocampum *iterat* A

dictis et promissis lenit atque sibi mitigat: parua quidem aut nulla potius inquit esse beneficia, quae pro tantis in rempublicam meritis et officiis ei dedisset; se Didaci Mendezii Indis, quos ei attribuisset, alios insuper longe opulentiores additurum, quod neminem ex ducibus faceret pluris nec ullum tanto munere et honore digniorem quam ipsum censeret; proinde ambo mutuo inter se certarent uter utrum uel promerendo officium uel referendo gratiam uinceret. ad haec Nunius respondit omnibus neruis sibi contendendum atque in eo bello elaborandum esse, ut tantis praemiis quanta ipse proponeret et dignus esset atque haberetur. at enim praefectus, contentionibus inter duces et milites compositis et callide perfectis, Holguino tribuno, praefectis et centurionibus mandauit ut inde copias in Xauxam ducerent nec longius procederent, sed ibi castra haberent seque exspectarent ac diligenter curarent ut arma, quorum faciendorum curam Martino Florentino et Ioanni Carauanti delegauerat, quam mox perficerentur. 3 4 5

Haec autem ipse cum in mandatis eis dedisset, in Ciuitatem Regum cum duabus equitum turmis profectus est. illi uero copias ex Caxae deuersoriis educunt et in Xauxam uia regia ire contendunt. et sane uidere erat in ea tam illustri lata et directa uia ab urbe Quito ad Cuschum usque, quo facilior, apertior atque expeditior per loca confragosa et praecipitia perque iuga aspera et 107 2

3 *post* dedisset *sic interpunxi* : *leuiter distinxerunt* PA | ullum A : ullo P || 4 esse ... et dignus *om.* A || 5 callide A : calide P | Holguino tribuno, praefectis *om.* A | ducerent P : ducerunt A

107 2 directa A : direpta P

praerupta et per montium radices ac fluminum ripas esset, proscissas rupes, delumbatos montes, ruptos colles, aequatas impensa incredibili et operum miraculo ualles et scalas, ubi anfractus flexuosi intercederent saxosique montes et colles perfodi non possent, tanta arte in ipsis cautibus et saxis factas ut non perpendiculis, non normis, non regulis egere uiderentur, in quibus per septenos aut nouenos quosque gradus retractiones ueluti quaedam areolae, quo fessi ascendendo uel descendendo respirare quiescereque possent, interiectae, in quibusque gyris erant, quod si forte casuque eueniret ut aliqui corruerent, hi quidem ea spatia haberent, ubi gradum sed sine ullo fere periculo sisterent seque reciperent atque firmarent.
3 cernere etiam oculis erat in ea uia, quae ante ciuilia bella multis et publicis utrimque hospitiis et aptis et peropportunis deuersoriis referta erat, tot aedificia magnifica et plane regia solo aequata et funditus diruta esse.

108 Ceterum Holguinus tribunus, postquam in Xauxam peruentum est, castra in edito munitoque loco fecit ibique milites continuit omnemque ipse et ceteri duces diligentiam adhibuere, ut arma antequam eo praefectus
2 ueniret fierent. qui cum Limam multo mane peruenisset, nullo apparatu, quo praefecti legatique regii accipi solent, a senatu populoque Limensi exceptus est. sed longe aliud ipse quam id genus officii tunc optabat aut exspectabat. etenim tam repentinus eius in urbem aduentus alios leuauit, alios afflixit maximusque (secure

anfractus flexuosi A : confractus flexuosse P | fessi P² (*in marg*) A : fe**t P || 3 hospitiis A : hospotiis P

108 2 optabat A : obtabat P | aflixit A : affixit P | (secure ... exspectabant) *parenth. agnouit To.*

enim ac prope neglegenter praefectum exspectabant) timor omnibus est iniectus, iis praesertim qui nullum ad regem suum respectum habentes rebus Didaci Almagri fauebant. alii uero perpauci illi quidem sed optimi 3 ciues, qui in officio permanserant, tunc primum post tot caedes et rapinas a Chiliensibus factas animum spe reciperandae libertatis erigere et paulum a metu respirare coeperunt. his gratissimus erat Vaccae Castri aduentus, hos delectabat, hi praefectum incredibili amore et honore prosequebantur et suis quisque hospitiis equites eius benigne excipiebat. aduentu Vaccae Castri praefecti 4 cognito optimi quique ciues cum gratulatione in aedes Francisci Pizarri, in quas ipse ex equo descenderat, undique conueniunt nec dubitant in eum, quem sibi profuturum sperabant, omnia studia sua et officia conferre. quorum ille operam, fidelitatem et beneuolentiam uehementer laudauit et quae offerrent gratissima sibi esse dixit.

Insequenti die praefectus amplissimis uerbis senatui, **109** quem continuo conuocauit isque frequens eo conuenit, gratias pro summo beneficio et egit et habuit, quod simul ac litteras ab se accepisset, quas primo Franciscus Carrenus deinde Petrus Heraedia cum diplomatis regii exemplo aliisque decretis atque edictis consignatis pertulisset, statim eum nomine Caroli V Caesaris imperatoris Augusti et Hispaniarum regis legatum et summum Perurae praefectum Didaco Almagro, qui eam ciuitatem armis tunc oppressam tenebat, tantum non praesente

iis A : is P || 4 dixit A : dicit P

109 1 continuo A : contunio P | Heraedia *correxi* : Haere- P : Here- A | V P : quinti A | Perurae *iterat* P

2 atque audiente appellasset. admirabilem etiam senatus constantiam et animi firmitatem, quam tempore tam atroci difficilique et iniquo reipublicae in hoc habuisset, maximis extulit laudibus; maioribus etiam extulisset, si senatus, postquam Didacus Almagrus ex urbe excessisset, eam in omni re gerenda, quae e Caesaris et reipublicae commodo esset, constantiam seruasset; in qua si perseuerasset, si plerique ciues fidem non mutassent, si denique tribuni aerarii commodi potius publici quam priuati rationem duxissent, magnam certe cuncti gratiam apud Caesarem iniissent nihilque ipsis exprobrari 3 obicique potuisset. at nunc se grauissime queri dixit quod senatus grauitatem et perseuerantiam non retinuisset, quod ciues paucis exceptis fide decessissent, quod tribuni aerarii paulum ab iusto debitoque regi suo officio se abduxissent; hoc se ab his desiderare, illa uero, quae non exprobrandi causa sed commonendi gratia 4 dixisset, se ab senatu populoque Limensi requirere; atque ideo multo grauius queri, quod, cum ipse pro Caesare, pro libertate et salute communi bellum contra latrones armatos et regis hostes sceleratos et patriae proditores nefarios suscepisset, ab omnibus destitutus esset, quod non solum singuli sed etiam uniuersi mandata legatosque quos ab urbe Trugillo atque ex Guarazia regione ad eos misisset omnino neglexissent et quae illi detulissent metu fortassis Chiliensium adducti facere recusassent, non arma capere, non in castra uenire, non quae ad bellicos usus necessaria essent, sicuti legibus

2 ex urbe *om.* P : *add. in marg.* P[2] | e A : et P || 3 paulum A : paulo P *fort. recte* || 4 grauius A : magis P | metu A : meto P

regiis cautum est, prouidere curassent, sed aperte et occulte, quod maxima ciuium pars factionis Chiliensium esset, Didaco Almagro fauissent; qui, etiamsi religione 5 sacrosancti diei Dominici impediretur, Franciscum Pizarrum Caesaris legatum et Perurae praefectum in his suis aedibus luce et palam regiaque maiestate plane imminuta et Franciscum Alcantarensem eius fratrem ac Franciscum Chauium equitem honestissimum obtruncauisset domosque ipsorum et aliorum diripuisset nec multo post idem Almagrus Antonium Picadum et Antonium Orihuelam uiros fortes et constantes uoce praeconis in medio foro, perinde si hi sicarii et homicidae ut ille fuissent, iugulari iussisset, templa spoliasset, aerarium compilasset, pecunias defunctorum et pupillorum in aedibus sacris depositas abstulisset ac magnis etiam multisque calamitatibus eos ipsos affecisset; at 6 quamuis Almagrus et Chilienses tanta et tam magna et acerba facinora Limae, Piurae et Trugilli patrauissent, tamen omnes ferme Limenses pro eis stare, eis fauere eisque auxilio esse quam edictis regiis audientes esse maluissent, quippe cum nullis litteris et nuntiis quos ad eos misisset, nullis etiam rationibus et precibus de sententia sua moueri potuerint, ut Vaccae Castro legato regio, qui summo cum uitae discrimine in Peruram iussu Caesaris peruenerat atque in Francisci Pizarri praefecti locum successerat, quo eam taeterrimo crudelissimoque tyrannorum dominatu liberaret colonosque Hispanos et Indos in pristinam libertatem uindicaret, cum fidem auxiliumque eorum implorasset, nullam

5 Orihuelam A : -buelam P || 6 nullis *ante* litteris A : multis P | quos P : quod A *ut uid.*

opem tulissent, non arma, non uestimenta, non equites, non pecunias in milites, quas imperasset, ad se misissent, non commeatus, quibus exercitum aleret, in castra comportassent, sed ne ulla quidem re Gomezium Aluaradum, quem ex itinere cum postulatis suis ad eos misisset, iuuissent, quod is, etiamsi quartus iam intercessiset mensis cum Limam uenisset, tamen non modo non conscribere militem unum, sed ne quidem exigere in ea urbe terruncium potuisset. 7 uerum enimuero se ea omnia, quamquam ita essent, ipsis condonare dixit monuitque ut posthac omnes suspiciones uitarent ac cauerent ne poenas legibus regiis constitutas subirent ac tum denique scirent se propterea ex castris Limam descendisse, ut milites cogeret, armaret atque instrueret ac pecunias uel a ciuibus uel ab aerarii tribunis corrogaret, quibus bellum quod pro Caesare contra communes gerebat hostes feliciter conficeret; 8 igitur ipsi uiderent quantum pro suis quisque facultatibus faenori dare posset; ingentem pecuniam ad bellicos usus cogendam esse neque se aliter eam quam faenore, sicuti Quiti, Piurae et Trugilli fecisset, accipere uelle et quidem praefecti et tribunorum aerarii fide, ut iis pecuniae a quibus sumeret soluerentur.

110 Ad haec Franciscus Barrius Nouus respondit senatum diligenter fortiterque suo officio functum fuisse: nihil ipsum quod ad augendam retinendamque praefecti dignitatem pertineret praetermisisse, ut qui in aede Diui Dominici, in quam a Thoma Sammartinio Dominicanorum magistro conuocatus fuerat, Christophorum Vac-

ne *ante* ulla *corr. To.* : nec PA | ea urbe teruntium A : eam urbem renuntium P || 7 tum P : cum A || 8 iis A : is P

cam Castrum litteris primum eius quas cum exemplo diplomatis regii Franciscus Carrenus attulerat recitatis praefectum quidem Perurae sed tunc propter imminens sibi a Chiliensibus mortis periculum secreto renuntiarit; deinde alteris litteris nec ita multo post a Petro Heraedia allatis eum palam et praefectum Perurae et legatum Caesaris maximum appellari et diploma regium, ut in omnium notitiam ueniret, uoce praeconis per regiones, per uicos et fora urbis pronuntiari iusserit; quid quod 2 istos magistratu, quibus Didacus Almagrus eum gerendum dederat, abire coegerit? quid quod Hieronymum Haliagam Caesaris et Vaccae Castri praefecti nomine urbi praefecerit et Franciscum Barrium Nouum iudicem rerum ciuilium et capitalium constituerit? quid 3 quod Ioannem Alfonsum Pacensem cum mandatis suis ad Didacum Almagrum et cum his etiam praefecti litteris, quas Petrus Heraedia ad eum detulerat, miserit, quod is, postquam ex Ioanne Alfonso legato atque ex senatus litteris quae Limae agerentur quaeque acta essent cognouerit, ita rem iniquo animo tulerit ut parum afuerit quin ex castris in urbem redierit, ut senatum occideret, Cuiutatem Regum funditus euerteret ac domos ciuium qui regiae erant partis disturbaret atque demoliretur, quod se inconsulto ac prope audiente Vacca Castrus et in occulto et in publico praefectus a senatu populoque Limensi appellatus esset; quod denique Almagrus, cum propter eam rem grauissimis contumeliis senatum inse-

110 1 Heraedia A : Haere- P | eum P : cum A || 3 quas Petrus Heraedia ... ex senatus litteris *om.* P | Heraedia *correxi* : Here- A | *signum interrogationis, quod post* miserit A *scr., post* receperint *transposui* : *post* esset *alterum add. To.*

queretur ciuibusque mortem minitaretur, tantum terrorem omnibus incusserit ut alii se in fugam, qua suae ac suorum saluti consulerent, subito coniecerint, alii cum coniugibus et liberis et fortunis in eas naues quae ab
4 Hieronymo Haliaga captae fuerant se receperint? reliqui et hi quidem multo plures numero, qui in urbe manebant quique cupiditate Chiliensium partes fouendi nouis rebus studebant, impedimento fuere, quominus senatus ea quae praefectus per nuntios ac per litteras imperasset praestare potuisset, praesertim cum Almagrus et Chilienses omnia expilassent atque diripuissent.
5 sed enim, quod reliquum esset, praefectus sibi persuaderet senatum populumque Limensem eo iam metu excusso omnibus opibus omnibusque uiribus, quando ea quae ciuitas magno timore perculsa commisisset ipse pro sua clementia atque humanitate condonaret, elaboraturum, ut nec amplius queri nec senatus prudentiam nec officium requirere nec ciuium operam nec fidelitatem desiderare posset.

111 Haec ubi Castrus cum assensu laetitiaque a Francisco Barrio Nouo audiuit, extemplo senatu dimisso, praefectum, quaestorem et tribunos aerarii et procuratorem Caesaris arcessiri iussit. omnes ueniunt. praefectus cum his expostulat et queritur ipsos non opem, non auxilium tulisse, non quae petiisset, cum magni ad Caesaris honorem et commodum interesset, ad se misisse nec id quod officii munerisque ipsorum esset cum ea qua de-
2 cuit fide et cura exsecutos fuisse; itaque deinceps omni

5 nec *ante* amplius P : ne A
111 1 tulisse A : tulisset P *ut uid.* | non quae petiisset *om.* P : *add. in marg.* P[2]

studio contenderent, quando plurimum reipublicae referret, ut suum quisque officium liberaliter dextereque obiret, atque eo magis quod ipsi probe intellegerent nihil sine sua ipsorum ope ac consilio commode fieri geriue posse, non has prouincias recipi, non hostes regis puniri, non rempublicam in tranquillum redigi; proinde 3 uiam secum inirent, unde pecuniae, sine quibus bellum pro Caesare geri non posset, uel mutuae uel faenore acciperentur, quod plane compertum ipse haberet, cum fides tota Perura angustior esset nec creditae pecuniae soluerentur, neminem faenori daturum, nisi se ipsi ex aerario iis, a quibus sumerentur, satisfacturos fidemque suam liberaturos obstringerent atque obligarent. per- 4 multa deinde praefectus de bello gerendo deque reciperanda prouincia Cuschana, quam tunc Didacus Almagrus oppressam exercitu tenebat, et subtiliter et copiose cum ipsis disseruit. tantum profecto ille dicendo consecutus est ut id quod intenderet et quantum postularet ab eis obtinuerit.

Erant tunc praeter tribunos aerarii, qui receptores ge- **112** nerales uocantur, Alfonsus Richelmus praefectus, Ioannes Caceres quaestor et Garsias Sauzedus aerarii custos et conseruator, qui a nostris uisor appellatur, et Guilielmus Xuaraeus Caruaialis Caesaris procurator. ex his 2 unus Ioannes Caceres quaestor 'nulla' inquit 'culpa nobis attribui potest, sed fortunae potius assignari debet, quod neque pecunias in militum stipendia neque in alios belli usus contulerimus. quis enim aut aerarium aperire atque ex eo aurum uel argentum promere ausus

2 obiret PA (*cf. Liu. 1.34.12*) : diceret *To.*
112 2 ex his ... quaestor *om.* A

fuisset, cum omnia sub unius potestate essent? aut quis tam iniquo tempore pecunias suas etiam graui faenore et fiducia accepta nobis occupasset, cum eas Chilienses de aerario et in sacris aedibus depositas per uim abstulissent nihilque tunc reliqui in hac Ciuitate Regum fe-
3 cissent? sed nec deinde aurum nec argentum a Francisci Pizarri praefecti caede in aerarium praeter id, quod paulo ante quam praefectus in hanc urbem introiret Petrus Anzurius ex ciuitate Sancti Michaelis attulit, illatum fuit. itaque nulla officii intermissio facta fuit, sed tantum pecunia ad ea praestanda quae praefectus pete-
4 ret nobis defuit. nunc uero, cum speremus nos in officio fore, etiamsi solutione impedita fides conciderit, quod permulti in Perura magnas res amiserint, elaborabimus efficiemusque, quoad eius fieri poterit, ut uel mutuae pecuniae uel faenore ad id quod e Caesaris et reipublicae commodo erit nomine fideque nostra sumantur.'

113 Vbi is finem fecit, omnes censuere ineundam esse rationem, qua primum sine magno incommodo, sine multo labore pecunias, quandoquidem aerarium erat inops, sumerent; deinde statuendum ac deliberandum quantam ad gerendum bellum decernerent. uariae discrepantesque erant sententiae, sed demum omnibus placuit ut praefectus, quaestor et tribuni aerarii nomine atque fide sua eam quomodo possent partim a ciuibus, partim a negotiatoribus acciperent atque ex uectigalibus tributisque regiis iis soluerent creditoribus, qui chirographa

signum interrogationis post fecissent *scr. To.* || 4 elaborabimus P : elaborauimus A

113 1 ineundam A : incundam P *ut uid.*

Vaccae Castri praefecti proferrent. conuenit etiam Castro cum eis ut in id bellum, quod pro Caesare proque republica contra regis hostes ac patriae proditores suscipiebatur, praeter aurum et argentum quod Petrus Anzurius una cum Didaco Sanctiago Cantabro capto in aerarium intulerat (neque enim id ad tantos belli sumptus sufficiebat) milia nummum aureorum centum impenderentur. hanc tantae pecuniae summam praefectus aerarii et quaestor et tribuni, ne officio deessent suo, curauere atque ex ea Didaco Mexiae, cui hoc officium ab ipsis delegatum erat, milia aureorum sexaginta numerauere. qui et acceptam pecuniam rettulit et expensam tulit. nam Castrus nec hoc munus obire nec attributam pecuniam a tribunis aerarii sibi adnumerari nec eam accipere uoluit, sed Mexia iussu eius, qui hac in re Caesaris commodi rationem duxit, iis tantum militibus qui cum syngraphis Ioannis Caceris quaestoris ueniebant stipendia soluebat. is postea bello finito rationem accepti et expensi praefecto, quaestori et tribunis aerarii reddidit testimoniumque publicum, cum ratio accepti et expensi inter ipsos conueniret, ab eis accepit. 2 3 4

114 At enim praefectus, cum senatum benigno uultu exciperet atque honorifice tractaret, ciues libenter inuiseret, benigne salutaret ac comiter unum quemque appellaret, alios ad prandium, alios ad cenam uocaret singulosque et uniuersos moneret atque hortaretur ut caedes, expilationes direptionesque, quas Chilienses in ea urbe ac in

2 Sanctiago *correxi* : -acho P : aco A | (neque enim ... sufficiebat) *parenth. agnouit To.*

114 1 alios *post* appellaret A : alius P | expilationes A : spilationes P

conspectu omnium fecissent, quo firmius constantiusque in amicitia fideque regis sui manerent, ante oculos ponerent, carus maxime atque iucundus Limensibus fuit, tametsi plerique rebus Didaci Almagri et Chiliensi-
2 um fauebant. ceterum praefectus tanta tunc argenti inopia premebatur ut Franciscus Abraeus dicere non dubitarit sacerdotes ita debuisse aurum et argentum de sacris aedibus auferre et praefecto dare, cum ad tantam miseriam et inopiam pro Caesare proque republica redactus esset, ut Achimelechus sacerdos sanctos panes propositionis, cum alios ad manum non haberet, regi
3 Dauidi dedisset. at praefectus, ut tantae inopiae quanta ipsum incessebat mederetur, quadraginta aureorum milia in cottidianos necessariosque sumptus tum a ciuibus tum a mercatoribus sua industria et diligentia mutuatus
4 est. qui hac pecunia quam celerrime fieri potuit coacta et illa attributa ab aerarii tribunis Didaco Mexiae quaestori numerata dilectum primo tota urbe habuit et, cum maxime ciuibus acceptus esset, quod sapienter se et comiter gereret, milites circiter quadringentos partim equites partim pedites celeriter conscripsit armisque instruxit. his pecunias distribuit atque promisit se eos, si egregiam in bello operam nauarent, remuneraturum. qua promissione et largitione modica illa quidem sed reipublicae tunc necessaria animos militum sibi deuin-
5 xit. deinde equos emi et quinquaginta loricas et totidem galeas et ocreas et centum tormenta manualia ex eo ferro quod ex Paita portu, cum ipse Piuram uenisset, Li-

ponerent P : ponent *in* ponerent *corr.* A || 2 dicere A : -ret P | Achimelechus] Achimelech *in 1 Sm 21.2–6* || 5 Piuram A : Piyram P

mam exportandum curauerat fieri et magnum glandium numerum ex plumbo fundi atque ingentem pulueris puluisculique tormentarii uim ex eo sulpure aliaque materia quam Ioannes Alfonsus Palominus, qui complures etiam loricas et cassides et alia arma tormentaque et tela iam fecerat, ex Bombone et Tarama attulerat confici ac tria tormenta campestria ex aere cum non parua funiculi cannabini et pulueris tormentarii copia et multis etiam globis ferreis ex nauibus quae in Callao erant portu educi et in urbem deuehi iussit.

115 His rebus confectis, praefectus Gomezium Aluaradum cum tribus equitum turmis et Ioannem Velleium Gueuaram iuris consultum, cui praerogatiuam militarem Caesaris nomine dedit, cum octoginta peditibus tormentariis ex his qui conscripti Limae fuere in Xauxam, ubi castra erant posita, praemisit. 2 reliquos uero milites ipse sibi retinuit, ex quibus quadraginta tormentarios in pulcherrimam atque ornatissimam Francisci Pizarri nauem atque in alias, quae per id tempus refertae mercibus in Callaum portum uenerant, quod earum dominos ac magistros haberet suspectos, imposuit. Ioanni autem Perezio Gueuarae, quem praefecit nauibus, imperauit ut suspectas naues e portu exire prohiberet, ceteris uero libere ac secure et Panamam eundi et sarcinas et litteras deferendi et in Peruram redeundi, dummodo illae cursum quam citissime utroque conficere-

glandium P : gladium A *ut uid.*

115 1 Velleium *correxi coll. e.g. Gómara 247a, Zárate 503a, Cieza[2] 243b, sed fort. amplius corrigendum* : Valleium PA || 2 atque *ante* ornatissimam A : at P | in *ante* alias *om.* A | Callaum P : Ga- A *ut uid.* | illae P : ille A

3 rent, facultatem daret. etenim praefectus non eo consilio edixit, ut militaribus custodiis naues in Callao et in aliis Perurae portibus retinerentur atque seruarentur, quo uectigalia regia abrumperet, portoria tolleret et commercia perderet, sed ut austrinum mare, quia hoc Caesari commodissimum fore putabat, tutum non re-
4 fertum praedonum haberet. neque enim, nisi hostium naues cepisset, sicuti fecit, Peruram sub regis Hispaniarum imperium umquam redegisset. nam Didacus Almagrus tum milites Hispanos qui uel e Panamensium portu uel ex Nicaragua prouincia in Peruram traiciebant in eas recepisset naues, tum autem eos qui equos, arma et commeatus ad praefectum Castrum comportabant repentino intercepisset interuentu, tum uero ipse Panamam et Nomen Dei depopulasset, agros uastasset, domos exhausisset colonosque inde Hispanos abduxisset, ex quibus exercitum deminutum suppleuisset omnibusque rebus instruxisset; quare Perura, nisi maximo labore, summa difficultate, immenso tempore, si naues, portus, sinus et aditus eius in Chiliensium potestate
5 fuissent, nequaquam reciperari ualuisset. quin etiam maxime necessarium erat, quoniam bellum pro Caesare necessario aduersus eos gerebatur, qui ab ipso defecerant et Peruram armis occupauerant, naues in Callao praesertim portu detinere, ut milites, qui undique ad Castrum confluebant, ex mari in tutum inuehi portum et res ad belli usum pertinentes, quae post naues hostium captas aliasque retentas aduectae fuere, importari

3 abrumperet A : -pere P || 4 colonosque inde Hispanos abduxisset *om.* A | deminutum *correxi* : dimi- PA

possent. perdifficile enim antea erat, cum omnes fere 6
coloni Hispani Didacum Almagrum sequerentur et
Chilienses ex coloniis, municipiis et uicis cuncta aufer-
rent, milites colligere armaque et equos comparare, at-
que eo magis quod harum tum in Perura rerum summa
inopia et annonae caritas erat. itaque praefectus praeci-
pue enitendum atque contendendum sibi existimauit ut
tanta incommoda reiceret, deminueret ac deuitaret, res-
que ad bellum necessarias undique conquireret atque
compararet atque ex remotissimis regionibus milites
euocaret deduceretque et ubique cogeret ac conscribe-
ret. quod profecto ipse Quiti, Pirurae, Trugilli, in Gua- 7
razia et Caxae deuersoriis ac denique toto itinere usque
ad Ciuitatem Regum et ibi diligenti et sollerti proui-
dentia incredibilique celeritate fecit, quippe ea omnia
quae ad bellum opus fuere ex diuersis conuexit locis et
difficili reipublicae tempore exercitum confecit et mili-
tes armis telisque paratos ornatosque habuit. quarum 8
rerum si uel minima, ut inter omnes qui interfuere re-
bus constat, Vaccae Castro defecisset eaque Didaco Al-
magro accessisset, qui fortissimorum et ad omne faci-
nus paratissimorum militum exercitum et quidem hunc
equis, armis, tormentis tam campestribus quam manua-
libus longe instructiorem atque omnibus praesidiis
quam regium munitiorem ducebat, numquam ille pro-
elio, etiamsi tam acrem curam, diligentiam et consilium
in prouidendo ea quae ad bellum fuere necessaria adhi-
buerit, sicuti profecto adhibuit, superior discessisset.
hoc ita esse facile ex eo proelio ad Chupas postea facto 9

6 enitendum P : emi- A | deminueret *correxi* : dimi- PA ||
8 ut A : aut P | qui A : quae P | ad *om.* P

apparuit, quod aliquandiu usque adeo dubium fuit ut nemo satis discernere quiuerit utra pars uictoriam reportatura esset, donec acies Didaci Almagri inclinare
10 coepit. at uero Castrus, ne id aduersi sibi accideret, quod diligentissimis etiam ducibus et potentissimis populis accidisse sciebat, animo consilioque prouidit atque praecauit, ut qui nihil aliud dies noctesque ageret, nihil curaret, nisi ut omnia militibus superessent, nihil deesset, nihil impediret, quominus belli hostisque uictor
11 euaderet. ac ut dux prudentissimus non solum quid ageretur paene oculis uidebat, uerum etiam quid futurum esset magnopere prouidebat, siquidem imprimis ipse naues, cum de fide dominorum, magistrorum nautarumque dubitaret, quod plerique in alteram partem propensi essent, uerereturque ne simul ipsi cum suis nauibus ad Didacum Almagrum Arequippam profugerent infestumque mare austrinum haberent magnaque Ciuitati Regum aliisque coloniis maritimis et municipiis detrimenta inferrent, custodibus in portibus positis de-
12 tinuit. quas inde naues cum in aliis Perurae portibus tum maxime in Callao ideo ornatas et ad omnem euentum paratas esse iussit, ut Limenses cum liberis et uxoribus et opibus in eas confugerent, si interim Didacus Almagrus, dum ipse infestis signis ad eum iret, a militari uia deflecteret et cum exercitu ad uastandam ferro incendioque Limam ueniret, praesertim cum se eo uenturum et senatum populumque Limensem trucidaturum urbemque solo aequaturum atrociter iam minatus fuisset, propterea quod se inuito atque inconsulto Vaccam

9 discernere A : -ret P | coepit P : cepit A || 11 ciuitati A : -te P || 12 Callao A : Ca- *uel* Ga- P

Castrum Perurae praefectum nomine Caesaris et appellassent et accepissent. sed et praefectus necesse habuit 13 naues praecipue portibus continere, ut, si forte ipse proelio cum hostibus dimicaret atque, ut incerti sunt exitus uariique casus et anceps belli fortuna, acie uictus excederet, receptum cum reliquiis exercitus regii ad eas naues haberet, quibus inde in Nicaraguam nauigaret ibique reparato contractoque exercitu cum instructissima omnibus rebus classe ad renouandum bellum temptandamque iterum fortunam in Peruram rediret. huc 14 denique accedit, quod haec nauium retentio non incommoda mercatoribus fuit, quoniam si illae in potestatem Didaci Almagri uenissent, nec libere hi nec tuto commercia sua facere, sicuti postea fecere, potuissent, sed uel ex Perura abire uel rapinas et latrocinia Chiliensium perferre coacti fuissent nec uero hi merces ex Panamensium portu exportandas nec illi inde in Peruram deferendas curauissent utrique sane extimescentes ne aut mari a praedonibus raperentur aut terra a militibus Almagri diriperentur. quapropter praefectus, cum haec 15 omnia diligenter perpenderet ac toto animo secum cogitaret, aequum, utile necessariumque esse duxit naues quas suspectas habebat a mense Septembri ad Ianuarium insequentis anni, qui fuit a Christo nato millesimus quingentesimus quadragesimus tertius, in Perurae portibus retinere.

Iam uero ipse, priusquam Lima egrederetur, ut id mi- **116** litibus quod in Caxae deuersoriis, postquam seditionem illic in castris concitatam sedauisset, eis promiserat re

14 libere hi nec A : liberi hic ne P | et A : uel P
116 1 Chaxae *correxi* : Caxae P : Xaxae A

ipsa praestaret, accurate cum quaestore et tribunis aerarii egit ut in uestimenta, quibus illi induerentur, septem uel octo aureorum milia insumerent; hanc uero rem homini uigilanti et industrio, qui et sagula aliasque uestes coemeret ac militibus diuideret rationemque accepti et expensi ipsis redderet, recte committerent. id ipsum illi se celeriter facturos promittunt atque recipiunt confestimque hoc onus quod sibi imponebatur Franciscus
2 Gudiellius suscepit. Castrus autem, rebus in Ciuitate Regum prudenter constitutis, Ioanni Alfonso Palomino et Christophoro Roderico mandauit ut ambo arma et tormenta tam campestria quam manualia quae ibi facta quaeque empta fuere ligonesque et secures ac reliqua belli instrumenta quam ocissime in castra portanda cu-
3 rarent. id etiam laboris Petro Anzurio iniunxit, ut cum aliquot equitibus se subsequeretur et milites qui aut aestu et itinere fessi aut lassitudine exanimati in uia rema-
4 nerent colligeret eosque reficeret ac secum duceret. ipse uero, omnibus ad profectionem paratis, reliquos equites ac pedites ex urbe eduxit et cum his in Xauxam, quae milia passuum centum et uiginti inde aberat, contendit et bidui uiam progressus in Guadateriae hospitia uenit ibique substitit atque castris positis Petrum Anzurium exspectauit.

117 Interim nuntiatum est Punenses, qui ad Didacum Almagrum defecerant quique Vincentium Valuerdum Cus-

3 subsequeretur *correxi* : -rentur PA | exanimati *scripsi, cf. e.g. 5.84.6 et Caes. Gal. 2.23.1* : examinati A : exammati P || 4 Guadateriae P²A : -tariae P

117 1 Punenses A : Punienses P | ad Didacum Almagrum P²A : a Didaco Almagro P *ut uid.*

chi pontificem, Ioannem Valdiuiessum equitem, Ioannem Blaschium iuris consultum et alios Hispanos, ut iam demonstratum est, interfecerant ingentemque auri et argenti uim rapuerant, incursionibus agros Portus Veteris et Guaiachiliae uastare finitimosque Indorum regulos ad defectionem sollicitare; ex his quosdam fide 2 decedere et Punensibus auxilio esse, ut se ipsi aliosque Indos ab Hispanis oppressos in libertatem eximerent atque Portum Veterem, Guaiachiliam, Piuram, Trugillum atque etiam Quitum ui ferroque inuaderent ac funditus euerterent; ad haec Didacum Vrbinam et Bartholomaeum Perezium, quorum alter Guaiachiliae alter Portui Veteri praeesset, nullo modo tantum tamque repentinum hostium impetum reprimere posse, quod perpaucos haberent milites Hispanos, quibus periculum quod intentaretur in omnes propulsarent; actum sane de illis ipsis, nisi propere subsidium mitteretur, fore. quibus rebus praefectus, ne tanta incommoda colonis 3 Hispanis euenirent, quam maturrime occurrendum existimauit. uidebat enim Didacum Vrbinam et Bartholomaeum Perezium sese diutius, nisi quis repente subsidio eis ueniret, sustinere non posse; periculum etiam esse, ne Portus Vetus, Guaiachilia ceteraeque Hispanorum coloniae tam in maritimis quam in mediterraneis regionibus collocatae cum a Punensibus, qui in armis erant, tum etiam ab Indorum regulis, si tam iniquo reipublicae tempore desciscerent, detrimenta acciperent. itaque Castrus Petrum Heraediam uirum fortem, stre- 4

Blaschium P : -quium A || 2 decedere A : -re* P | haberent A : -ret P || 3 colonis P : -niis A || 4 Heraediam *correxi* : Haere- PA

nuum et fidelem ad se in praetorium uenire iussit. hunc extemplo quaestorem creauit, quod eum quem praefectus tribunique aerarii fecissent parum idoneum atque integrum ad hoc munus gerendum esse certo sciret. qui edicto quoque sanxit ne quis Heraediam fungi officio suo neue hunc ipsum duo nauigia speculatoria e Callao portu educere prohiberet. cui etiam decreta edictaque a se subscripta et signo regio signata dari et pecuniam a
5 quaestore numerari praecepit. ac demum cum his mandatis eum dimisit, ut e uestigio Limam rediret, unum et alterum nauigium speculatorium armis et commeatibus instrueret, quadraginta milites tum sagittarios tum tormentarios in utrumque imponeret atque sine mora in urbem Guaiachiliam nauigaret ac se cum Didaco Vrbina et Bartholomaeo Perezio coniungeret, ut cuncti communicatis etiam inter ipsos consiliis et coniunctis uiribus primum regulos qui defecissent aggrederentur eosque in deditionem redigerent, ceteros autem in officio continerent, deinde in Punam traicerent nec ante bello absisterent quam eam insulam perdomarent, regulos captos uinctosque Limam ducerent, denique Heraedia operam daret ut aurum et argentum quod Punenses Vincentio Valuerdo pontifice et Ioanne Valdiuiesso interfectis per uim abstulissent sine fraude redderent idque omne in aerarium Limense inueheret rationesque eodem continuo referret.

118 Ceterum praefectus, cum Didacus Hallerius nondum ex Hispania rediisset nec quid post eius discessum actum gestumue in Perura esset ad Caesarum nec ad se-

se in *scripsi* : se A : in P | Heraediam A : Haere- P || 5 Heraedia P : Here- A

natum Indicum scripsisset, Alfonsum Villalupum conducto in Callao portu nauigio Panamam ire atque ex Nomine Dei in Hispaniam transmittere litterasque quas ipse ad eos mittebat perferre iussit; ex quibus primum 2 cognoscerent quantum laboris et periculi Castrus ab urbe Quito ad Xauxam usque uallem pro republica susceperit, quo modo, qua ratione, cum in prouinciam a Didaco Almagro Chiliensibusque exhaustam compilatamque uenisset, pecunias quaesierit et coegerit, milites collegerit, equos et arma coemerit, tormenta bellica et manualia fecerit ceteraque belli instrumenta conquisierit atque compararit eaque omnia ex disiunctissimis et maxime diuersis locis coniunxerit atque in Xauxam, ubi castra habebat, celeriter comportarit; deinde quantum ille cu- 3 rae, operae, studii impenderit, quantum animo laborarit, ut Didacus Almagrus, Ioannes Balsa, Didacus Mendezius et reliqui eius factionis Hispani, qui Francisco Pizarro praefecto domi suae ferro trucidato Peruram occupauerant, in gratiam fidemque regis sui, quam deseruerant, redirent; et ut hoc ipsum facerent Castrum et litteris quas ad eos deferendas curarit monuisse et, quo timorem illis incuteret, quasdam leges regias in patriae proditores regisque hostes constitutas ipsis etiam litteris inseruisse; denique Castrum, ut promissis etiam eos ip- 4 sos induceret, fidem publicam suamque interposuisse, haud dubie se, si Didacus Almagrus Chiliensesque errorem suum deponerent et in reipublicae gratiam redirent imperioque parerent, ueniam impunitatemque scelerum et flagitiorum quae fecissent omnibus praeter-

118 1 Hispaniam A : -nia P || 3 animo A : animum P || 4 ut A : in P

quam Francisci Pizarri praefecti interfectoribus daturum; sed nulla re persuadere istis potuisse ut furore inceptoque absisterent edictisque regiis audientes fo-
5 rent; praeterea ut Caesar et senatus Indicus tum ex litteris intellegerent tum ex Villalupo audirent Didacum Almagrum Arequippa, Goamanga et Plata direptis et regulis amicis et sociis expilatis Cuschum ui et metu oppressum tenuisse, pecunias de aerario eius ciuitatis abstulisse atque ex ea copias iam in aciem eduxisse; Castrum autem, cum ualde ipse semper contendisset ut Almagrum et Chilienses ad salutem reduceret, sed nihil apud istos profecisset, nefariis et impiis perditorum hominum conatibus obuiam iturum et, ut recte atque ordine atque ex republica omnia faceret, omnem operam daturum ne quid detrimenti amplius respublica caperet;
6 quin etiam ipsum iam statuisse atque decreuisse ut Didacum Almagrum, Ioannem Balsam, Didacum Mendezium et ceteros Chiliensis factionis Hispanos, iis tandem exceptis qui Franciscum Pizarrum praefectum obtruncauere, in fidem reciperet atque conseruaret, si sponte sua positis armis in deditionem uenerint; sin minus, ut quam paratissimus ab equitatu, peditatu, tormentis reliquisque rebus pro Caesare, pro communi salute proque reciperanda Perura contra sceleratissimorum conspirationem hostium confligeret; nec eum dubitare quin felici inuictoque Caroli V Caesaris nomine gloriosam uictoriam consecuturus esset.

119 Verum enimuero praefectus, cum haec diligenter perscripsisset, Alfonso Villalupo quandam pecuniarum sum-

audientes A : audientesque P || 5 in *om.* P : *add.* P[2] || 6 tandem] *an* tantum? | V P : quinti A

mam uiatici nomine dedit eique mandauit ut ordine omnia Caesari senatuique Indico exponeret et quod ex uiatico deducto itineris sumptu reliquum esset Mariae Magdalenae Quignoniae praeberet. hoc ipsum etiam Didaco Hallerio ex urbe Quiti in Hispaniam redeunti, cui magnam quoque dederat summam, ut faceret praeceperat. hae autem pecuniae quas Castrus et Hallerio 2 Quiti et Villalupo in Guadateria ad itineris sumptus contulit partim erant ex rebus quas ipse ex Hispania conuexerat et in Popaiana uendiderat (neque enim eae, cum nec ille iumenta tunc haberet nec Indos onerari uellet, importari in Peruram potuere) collectae partim Vaccae Castro propter utrumque munus, quod et iudicis et praefecti gerebat, numeratae a tribunis aerarii fuere. et Heraedia et Villalupus acceptis pecuniis, ubi Li- 3 mam reuersi sunt, hic quidem Ioanne Perezio Gueuara nauium praefecto permittente nauigium in Callao portu conscendit et Panamam nauigauit, ille uero quadraginta militibus, sicuti imperatum erat, in duo nauigia speculatoria, quae armis et reliquis rebus instruxit, impositis e portu egressus est et ad Guaiachiliam, quae ciuitas Sancti Iacobi Amaiensis nuncupatur, cursum direxit.

At uero Castrus triduo in Guadateria commoratus, **120** cum iam Petrus Anzurius milites qui fessi de uia substiterant eo duxisset, iter coeptum in Xauxam intendit. quo cum peruenisset, incredibili honore et laetitia ab omnibus exceptus fuit. qui simul ac dies illuxit, statim 2 armatus equum conscendit, copias perinde ac si cum

119 2 (neque enim ... potuere) *sic distinxi* | importari A : -tare P || 3 Heraedia P : Haere- A

120 1 quo cum ... exceptus fuit *om.* A

Didaco Almagro proelio iam dimicaturus esset ex castris in campum patentem eduxit, equites et pedites suis locis disposuit, aciem instruxit et cum ducibus eam cir-
3 cumequitando exercitum recensuit. sed enim praefectus, cum turmas equitum cohortesque peditum recognosceret, periniquo ferebat animo, quamquam haec ita futura iam praeuiderat, quod milites et quidem non paucos prorsus inermes ac prope seminudos cerneret. hos etiam sine equis, illos sine loricis et galeis, alios sine gladiis et hastis uidebat, his tormenta manualia, illis puluis et funiculi, aliis glandes deerant. nam quamuis complures Hispani amore, fide, officio in Caesarem atque in patriam adducti undique in castra regia confluerent, tamen plerique inermes et nudi et omnium rerum egeni sese in ea recipiebant.

121 Ceterum cum praefecti et centuriones apud Vaccam Castrum quererentur, quod nec plumbum ad fundendas glandes nec puluerem nec funiculum ad tormentorum usum haberent, quod quadringentae hastae et lanceae quas Gomezius Carauantes fecisset sine spiculis ferreis essent, atque ea omnia perquam importune peterent, quoniam sine huiusce modi rebus aduersus Almagrum pugnare non possent, tum Castrus os ad eos duces qui se sequebantur conuertit et quasi indignabundus 'estis' inquit, 'duces fortes quidem et strenui, nam unus quisque uestrum Garsiam Paredem Hispanorum longe fortissimum in certamen prouocare et audebit et ualebit, sed plane improuidi et neglegentes in omnibus quae ad proelium sunt necessaria proui-

2 equites *om.* A || 3 futura A : -ram P
121 1 cum P : tum A | os P : eos A

dendis.' ad haec illi responderunt se ea nullo modo 2 comparare potuisse, propterea quod Didacus Almagrus omnia diripuisset, non equos, non arma, non materiam ullam ad ea conficienda quae ad tormentorum usum opus essent reliquisset; quod si quid armorum aliarumque rerum ad bellum pertinentium in Perura relictum esset, id omne apud eos occultaretur, qui a Caesare defecissent et Chiliensis essent factionis. tum praefectus, 3 reductis in castris copiis, spicula ferrea ex una sporta, in quam coniecta erant, subito efferri iubet et subridens 'en,' inquit, 'duces, quadringenta spicula, quibus totidem hastas et lanceas munire potestis. haec Quiti, quod ab hac ualle Xauxa decies et quadringenta passuum milia abest, facta fuere singulaque binis nummis aureis constitere. en plumbum, unde glandes fundi possunt, et funiculi ad tormentorum usum, quos Piurae emi. en carbones saligni, qui milibus quinquaginta inde allati sunt, et sulpur, quod ex Sora et Lucania regionibus, quae milia passuum ducenta et quadraginta ab his castris distant, aduectum fuit, unde puluis tormentarius confici poterit. en tormenta manualia et alia arma, quae Limae fieri coemique iussi praeter ea quae Martinus Florentinus hic fecit.' haec cum praefectus dixisset ea- 4 que omnia integra exhibuisset, et duces et milites qui circa erant in admirationem sui conuertit, quippe cum ipse et animo ea prouiderit et quae militibus in Xauxa

2 *post* responderunt *plene distinxit* A | se P : sed A | comparare A : compare P | Perura P : -ram A || 3 quam A : qua P | subridens *corr. To.* : subrindes PA | Lucania P : Lucana A *fort. recte, cf. Cieza 424a* | aduectum P : aduentum A | poterit A : -tuerit P | iussi *corr. To.* : iussit PA

defutura esset prius praesenserit ideoque, multo antequam eo ueniret, Martinum Florentinum et Gomezium Carauantem, ut hic hastas et lanceas, ille arma faceret, in Xauxam praemiserat.

122 Nec alia tunc arma nec tela in castris erant praeterquam ea quae Florentinus et Carauantes suum quisque eorum munus sedulo exsecutus fecissent. quin et milites et tormentariae rei magistri puluere ac reliquis rebus ad tormentorum usum necessariis carebant, etiamsi Augustinus Zarataeus quaestor scribat, quod longe ab ipsa re abest, Vaccam Castrum ex Ciuitate Regum in Xauxam peruenisse, ubi Petrus Aluarus Holguinus tribunus militum eum cum exercitu et armorum hastarumque ap- 2 paratione multoque puluere exspectabat. quod si ita esset ut Zarataeus tradit, tamen inconsulte ac temere pugna cum Didaco Almagro, quod is multo instructiores et equitum et peditum copias habebat, commissa fuisset, nisi Castrus ea in praesens quae quam longissime in posterum prouidisset importari in Xauxam imperasset. nam et amplius centum milites qui erant inermes egregie armauit <et> cetera quae superfuere arma his equitibus et peditibus distribuit, quibus uidebat aut loricam aut galeam aut gladium aut hastam aut tormentum ma- 3 nuale aut aliud telum deesse. sed imprimis Petrum Vergaram centurionem insigni equo et quidem meliore illo quem ab eo, ne ipsum offenderet, acceperat, ut gratiam etiam referret, donauit. eum uero equum postea praefectus cuidam amico, quod sibi usui non esset, dedit. alios etiam equos quos mercatus fuerat quibusdam 4 equitibus attribuit. adde quod plumbum, unde glandes

122 2 et *addidi*

pilulaeque funderentur, et sulpur et reliquam materiam, ex qua puluis puluisculusque tormentarius conficeretur, praeter magnam eius rei copiam, quam Ioannes Alfonsus Palominus ex Bombone et Tarama attulerat, denique funiculos gossypinos tum militibus qui tormentis manualibus utebantur tum iis qui tormentis praeerant bellicis diuisit. praeterea tam turmas quam cohortes his suppleuit militibus, quos dilectu Limae habito conscripserat.

123 Erant autem hi milites quos praefectus in Xauxa castris continebat acres ueterani et belli certaminumque experti, quorum permulti sub Francisco Pizarro et Didaco Almagro, qui ad imperium Hispaniarum regum Cuschanas Peruranasque adiunxere prouincias, militauerant. 2 ex quibus trecenti erant equites praeter quinquaginta, quorum praesidio Didacus Roias Goamangam tenebat, egregie equis et armis instructi et pedites partim hastati, qui picarii uulgo dicuntur, ducenti et octoginta, partim tormentarii amplius ducenti. ad haec tormenta bellica unum et uiginti. huc accedebant ingens pulueris puluisculique et funiculorum uis et maximus glandium globulorumque numerus atque omne commeatuum genus. 3 itaque praefectus et supplemento et armorum ceterarumque rerum bellicarum distributione et diligenti sollertique prouidentia sua fecit ut exercitum ita omnibus rebus paratum, instructum munitumque ad confligendum acie cum Didaco Almagro habe-

4 *post* attulerat *sic distinxit To., plene* PA

123 2 instructi P : instructe A | picarii] *cf. e.g. Covarrubias s.u. 'pica'* | et octoginta, partim tormentarii amplius ducenti *om.* A || 3 confligendum A : -dam P *ut uid.*

4 ret, quo uictoriam ex eo reportaret. quem, sicuti etiam per exploratores cognitum erat, audiebat quam primum copias equis armis tormentis ac ceteris rebus instructissimas Cuscho, quod ui oppressum captumque tenebat, educturum infestaque signa his omnibus qui arma pro Caesare ferebant partesque eius fouebant regiaque castra sequebantur illaturum.

quo uictoriam ex eo reportaret *om.* A || 4 cognitum P : agnitum A | armis A : arma P

LIBER SEPTIMVS

Dum haec in Guarazia atque in Ciuitate Regum atque 1 in ualle Xauxa geruntur, Didacus Almagrus, cum Petrum Aluarum Holguinum, qui milites Hispanos quos Cuschi collegerat ad Vaccam Castrum praefectum ducebat, intercipere ad Xauxam, sicuti libro quarto demonstratum est, non potuisset, copias suas, priusquam inde moueret, in tres partes diuisit. quarum unam et alteram 2 his ducibus distribuit, quos ad occupandas diripiendasque Cuschanae prouinciae ciuitates ire iussit, tertiam ipse secum Guaningam, quae ab ea ualle milia passuum centum et uiginti abest, uia regia nullis caedibus, nullis rapinis abstinens duxit infestaque eo signa intulit. duces 3 etiam, quos ille cum aliis copiis praemiserat, crudelissima ac deterrima facinora patrauere compluresque Hispanos et Indos obuiam uenientes et uita et bonis spoliauere. nam Franciscus Peccius, qui primus Arequippam cum uiginti militibus tormentariis et totidem hippotoxotis occupauit, inter alia etiam flagitia quae commisit Ioannem Torrem inuito eius urbis senatu praetorem nomine Didaci Almagri fecit et Michaelem Corneium in carcerem coniecit, propterea quod nollet pecunias ciuium qui in castris erant regiis ex eo loco promere, in quo repositas esse certo sciebat. Arequippa namque et Cus- 4 chum et Guaninga et Plata in amicitia fideque regis His-

Inscriptiones Liber septimus *scr. To.* : Liber VI SP *errore manifesto*

1 1 Guarazia *correxi* : Guaraxia SP | quarto] *cf. e.g. 6.38–41* || 2 infestaque *correxi* : infestoque SP || 3 hippotoxotis *correxi* : -taxotis SP || 4 Guaninga] *sic Caluetus oppidum nominat, quod alias* Goamangam *(cf. e.g. 5.1.3, 6.28.4) et* Guamangam *in 4.45.1 et post 7.50.1 nuncupat*

paniarum perpetuo manserant et coloni fere omnes cum equis et armis Holguino duce ad Vaccam Castrum praefectum se contulerant et, si qui remanserant (remanserant autem perpauci) qui partes regias fouerent,
5 hi sese in densas et asperas siluas abdiderant. at uero Corneius, ne corpus suum distrahendum daret, tum aureorum milia septem, qui eorum erant ciuium qui militiam sub praefecto regio sequebantur, tum quattuor milia Gutterii Caruaialis Vargae pontificis Placentini defossa Peccio commonstrauit.

2 Is autem Gutterius pontifex naues quasdam, quibus aromata subueherentur, omnibus rebus ad tam longam perdifficilemque nauigationem necessariis eo anno instruxit, qui fuit a Christo nato millesimus quingentesimus tricesimus quintus, ut insulas Maluccas odorum abundantissimas sub Hispaniarum imperio redigeret atque ex ea aromatum subuectione atque commercio ditissimus Hispanorum fieret, praecepitque ut naues illae
2 e Baetis ostio soluerent. sed haec nauigatio ita calamitosum exitialemque exitum habuit ut illa Simonis Alcazauensis aliorumque Hispanorum, qui id ipsum temptarunt, quoniam naues illae Gutterii pontificis eo freto, cui Ferdinandus Magallanes Lusitanus ab se inuento nomen dedit, traiecto omnes submersae praeter unam fuerunt. haec uero nauis prima omnium fuit, quae a faucibus illis Magallanicis usque ad Quilcham Arequip-

(remanserant autem perpauci) *sic distinxi* ‖ 5 ciuium *om.* P | Vargae *ante* Caruaialis *transpositum uelim*

2 1 Maluccas *correxi, sed fort. in* Moluccas *corrigendum coll. 1.16–24, 1.44.2 et 2.2–8; contra cf. e.g. Calu. Gasca 297b–298b et Gómara 212a–222b* : Mallic(c)as SP

pae portum oram maris austrini percurrit, explorauit
notitiamque illius immensi tractus maritimi dedit inco-
lumisque eo peruenit. quae postea iussu Francisci Pi- 3
zarri praefecti empta refectaque fuit, quamquam non
satis compertum habetur utrum pecunia, quae pro ea
naui soluta est, Arequippae deposita et ad id tempus
conseruata, quo Chilienses eam urbem diripuerunt, an
multo ante in Hispaniam allata ad Gutterium pontifi-
cem fuerit. utcumque sit, tamen inter omnes constat 4
tantam pecuniam quantam supra rettuli una cum mul-
tis iumentis, armis et uestimentis, quae amplius aure-
orum milibus octo aestimata fuerunt, a Francisco Peccio
ui ablatam eamque omnem praedam crudelissime ex
fortunis Arequippiensium Cuschum ab eo conuectam
fuisse.

Iam uero Garsias Aluaradus, qui e Xauxa cum quin- 3
quaginta equitibus in planum descenderat, se tota ea uia
regia, qua iter Arequippam intendebat, sanguine, latro-
ciniis aliisque flagitiis contaminauit supraque aureorum
milia centum abstulit atque in deuersoriis Hiscae His-
panos quosdam Cuscho Arequippaque Limam redeun-
tes uulnerauit atque despoliauit, equos et arma multum-
que auri et argenti ipsis eripuit et Gomezium Roiam
cepit. tum uero Arequippam non multo post quam 2
Peccius discesserat ingressus primo aedem Diui Domi-
nici, ut qui audisset ingentem auri et argenti uim ibi
defossam esse, effodi iussit ac subter altare nummum
aureorum milia decem inuenit. nec ullam rationem ho-
mo sceleratissimus ac sacrilegus templi, in quo thesauri

2 percurrit S²P : percucurrit S *ut uid.* || 3 et S²P : *om.* S |
conseruata S²P : *om.* S

3 ciuium erant reconditi, habuit. deinde Franciscum Montenigrum uirum honestissimum atque optimum, quod is a Caesare deficere numquam uoluisset, in uincula coniecit eumque Cuschum secum duxit. at cum ille casu sese e uinculis exemisset ac domum profugisset, Aluaradus subito itinere conuerso in eam urbem regreditur, Montenigrum capit ipsique ea nocte in hospitio suo laqueo gulam frangit ac prima luce, ut ab omnibus oculis cerneretur atque uideretur, palo in medio foro affigendum curat. inde rursus iste multo auro argentoque onustus iter Cuschum petere contendit.

4 Porro Didacus Mendezius, qui unus erat ex Almagri ducibus, cum uiginti tantum equitibus ad Charcarum regionem penetrauit, Platam Hispanorum coloniam longe omnium ditissimam diripuit, quicquid erat auri et argenti equorumque et armorum rapuit atque praedatus est, senatum populumque Platensem ut Didacum Almagrum praefectum Perurae maximum appellarent atque acciperent imperataque eius facerent ui et minis coegit.
2 post in iugum Porcum celeberrimum, quod totum uenis argenti scatet, transiit magnumque inde eius metalli pondus, quod et Caesaris et Francisci Pizarri praefecti et Ferdinandi eius fratris erat, Cuschum tulit. adde huc argenti fodinas illas, quae ab ipso iugo Porciae uocantur, Caesari Pizarrisque ademptas atque ereptas a Mendezio fuisse et Didaco Almagro attributas; eos etiam pulsos qui in argentariis illis rationes negotiaque Caesaris et Pizarrorum procurabant et gerebant et alios in ipsorum locum suffectos, qui eas argenti fodinas nomine Didaci Almagri tenerent argentumque pro eo fode-
3 rent atque conflarent. sed enim Franciscus Almendras, quem Petrus Anzurius, qui coloniam Platam anno Christi millesimo quingentesimo tricesimo octauo in Charcis collocauit, pro praetore prius reliquerat, quam

ex ea ciuitate milites quosdam Hispanos, ut se Vaccae Castro praefecto iungerent, ad Petrum Aluarum Holguinum deduceret, simul atque Mendezius abiit, statim et argentarias et Platam recepit.

5 Quin etiam Christophorus Sotellus, quem Didacus Almagrus ex Xauxa, ut militibus Cuschum occuparet, cum magna peditatus equitatusque parte praemiserat, nulla non flagitia atque scelera tam in Hispanos qui obuiam ueniebant quam in Indos qui partes fouebant regias commisit. 2 nam Guaningae, qua iter ipse in Cuschanam ciuitatem habuit, fecit ut magistratus et ciues imperio Didaci Almagri obtemperarent eumque iam cum reliquis copiis aduentantem urbe reciperent atque praefectum Perurae maximum appellarent. hoc negotio confecto, Sotellus triduum ibi commoratus uiginti milites praesidio urbi reliquit et coeptum iter Cuschum intendit. 3 interim Gomezius Roias, cum ea mandata quae Quiti Vacca Castrus ad senatum populumque Cuschanum dederat diligenter confecisset animosque omnium ciuium uerbis confirmasset atque ut in fide et officio permanerent hortatus fuisset, eo reuerti unde uenerat constituit, ut et litteras senatus Cuschani Vaccae Castro redderet et quae in ea urbe egisset ipsi renuntiaret. itaque Cuscho profectus, cum iter unius diei iam fecisset, in Garsiae Aluaradi manus incidit. 4 is autem Roiae postridie eius diei quam eum retinuerat discedendi potestatem fecit. qui cum in Almayralium Indorum regionem longius passuum milibus CLX ab urbe Cuscho iam peruenisset, ab Henrico Sotelli signi-

5 2 reliquis SP[2] : requis P | urbe S : urbem P || 3 iam *ante* unius *transposuit* P || 4 retinuerat *om.* P

fero iterum captus Cuschumque reductus et in catenas coniectus est.

6 Ceterum Christophorus Sotellus eam urbem occupauit, Antonium Gamam iuris consultum et Bernardinum Mellam se magistratu abdicare coegit, senatum populumque Cuschanum perpulit ut summum magistratum Vaccae Castro, quem Caesar ei dederat, abrogarent et Didacum Almagrum praefectum Perurae maximum apellarent imperioque eius parerent actaque et 2 iussa Vaccae Castri praefecti regii rescinderent. tum demum ipse se praetorem omni immanitatis, auaritiae, perfidiae et rapacitatis genere utens contra senatus et ciuium uoluntatem fecit ac Gomezium Roiam tertia fere uigilia, ne a quoquam dinosceretur, uinctum ad se duci iussit. a quo ipse secreto quaesiuit utrum Christophorus Vacca Castrus uiueret an ad Galli insulam naufragio periisset. 'uiuit' inquit Roias, 'et Quiti ex diplomate regio praefectus totius Perurae maximus ingenti omnium laetitia et assensu appellatus est.' rursus interroganti Sotello an diplomata a Garsia Loaysa cardinale Hispalensi Vaccae Castro data adulterinis signis an regiis signata essent, legitima esse firmissime asseuerauit. et cum ille saepius ipsum rogaret 'num Christophorus Vacca Castrus a Caesare senatuque Indico praefectus Perurae ac summus legatus creatus est, num utramque prouinciam Nouae Castellae et Noui Toleti Caesar ei decreuit?', Roias respondit: 'non est quod amplius du-3 bites quin uerissimum sit quod rogas.' tum Sotellus nimis atrociter Roiae minitatur, propterea quod is constanter atque non timide et quidem iure iurando, ut fidem fa-

6 1 quem S : quam P ‖ 2 assensu S^2P : ascensu S *ut uid.*

ceret, pro certo affirmaret se uidisse diploma a Garsia Loaysa cardinale Hispalensi et ab senatu Indico signatum et manu Caesaris subscriptum signoque regio munitum, quo utraque prouincia Nouae Castellae et Noui Toleti Christophoro Vaccae Castro attribuebatur, se caput ei abscisurum, si ea quae sibi dixisset cuiquam enuntiaret. 'atqui' inquit Roias, 'si haec enuntiari non uis, iube me quam primum dimitti; sin minus, quae dixi negare non potero.' qua re Sotellus et quorundam 4 Hispanorum precibus adductus Roiam quattuor equitibus custodiendum deducendumque ad Didacum Almagrum dedit. qui eadem quae Sotellus de Vacca Castro cognouit, litterisque quas ab eo perferebat perlectis, minaciter prohibuit ne quae de Vacca Castro rettulisset ulli enuntiaret aut multitudini proderet, eumque, ut in liberis haberetur custodiis, cum eisdem equitibus Cuschum remisit.

Erat per id tempus Almagrus in Bilcarum regione; 7 iam enim Guaningam diripuerat et Franciscum Setielem catenis constrinxerat, quod ad Vaccam Castrum profugere uoluisset. quem etiam ipse, nisi quidam equites pro eo intercessissent, tormentis lacerauisset. ex Bilcis 2 Almagrus Cuschum uenit et, sicuti in Ciuitate Regum fecerat, se more regio magno tubarum sono praefectum Perurae summum per fora per uicos urbis appellari iussit. statum ciuitatis conuulsit. honores quibus uoluit mandauit. Gomezium Roiam, qui iam sex menses in custodiis tenebatur, ut eo unde uenerat reuerteretur, dimisit et cum eo Antonium Gamam iuris consultum et

3 abscisurum P: abscissurum S || 4 qua re S^2 : quare SP
7 2 Cuschum *correxi* : Cuscum SP

Consaluum Ferdinandum senatorem legatos ad Vaccam
3 Castrum misit. et sane Almagrus satis cognitum habebat ex edictis decretisque regiis, quae Ioannes Valdiuiessus, Petrus Puellaeus, Franciscus Carrenus, Petrus Heraedia et Gomezius Roias ad colonias et municipia magno cum uitae suae discrimine attulerant et peruulgari edique ac praeconis uoce ut moris est in publico atque in foro, ut in omnium notitiam uenirent, pronuntiari curauerant, Christophorum Vaccam Castrum nomine Caroli Caesaris Hispaniarum et Indiarum regis praefectum et legatum uniuersae Perurae nempe a Portu Vetere ad Platam usque coloniam in longitudinem uicies centena passuum milia appellatum atque accep-
4 tum fuisse. nec ignorabat eos omnes qui pacem et concordiam colebant quique partes regias defendebant sese Vaccae Castri praefecti regii imperio et potestati subiecisse. sciebat etiam complures Hispanos, ut regi operam nauarent, ad Vaccam Castrum se Quitum contulisse; ipsum uero iam Quito egressum Piuram et Trugillum recepisse atque inde in Guaraziam uenisse atque ibi exercitum a Petro Aluaro Holguino accepisse et in Ciuitatem Regum descendisse ac demum in Xauxa ualle castra posuisse.

8 Sed quamquam haec omnia perspecta et explorata Didaco Almagro erant, non tamen ideo ipse se a nefario scelere abstinebat, quippe qui nomen regium usurpauit, iurisdictionem uenalem habuit, aerarium ualida militum manu fregit et expilauit, regulos Indorum qui in sua erant potestate subiectos ducibus fecit, agros eo-

3 edictis S : dictis P || 4 ipsum uero ... recepisse S[2] *(in marg.)* P : *om.* S | Guaraziam *correxi* : Guaraxiam SP

rum Hispanorum qui sub praefecto regio militabant militibus dedit, denique Indis ea stipendia et tributa imposuit, quae cum dependere non possent, aut acerbius ab illis haec exigebat aut per cruciatum ipsos interficiebat. tum etiam Ioannes Balsa, Garsias Aluaradus et alii 2 Almagri duces milites ac satellites tantum crudelitatis, populationis, libidinis, auaritiae, sceleris tam in Hispanos colonos quam in Indos regis uectigales, socios et amicos exercuerunt quantum nec Arabes nec aliae quidem gentes immanes et ferae et barbarae exercuissent. ita enim omnia diuexarunt, uastarunt atque diripuerunt, 3 ita miseros Indos compilauerunt et fortunis euerterunt ut hi sua calamitate casuque grauissime afflicti atque euersi nec aliena negotia curare nec aliorum incommodis, etiamsi uellent, angi possent. nam et regulos isti 4 aurum et argentum effodere cogebant et cum alios Indos tum praesertim eos qui uectigales stipendiariique regis et Francisci et Ferdinandi Pizarrorum erant longe acerbius et durius quam bruta tractabant. quos adeo isti ipsi deperdiderunt et onerarunt et possessiones eorum dissiparunt ut in antiquum statum restitui et usui esse nisi longo tempore nullo modo possint.

Praeterea idem Almagri duces et milites et satellites 9 praeter tot tantaque latrocinia quot quantaque per colonias, municipia, uicos et uias fecerunt, cum ex iis ciuitatibus et oppidis quae diripuerant Cuschum conuenissent, a praefecto aerarii Cuschani amplius aureorum milia centum atque a Ferdinando Bacchicao quadraginta milia extorserunt atque eripuerunt. tum etiam

9 1 milia *alterum, quod* S *iterauerat, deleuit* S^2 | tum etiam ... exegerunt SP^2 : *om.* P

a Francisco Caruaiale exegerunt atque coegerunt ut maximam auri argentique et gemmarum uim, quam 2 domi suae continebat, ipsis daret. ad haec Petrum Barcum eius urbis longe locupletissimum ciuem capiunt monentque, nisi suspendi protinus uelit, pecunias omnes, quas in terram defoderit, confestim ac sine mora promat. sed is cum nec eas dare nec ubi thesauri obruti essent commonstrare uellet, iam iam suspendendus exclamauit: 'iuuet me Deus, iuuet me rex!' 'nemo est hic rex,' conclamant praefecti et centuriones, 'nisi unus Didacus Almagrus, qui Carolo Caesare Hispaniarum rege inuito, uelint nolint omnes qui Peruram incolunt, huius saltem prouinciae Noui Toleti praefectus erit.' 3 quin etiam atroci improbo et inhumano edicto sanxerunt ne quis aurum argentumue foderet neue funderet, nisi tantum id quod ex auri argentique fodinis ad se importari uellent iuberentue. quae res Carolo Caesari summum attulit detrimentum uectigaliaque ei deteriora fecit; plus enim ipse milia nummum aureorum sescen- 4 ta amisit. coloni autem Hispani, ad quos auri argentique fodinae illae pertinebant, duplo maius quam Caesar incommodum acceperunt, utpote qui eo magis animum intendebant, quo se tuerentur et ab omni periculo conseruarent et Didacum Almagrum cum suis perderent, quam ut aurum et argentum eruerent atque 5 conflarent. id ipsum uero cum Almagrani facerent admonerenturque ut saltem quintam partem uectigalis nomine Caesari penderent, respondebant Caesarem principem potentissimum uectigalibus illis haudquaquam indigere. quo fiebat ut et Almagrani, cum tantam

2 uellet S : uelle P | Peruram *corr.* P : Perurant S

tamque multam pecuniam ex rapinis, direptionibus et latrociniis coegissent atque in urbem Cuschanam congessissent, omnibus rebus ad bellum necessariis abundarent et ea quae deessent nullo negotio compararent.

At Didacus Almagrus nullum diem nullam noctem intermittebat, quin animo et consilio prouideret ne quid sibi ad consequendam uictoriam deesset. nam statim ut Cuschum armis oppressit, tormenta tam campestria quam manualia ex aere et quam maximum glandium pilularumque numerum ex plumbo fundi, quam maximam pulueris puluisculique tormentarii et funiculorum ex gossypio uim ad tormentorum usum confici pararique iussit. equestres et pedestres copias ex iis suppleuit militibus, qui ultro rapiendi atque praedandi spe ad eum undique confluebant. quibus ipse ut hominibus perditissimis et profligatissimis, quo magis eos licentia peccandi sibi obstringeret et ad omnia paratiores promptioresque haberet, quodcumque uellent facinus patrare permittebat. 10 ... 2

At Petrus Candia, qui rei tormentariae praeerat, ut a nobis iam dictum est, tormentum ualde magnum ex aere fecit, in quo insigne Diui Iacobi incidit. est autem hoc insigne crux purpurea forma spathae, quam eius ordinis milites pro pectore uestibus consutam ostentant. eo uero tormento ille propalam dicebat se in acie unam aut alteram glandem ac plures in insigne illud purpureum, quod Vacca Castrus in paludamento gestaturus esset, usque eo directurum, donec ipsum simul cum insigni traiectum equo deiceret. atque ut homo 11 ... 2 ... 3

5 tamque S : tantamque P
10 1 glandium S : gladium P

Cretensis loquax et perfidus transfuga, ut qui ad Almagrum transfugisset, hortari et monere duces et milites ut in defectione, rebellione proditioneque ad ultimum perseuerarent dignitatemque Didaci Almagri armis defenderent non desistebat: si ita fecerent, non solum ipsos summam inde laudem et gloriam reportaturos, sed maximos etiam honores, diuitias et opes consecutu-
4 ros. tum etiam Candia ementiendo aliquid et criminando animos militum in Vaccam Castrum inflammabat et ad omnem cupiditatem incendebat et, quo facilius id quod uellet ipsis persuaderet, iactabat se unum cum aliis tormentis bellicis tum maxime illo tormento, in quo insigne Diui Iacobi incisum erat, omnes copias regias cum praefecto fusurum atque humi corpora prostraturum.

12 Quibus rebus duces et milites adducti et Cretensi fidem habentes scelereque et furore inflammati sese confirmant et in perfidia et impudentia persistunt. sed imprimis cum Didaco Almagro consentiunt et de exercitu
2 et praefecto regio delendo coniurant. deinde in foro suggestum atque e regione modico interuallo interiecto altare ex lignea materia exstruunt et utrumque pulchris tapetis adornant. altari autem sanctam aram cum sacro quattuor euangeliorum codice ac cruce argentea imponunt. utrimque uero ad capita altaris singulos sacerdotes Hispanos, quorum alter ex eorum erat ordine, qui ad redimendos Christianos a Turcis uel a Mauris uel a praedonibus barbaris captos institutus est, consistere iubent, qui praefectos, centuriones, milites et reliquos coniuratos, quorum princeps Didacus Almagrus erat,

11 4 militum S^2P : *om.* S.

iure iurando tactis sacris adigerent. his rebus dispositis, 3
Didacus Almagrus, militibus et ciuibus ad contionem conuocatis, suggestum ascendit. hoc milites armati circumsistunt, ciues forum complent, praefecti uero et centuriones in suggesto cum Almagro consistunt. qui silentio per praeconem facto orationem quam habiturus erat a Gaspare Roia scriba ex scripto recitari et a Ferdinando Benalcazare praecone magna uoce, ut ab omnibus exaudiretur, ad hunc modum pronuntiari iussit:
'disciplinam et scientiam rei militaris, duces, equites, 4
milites fortissimi, ciues optimi et amicissimi ac fratres carissimi, a maioribus nostris inuentam atque institutam esse ad rempublicam regendam, ad communem salutem defendendam et ad frenum tyrannis iniciendum neminem uestrum ignorare arbitror. quae si in bellis, dissidiis ac dissensionibus uehementissime exerceatur, causa summae et mirificae tranquillitatis in regnis, ubi illa commouentur, nascuntur, fiunt, esse solet. at quoniam 5
Deus, ut litteris sacris proditum est, populo Israelitico sic praecepit "persequimini inimicos uestros et corruent coram uobis", permissum uidetur ut bella iusta et proelia fiant. sunt enim haec hominum iniquorum et infidelium regnis poena et eorum qui rempublicam perturbant supplicium: tyrannorum deiectio, seruitutis depulsio, orbis terrarum summa pax et summa tranquillitas. quod si ita est, quis uestrum dubitare potest quin 6
hoc bellum, quod Dei contemptoribus, regis hostibus, patriae proditoribus infertur, quam iustissimum sit?
nam ut planius et apertius dicam, nimis certe inter om- 7

12 3 suggesto *corr.* P : suggestu S || 5 litteris sacris] *cf. Lu. 26.7*

nes constat Petrum Aluarum Holguinum hominem audacissimum et insanissimum militibus ex ea regione quam explorabat huc deductis hanc ciuitatem praetextu nominis regii ad arma excitauisse, equites et pedites Hispanos ex coloniis Arequippa Guaninga, Plata euocauisse, eos sub uexillo regio misisse ac sibi coniunxisse, societatem non modo cum praefectis et centurionibus sed cum quibusdam etiam Indorum regu-
8 lis iniisse, denique signa militaria extulisse. hoc quid aliud fuit, nisi Holguinum tyrannidem affectare ac, sicuti in animo iam habebat, ea manu quam sibi adiunxerat, cuius etiam ipse dux et princeps erat, prouinciam Cuschanam occupare atque se Noui Toleti praefectum, ne dicam regem, constituere? hoc ille ambitione quadam perniciosa temptabat, hoc moliebatur, ut cum sum-
9 mo imperio esset, hoc se assequi sperabat. et sane nisi quod timor animum eius praeoccupauit, honorem et gloriam imperii, quo minime dignus erat, acquisiuisset atque, quod plane iniquum erat, laudem et gratiam nobis praeripuisset, cum longe iustius haec omnia Didaco Almagro patri meo huius urbis et prouinciae Cuschanae summo praefecto propter infinitos sumptus quos in exploranda Perura Chiliaque fecit, propter summos labores quos pro republica proque imperio Hispaniae augendo sustinuit, propter pericula quae terra marique in tuenda obsidioneque hac ciuitate liberanda subiit quam
10 illi deberentur; neque enim tanta sunt Holguini merita neque huius in Caesarem officia neque in rempublicam beneficia ut uix cum patris mei minima parte aequari

8 *post* affectare *non interpunxi* : *signum interrogationis scr.* SP ‖ 9 in tuenda *correxi* : intuenda SP

conferrique possint. utrum autem praemia aeque magna et ampla Holguino ac patri meo a Caesare deferenda an utri maiora et ampliora danda essent uos ipsi decernite aut iudicate. nam quantum Caesar Didaco Almagro 11 praefecto et legato suo tribuerit, quantum singulare eius in rempublicam studium, officium et fidem probarit atque laudarit per diploma illud, quo prouinciam ipsi Cuschanam decreuit, ut omnes intellegere possent, potissimum testatus est, etiamsi Ferdinandus Pizarrus, qui per idem tempus apud Caesarem erat, de patris mei fama detrahendo, laudibus eius obtrectando easque imminuendo et coram iucundissimo Caesaris conspectu res bene et feliciter ab illo gestas eleuando infensius aduersaretur, quominus honor Almagro debitus deferretur et daretur. sed Caesar nullam obtrectatori et aduersario fidem ha- 12 bens patrem meum praeter Noui Toleti praefecturam, quam ei dedit, maximis honoribus et praemiis decorasset, nisi ille iniquo fato in medio hoc foro ab isto sublatus fuisset. quam ob rem ex his omnibus perspicuum 13 est non minus Ferdinandum Pizarrum quam Petrum Aluarum Holguinum tyrannidem et appetiuisse et sustinuisse atque eos qui hunc sequuntur seditiosos, ambitiosos, improbos et hostes regis et reipublicae esse, quippe qui merita Caesaris in se proponentes arma ad immanem uectigalium regiorum iacturam et ad exitium et uastitatem totius Perurae sumpserunt et cum Holguino duce se ipsi coniunxerunt non aliam ob causam,

10 *post* deferenda *et* essent *interpunctionem sustuli* : *signa interrogationis post eadem scribunt* SP | iudicate] iudicate? SP : indicate. *To.* || 11 laudarit S : -dari P || 13 *post* coniunxerunt *non interpunxi* : *plene distinxerunt* SP

quam ut aurum et argentum, quod uectigalis nomine Caesari pendebatur, inter se diuiderent, prouinciam Cuschanam uexarent, regiones et agros uastarent, aerarium compilarent et bona omnium uestrum et sociorum diriperent et ciuitates ac domos funditus euerterent. unde caedes, rapinas, latrocinia fieri atque ingentia alia mala nasci et uectigalia regia abrumpi et amitti ne-
14 cesse est. sed enim hi quos Holguinus per causam nominis et commodi regii ad arma capienda sollicitauit eo magis in culpa sunt, quod ipsis scripsi ac denuntiaui, ne quis Cuscho aut alia ex urbe excederet neue seditionem faceret, sed secure et quiete domi suae quisque maneret; me operam daturum ut leges et iudicia administrarentur, quo suum cuique ius redderetur, ne cuiquam iniuria fieret, propterea quod ille, qui tanta perfidia Didacum Almagrum necandum curauerat et me eius fili-
15 um interficere uoluerat, iam obtruncatus esset; nec me illos persequi, sed tantum mortem patris mei ulcisci uoluisse eiusque necis neminem alium iudicem quam Caesarem tamquam regem meum futurum, quod sperarem ipsum aequi bonique id facturum ac pro sua clementia et pro meritis paternis mihi condonaturum, atque eo magis quod Deus et iustitiam suam diuinam in Franciscum Pizarrum exercuisset, ut qui permisisset ut decem uel duodecim tantum Hispani eum de altissimo gradu, in quo positus erat, deicerent atque in tantis copiis et opibus, in tanta potestate et dominatu et tot amicis et necessariis in aedibus suis circumsaeptum trucidarent ac penetralia cruento tyranni corpore contaminarent et pa-

et *ante* agros S²P : *om.* S ‖ 15 eum] eum *uel* cum S : cum P | deiicerent SP² : -ret P

tri meo sanguine eius parentarent; qui suo labore, opera et studio et suis et amicorum diuitiis in amplissimo dignitatis gradu, ad quem ascenderat, eum collocauit, qui, etsi uirtute, prudentia, scientia militari, rerum usu et facultatibus quam ille praestabat, quibus rebus facile per se et naturam regionum Perurae cognoscere atque eas sub Hispaniae imperium redigere atque regere potuisset, tamen cum omnia officia quae ipse in rempublicam contulisset et labores quos pertulisset et sumptus quos in exploranda Perura fecisset ac pericula quae obisset cum aliis tum maxime Caesari et senatui Indico notissima esse arbitraretur, honorem et imperium Francisco Pizarro quam sibi deferri et primum locum tribui maluit, ut ille laborum fructum et periculorum praemium caperet. tanto amore et beneuolentia pater meus Pizarrum prosequebatur! sed hic tantis beneficiis ab illo affectus fidem laesit, foedus fregit, amicitiam et societatem uiolauit, utpote qui nulla mentione de Didaco Almagro facta Peruram cum imperio obtinuit, cum is Almagrus sua impensa ipsum in Hispaniam misisset oratum Caesarem, ut eam prouinciam utrique aut attribueret aut in duas praefecturas diuideret, harum alteram Pizarrro, alteram Almagro daret. sed hic nihilo setius in officio fuit et illum ex Hispania Panamam redeuntem benigne excepit et fratres eius et propinquos omnium plane rerum egenos suis pecuniis iuuit atque eos omnes aere alieno, quo obruti erant, liberauit et,

16 ille P : *nescio utrum* illi *in* ille *an* ille *in* illi *corr.* S | *post* prosequebatur *sic distinxit To.* : *signum interrogationis scr.* SP

cum hi uersuram facere iam non possent, grande etiam negotii gerendi studio aes alienum contraxit, quo et naues parauit et omnibus rebus instruxit, quibus Franciscus Pizarrus in Peruram nauigaret. qui si rationem
19 uirtutis et honoris habuisset, ut certe habere debuit, si gratus, si tanti beneficii memor fuisset, etiamsi referre gratiam non potuisset, habere certe debuisset. sed iste
20 semper in patrem meum ingratus fuit. ceterum quamquam plerosque uestrum certo scire arbitror quae beneficia Didacus Almagrus in Franciscum Pizarrum contulerit et quam gratiam hic illi rettulerit, tamen ea, ut omnes intellegant, perquam breuiter perstringam et attingam; longum enim esset omnia persequi nec, si uellem, ullo modo ea aut memoria consequi aut oratione complecti possem.'

13 'Ac primum Didacus Almagrus cum ea classe quam sumptu suo instruxit atque ornauit Franciscum Pizarrum, quem in societatem explorandae adiungendaeque Perurae ad imperium Hispaniae assumpserat, eo praemisit. deinde ipse cum alia quam comparauerat classe, ut de ea etiam regione inquireret, subsecutus est alterumque oculum cum Indis citra flumen Sancti Ioannis
2 confligens amisit. inde cum nihil certi de Pizarro haberet, quid ageret maximeque ubi esset, Panamam repetens sese cum eo in Chinchama coniunxit. qui cum eam expeditionem parum sibi militibusque laetam fore putaret, iam apud animum statuerat susceptum officium de-

18 rebus S²P : *om.* S
13 1 cum *ante* Didacus *perperam transposuit* P | comparauerat SP² : com P || 2 Chinchama *corr. To.* : Chinchãma S : Chinchamma P

serere. sed ille Pizarrum adhortatus ut in eo quod susceperat constanter perseueraret Panamam, quae non longe a Chinchama aberat, se recepit ac sine mora unam nauem armis, militibus commeatibusque egregie adornatam ad Pizarrum, qui tunc cum tredecim tantum sociis in Gorgone erat insula, misit. qua naui ipse cum 3 sociis ad Tumbezium appulit et explorata regione Panamam rediit et impensa patris mei, ut supra dictum est, in Hispaniam transiit atque, cum id quod postulauit cum gratia a Caesare impetrasset, Panamam cum tribus Pizarris fratribus suis et propinquis compluribusque aliis Hispanis reuersus est. et quamquam is summa ambitione societatem fregerat, foedus ruperat, tamen Almagrus, ne illius in se perfidiam increparet, tam insignem sibi illatam iniuriam quieto aequoque animo tulit nec ab officio discessit, sed magna aeris alieni ui contracta classem parauit atque instruxit, qua Franciscus Pizarrus cum fratribus, propinquis et aliis Hispanis quos secum adduxerat in Peruram nauigauit. nec multo 4 post Almagrus alia classe, quam ipse instrui pararique iussit, eo traiecit expositisque in terram militibus in Caxamalcam ire contendit magnoque subsidio Pizarro et militibus Hispanis, qui eo tempore hostium impetu premebantur, fuit. tum etiam ipse cum suis et Francisci Pizarri postulatis Ferdinandum Pizarrum, quem perinde ac fratrem diligebat, in Hispaniam ad Caesarem misit, cui ex Caxamalca decedenti argentum et aurum multum uiatici nomine dedit. is autem Pizarrus patri 5 meo promisit se maxima eius in rempublicam merita et

3 ne illius SP^2 *(cf. Cic. Q.fr. 2.3.3)* : ne illi *corr. To.* : nec illi P *ut uid.* || 4 terram S : terra P | et *ante* Francisci *om.* P

omnia quae in exploranda Perura non minus fortiter quam prudenter gessisset Caesari ordine expositurum ac diligentissime curaturum ut Caesar aliam praefecturam a finibus eius quam Franciscus Pizarrus gerebat illi daret. sed tantum abest ut Ferdinandus Pizarrus id quod promisit praestiterit ut partim aliter ac debuit quae Almagrus gessit Caesari rettulerit, partim quod illi
6 detraxit sibi assumpserit. ex quo clarius intellegitur Pizarros non modo gratiam debitam ac meritam Almagro non rettulisse, sed ne ullam quidem uoluntatem remunerandi beneficia eius habuisse. an non sunt isti homines plane improbi et ingrati, qui beneficia accipere
7 sciunt, ea uero dare nesciunt? quin etiam Almagrus, Cuscho in Hispaniae dicionem redacto et colonis eo deductis, in Quitiam magnis itineribus ire contendit, ut inde Petrum Aluaradum Guatimalae praefectum expelleret, qui cum magna Hispanorum multitudine in eam regionem inuaserat. eo ubi cum copiis peruenit, etsi auidissimus erat gloriae, tamen noluit cum Aluarado armis decertare; sciebat enim Caesarem moleste laturum, si bellum ciuile concitaret. itaque ipse cum illo hac condicione transegit, ut centum aureorum milibus ab se acceptis et naues et milites Hispanos in Perura
8 relinqueret et in Guatimalam rediret. iam uero Almagrus, quo magis amicitia confirmaretur et societas semper maneret, Franciscum Pizarrum socium in Perura, quam ambo armis subegissent et cuius regiones et praedae actae aequaliter inter ipsos erant partiendae, ut eam

5 quae Almagrus ... rettulerit SP^2 : *om.* P || 6 ne S : nec P | *post* ingrati *sic distinxit To.* : *signum interrogationis scribunt* SP

regeret atque gubernaret, reliquit. qui ut animi altitudine et rerum gestarum gloria Alexandrum Magnum si non superaret at certe aequaret, maiores labores et ab aetate sua alienos, maiora etiam pericula subire decreuit, etiamsi legitimam aetatis excusationem haberet, ut qui dignissimus esset, cui iam decreto regio prò rebus gestis uacatio sumptus, laboris, militiae et omnium munerum daretur. itaque in Chiliam regionem auri argentique uenis scatentem, ut eam ad imperium regis Hispaniae adiungeret, profectus est. interim Pizarri 9 aperte calumniari, inuidiose criminari, contumeliose laedere, denique Almagrum in odium et contemptum apud Caesarem adducere non cessabant; neque enim ferre poterant praefecturam Noui Toleti patri meo datam ab ipso fuisse. sed et pontificem Panamensem, cui Caesar mandauerat ut fines terminosque Nouae Castellae et Noui Toleti constitueret atque praescriberet, cum is nec minis cogi nec pecuniis corrumpi posset, quominus Cuschum ita Noui Toleti ut Ciuitatem Regum Nouae Castellae principem et caput esse pronuntiaret, metu perterritum re infecta Panamam reuerti compulerunt. deinde Franciscus Pizarrus Petrum Anzurium 10 cum his mandatis ad Caesarem dimisit, quoniam Didacus Almagrus cum ingenti militum manu exploratum nouas et incompertas terras abiisset, fieri posse ut is non inuentis regionibus de quibus inquireret in Peruram reuerteretur et in prouincias quae ad se non pertinerent inuaderet; ideo Anzurius Caesarem nomine Francisci Pizarri oraret et ab eo summis precibus contenderet ut regio edicto sanciret ne longius procederet, sed ubicumque ei denuntiatum esset, ibi consisteret, donec Caesar de finibus Nouae Castellae ac Noui Toleti ex sermone alicuius statueret, decerneret ac iudicaret aut alium in pontificis Panamensis locum subrogaret,

qui utrum Cuschum in Nouo Toleto an in Noua Castella positum esset sententiam ferret. at uero Anzurius quod postulauit obtinuit. nec dubitandum est quin dolose aut malitiose egerit ut edictum illud plane inimicum et acerbum haberet eo profecto consilio, ut simul atque Pizarri audirent Didacum Almagrum ex Chilia Cuschum reuerti, statim obuiam ei occurrerent edictumque regium in uastis ac desertis illis solitudinibus exhiberent atque denuntiarent, ne ultra progrederetur, sed aut ibi subsisteret aut copias in Chiliam reduceret, freti nimirum illi uirtute et humanitate patris mei, quem certo sciebant non modo nihil aduersus edictum regium facere ausurum, sed ne transuersum quidem unguem ab imperio Caesaris discessurum. ad haec Franciscus Pizarrus Hispanum quendam nomine Cauallum cum litteris ad Caesarem misit, quibus ipsum certiorem faciebat Didacum Almagrum cum copiis quas in Chiliam duxerat fusum deletumque a Chiliensibus esse idque se ab iis Indis qui ex ea uenerant regione intellexisse atque casum ducis praestantissimi et tot militum fortissimorum aegerrime tulisse ac duas naues, ut diligenter ea de re inquirerent, eo misisse easque rediisse ac sibi rettulisse uera esse quae Indi de Almagri militumque Hispanorum caede renuntiassent; ideoque Franciscum Pizarrum magnopere Caesarem orare ut praefecturam Noui Toleti, quam Didaco Almagro promiserat, Ferdinando Pizarro fratri suo, qui militarem praeclaramque operam in explorandis subigendisque tot Perurae regionibus re-

(margin: 11 at "tella positum"; 12 at "imperio Caesaris")

10 Nouo *correxi, cf. adn. ad 6.4.5* : Noua SP | ferret S : ferre P || 11 *post* haberet *plene distinguunt* SP | *post* reduceret *plene distinguunt* SP || 12 quendam SP^2 : quedam P

gi suo nauauerat, daret. sed quis fraudes atque fallacias Pizarrorum exagitabit? qui omnes machinas adhibuerunt, quibus Almagri dignitatem labefactarent, ut quacumque possent arte quasi praestigiis quibusdam et captionibus non solum ipsum praefectura depellerent, sed ex tota etiam Perura eicerent, qui quantum omnibus officiis eos prosequebatur et laudibus extollebat tantum illi omnibus contumeliis insequi, ignominiis afficere, eum deprimere resque eius imminuere conabantur. nempe ut alieno labore incredibilem auaritiam explerent ac Peruranas Cuschanasque prouincias obtinerent et praemia quae patri meo erant debita acciperent, quantum hic famam, opes fortunasque suas eis commendabat atque concredebat tantum illi ex dolo malo non ex bona fide cum ipso agebant. at Deus iudex aequissimus tantam Pizarrorum calumniam et fraudem non tulit nec passus est integritatem et singularem Almagri innocentiam ac famam falsis criminationibus et obscuris suspicionibus laedi. nam quamquam in itinere ex nuntiis et amicorum litteris ea omnia cognouit, tamen nec fidem quam dextra dextrae iungens Francisco Pizarro obstrinxerat ab se deseri nec amicitiam dirumpi nec societatem quam cum eo fecerat dirimi uoluit, sed litteris quas una cum diplomate regio, quo Caesar ipsi praefecturam Noui Toleti dabat, in Chilia acceptis et in concilio ducum et militum, quod conuocauerat, recitatis, ex ea regione, cuius maritimam oram iam explorauerat atque in potestatem suam redegerat, omnium 13 14 15

13 praestigiis] *fort. melius* praestrigiis, *cf. Cic. Luc. 45* | eis *om.* P || 15 ab S : ad P | *aliquid post* dabat *desideratur*

consensu Cuschum exercitum reduxit. qui aduentu suo hanc urbem et obsidione qua Mangus Hinga eam premebat exemit at praesidium Hispanorum, cui Ferdinan-
16 dus Pizarrus praeerat, periculo mortis liberauit. huius autem officii et animi erga Pizarros amici et rerum gestarum Almagri uos cuncti testes locupletissimi et certissimi estis. quod adeo uerum est ut implere probatio-
17 nes non oporteat. ceterum Almagrus diploma a Caesare subscriptum et signo regio signatum in senatu recitandum curauit ac postulauit ut in hanc ciuitatem, quae ad praefecturam suam pertineret, sine tumultu et seditione acciperetur. uerum id a Ferdinando Pizarro, qui nomine Francisci Pizarri fratris sui Nouae Castellae praefecti urbem cum praesidio tenebat, impetrare non potuit, qui nec edicto regio nec patris mei dicto amicissime eum admonentis audiens fuit, sed urbem armis defendere, motum seditionemque ciuium et militum concitare ac non solum introitu sed aditu etiam eum prohibere cona-
18 tus est. at Almagrus acceptam iniuriam silentio dissimulandam existimauit et intempesta nocte et quidem obscura, ne ciues occiderentur, urbem aggressus uno tanto milite Hispano interfecto cepit et Ferdinandum Pizarrum et centuriones qui dictis et factis ei repugnauerant atque restiterant in carcerem condi impe-
19 rauit. insequenti uero die senatus populusque Cuschanus, Ferdinando Pizarro capto, ea lege Didacum Almagrum praefectum Noui Toleti declarauit et appellauit, ut Cuschum intra fines praefecturae suae contineri doceret. quod ipse postea nauiculariis et uiris integer-

17 patris mei ... admonentis] patri meo ... admonenti *malim uel fort.* imperio *addere.*

rimis et caelestium maritimarumque et terrestrium rerum peritissimis ad deliberationem huius rei adhibitis demonstrauit atque ostendit. qui deinde, rebus Cuschi 20 constitutis, Ferdinandum Pizarrum secum ducens in Peruram planam descendit atque cum Francisco Pizarro praefecto in colloquium uenit. quo in colloquio ambo ex omnium sententia inter se constituere ut alter ab altero, ne caedes et latrocinia fierent, bellum et uim abstineret, ut deinceps uterque amicitia et caritate concordi se complecterentur et suam quisque prouinciam quiete et commode administraret Caesaremque omnibus de rebus per legatos certiorem faceret et quod ille iuberet id iussum, ratum firmumque futurum esset; interim Franciscus Pizarrus Limae consisteret, Almagrus uero Cuschum se reciperet. haec autem omnia iure iurando 21 solemni inter ipsos firmauere et se et capita fortunasque suas, si fidem ius iurandumque neglegerent, si propositis condicionibus non starent, furiis facinorum et sceleris uindicibus deuouere et diras sibi poenas imprecati fuere. post Didacus Almagrus Ferdinandum Pizarrum, qui in custodiis habebatur liberis, dimisit. at enim Fran- 22 ciscus Pizarrus, quoniam fidem et ius iurandum datum non conseruauit, poenas quas sibi fuerat imprecatus iam luit. atque equidem maxima in spe sum duorum Pizarrorum reliquorum supplicio sanguinem patris mei optimi atque innocentissimi luendum esse. interea acci- 23 dit ut Petrus Anzurius eodem tempore, quo Almagrus in agro erat Limensi, iam aequissimis pacis concordiaeque condicionibus statutis et receptis et atramento librario quo ius iurandum scriptum erat adhuc recenti ex

22 sibi fuerat S : fuerat sibi P

Hispania cum eo edicto, cuius supra mentionem feci, rediret illudque Pizarris exhiberet. qui confestim (tanta fuit horum perfidia et iniquitas), ut a condicionibus fugerent (neque enim ipsi simultates, quas partim obscuras, partim apertas, partim ueteres et antiquas cum Almagro gerebant, umquam deposuerant), quid edicto illo
24 uetaretur denuntiari ei iusserunt. et tametsi Almagrus ex edicto illo regio consistere illic poterat, tamen, ne Caesarem offenderet neue bellum ciuile commoueret neue ius iurandum quo se obstrinxerat uiolaret, Cuschum repetere maluit. at Franciscus Pizarrus praefectus religione iuris iurandi contempta Ferdinandum et Consaluum fratres cum instructo exercitu, quem subito collegit, Cuschum misit. hi autem collatis signis ad Salinas exercitum Almagri superarunt et copiis fusis eum et
25 hanc ciuitatem ceperunt. et Almagrum quidem Ferdinandus Pizarrus nullo aetatis et dignitatis respectu habito sceleratissime tractauit et in carcerem inclusit tantorum beneficiorum quanta ab illo acceperat plane immemor, quippe qui suis facultatibus ipsum subleuauerat, qui Franciscum Pizarrum fratrem eius maxime auxerat, qui solus effecerat ut hic in eum honorem ascenderet, quo fastigium priuati hominis excederet, qui denique eos ambos ex Hispanorum egentissimis locupletissimos fe-
26 cerat. sed quid ego haec nunc commemoro? nam etsi Almagrus Caesarem, cui se submittebat, appellauit, quo in Hispaniam duceretur, nihil tamen appellando profe-

23 (tanta ... iniquitas) *sic distinxi* | (neque ... deposuerant) *parenth. statui* || 24 bellum ... neue SP^2 *(in marg.)* : *om.* P | iuris iurandi *correxi, cf. e.g. Caes. Ciu. 3.28.4* : iusiurandi SP

cit, quoniam ille, cum priuatus esset, ius et officium summi praefecti usurpans patrem meum non aliam certe ob causam, quam ut prouinciam Noui Toleti obtineret et bona eius diriperet, indignissime necauit, quod existimaret neminem fore qui necem tam indignam et iniustam armis ulcisci ualeret. quin et quosdam ex uobis, duces, nimis aspere et acerbe tractauit et in uinculis habuit. quem spero longe grauiores poenas quam passi fuistis per omnes cruciatus daturum. iam ex his rebus 27 quas exposui quilibet uestrum facile intellegere atque iudicare poterit an ego ut filius optimus et patria uirtute praeditus mortem Didaci Almagri patris mei foedissimam et crudelissimam multo ante quam ultus sum quam acerrime uindicare debuerim, cum iste sicarius et homicida et sanguinis paterni sitiens eum fune collo iniecto e carcere educi et praecone praeeunte et magna uoce nomen Almagri iussu eius pronuntiante ac si Almagrus proditor et latro fuisset, in forum duci et caput ceruicibus abscidi imperasset. uerum enimuero ideo me 28 ab ulciscenda patris mei morte aliquandiu continui, quod pro certo putarem Carolum Caesarem imperatorem inuictissimum et regem iustissimum de interfectore Didaci Almagri praefecti sui summum, uti aequum erat, supplicium sumpturum. at quominus id Caesar faceret 29 impedimento fuit Garsias Loaysa cardinalis Hispalensis, senatus Indici praeses, qui cognationem et necessitudinem quam cum Ferdinando Pizarro habebat pluris quam aequitatem et honorem Caesaris fecit. nam caedes, rapinas, latrocinia et alia crimina et atrocia maleficia quae in Perura a Pizarranis fiebant, ne in Caesaris

29 Indici S : -cis P

notitiam uenirent, celanda occultandaque curauit, quo causam Ferdinandi Pizarri, qui eodem tempore apud ipsum in curia erat regia, iustiorem sicuti ille uoluit fa-
30 ceret. quem uestrum tam mirifica improbitas et peruersitas non commoueret? quis non tam temporum quam praepotentium quorundam iniquitate pressus ius e caelo non peteret? praesertim cum uideret iustitiam in terris non agitari, leges et fas non coli, res non ex aequo et bono sed ex iure callido et uersuto iudicari et specie iustitiae Caesari imponi atque unius cardinalis Hispalensis intercessione Ferdinandum Pizarrum crimine manifesto solui ac poena liberari, quasi is Pizarrus non
31 aliud crimen quam caedem Almagri fecisset. quare cum eum non damnatum sed absolutum caedis audirem, ad Deum optimum maximum confugi nec frustra ipsum appellaui, quippe qui me incredibili usum patientia respexit nec tam impium et publicum scelus impunitum tulit nec patrem meum acerbissimo supplicio interfec-
32 tum inultum reliquit. iam uero post caedem Almagri Ferdinandus Pizarrus, ut ad istum reuertar, cum multitudine militum Hispanorum, quos ad caedes faciendas conduxerat, in regiones Collarum et Charcarum locupletissimas et refertissimas ab urbe Cuscho profectus est. is ubi eo peruenit, regulos illarum regionum, qui subito aurum et argentum, quod reconditum habebant, non prompserunt, aut omni supplicio cruciatos necauit aut uiuos combussit. Collas et Charcas, qui iam pacati erant, deuastauit atque despoliauit, pecus omne inde

31 appellaui S : -uit P || 32 Charcarum *correxi, cf. e.g. 4.10.3, 6.9.3 etc.* : Charcha- SP *et sic in toto hoc libro, quod posthac silentio praetermittam*

abegit, uestimenta abstulit, nihil denique earum rerum quae ad uictum et uestitum pertinerent reliqui fecit, sed ea omnia Cuschum importari et, hasta in foro posita, praeconis uoci subici iussit, quae grandi pecunia uenierunt, unde maxima auri argentique uim coegit. itaque 33 Pizarrus, cum eas prouincias diriperet, caedes regulorum indignissimas efficeret, Indos expilaret, latrocinia nefaria agitaret, merito iureque latronis cognomen accepit et dominatu crudelissimo effecit ut Indi armis sumptis rebellarent ac complures eius milites siue potius praedatores direptoresque ex improuiso ad Titicachae paludis effluuium obtruncarent. quod profecto 34 peruigilium eius festi fuit, quod Pizarrus militibus parauit, qui nimis superbe et insolenter gloriabatur se eas regiones peragrauisse, colonias eo deduxisse, Indos et agros suis militibus, quorum auxilio et quidem latronum ritu, ut tantum haberet quantum raperet, omnia in illis regionibus compilauerat, diuisisse. et sane id quod 35 aliis tribuendum erat Pizarrus peruerse, ne dicam impudenter, sibi arrogauit atque ita improbe Indos et agros militibus suis dedit ut iniuste illis ademit, qui primi sumptu laboreque suo Collas et Charcas ad deditionem subegerunt atque sub regis Hispani imperium redegerunt. sed ille in animum induxerat suum ut, si iis 36 Hispanis qui suae erant factionis agrum Collarum et Charcarum uiritim diuideret, si cardinalis Hispalensis et senatus Indici maxima largitione uoluntatem redimeret, nihil omnino fore quod uerendum ac timendum sibi

33 efficeret S : -cere P | effecit S : effeci P | Titicachae *correxi coll. 2.29.2, 2.30.1* : Titichachae SP || 34 raperet] *cf. Cic. Phil. 2.62* || 35 *post* ademit *plene distinguunt* SP

putaret, quippe cum in memoria non haberet Deum de-
37 primere fortunas eius posse, qui eandem extulisset. ce-
terum ille, cum iam omnia in Collis et Charcis diue-
xauisset atque diripuisset, Cuschum se recepit ac non
multum ibi moratus cum permagno auri argentique
pondere iterum in Hispaniam traiecit et cardinali His-
palensi, quo insatiabilem eius expleret cupiditatem, ex-
posuit se in Collis et Charcis, quos in prouinciam rede-
gisset, quam plurimas et ditissimas auri argentique
fodinas habere, ex quibus magna uectigalia institui et
infinita utriusque metalli pondera nauibus in Hispani-
38 am singulis annis conuehi possent. hoc quidem potissi-
mum Pizarrus in curia regia agebat, ut amplissimis et
maximis muneribus senatum Indicum leniret ac summo
officio et summa liberalitate cardinalem Hispalensem in
perpetuum sibi deuinciret, siquidem pro comperto ha-
bebat, etiamsi de interitu Didaci Almagri non se purga-
ret, se causam quamuis malam obtenturum, Didacum
uero Almagrum, qui legatos ad Caesarem questum de
Pizarrorum iniuriis miserat, cardinale repugnante et
causam illius sustinente et senatu Indico corrupto num-
quam ius suum obtinere posse, et eo minus quod cardi-
nalis, sicuti hoc uoce aduersariorum uulgatum est, iudi-
cem quendam, si diuis placet, expediri ad Peruram
iussisset, non qui in Pizarros inquireret ac de Didaci
Almagri, ut iustum erat, caede cognosceret, sed contra,
qui causam eorum susciperet, defenderet atque tueretur.
39 quod ita esse ut dixi cum ex iis edictis et decretis quae
iste iudex protulit, quorum etiam exemplum hic habeo,
plane constat, tum etiam ex compluribus litteris, quas

37 Cardinali S^2P : Cardinalis S | institui S : -tuit P

ipse cardinalis Hispalensis et Franciscus Couus militiae Diui Iacobi praefectus Legionensis et quidem ex senatu Indico (nam et hi omnes se illius largitionibus perniciosis expleuerant) perferendas ad Franciscum Pizarrum curauerant. hae autem litterae in scrinio huius Pizarri 40 inuentae sunt, cum ipse domi suae obtruncatus fuisset. ex quibus litteris quilibet uestrum facile multorum perfidiam in Caesarem, proditionem in rempublicam, fallacias in patrem meum, insidias in nos notare animaduertereque poterit. quin et clarius intelleget haec scelera, quorum omnium cardinalis propter eas corruptelarum illecebras, quibus Pizarrus eum irretiuit, praecipuus fuit machinator, turpiter et flagitiose admissa et palam et aperte facta ab illis fuisse. sed enim litteris illorum lectis 41 et liquidius his de rebus iudicabitis et penitus cognoscetis me cumulatissime uobis satisfecisse atque non modo iustam sed necessariam etiam causam defendendam suscepisse. nam quod de edictis et decretis et litteris attigi non idcirco feci, ut aliquid praetexerem, sed ut ea quae hac oratione complexus sum in lucem ueritatis, quae contra aduersariorum praestigias, machinationes et insidias se per se ipsam defendit, proferrem, ut omnes qui nesciunt pro certo scirent cur ego in Dei offensionem et regis incommodum et reipublicae detrimentum, ut acerrimus inimicus et hostis eorum, qui id quod Pizarri nequiter et perperam fecerunt pertinaciter tuentur, sumpserim. uerum haec res nimis nota et apud uos om- 42

39 (nam ... expleuerant) *sic distinxit* || 41 defendit S : -di P | *interpunctionem ante* cur *sustuli* : *plene distinguunt* SP | tuentur S[2]P : tuerentur S *ut uid.* | *post* sumpserim *interrogationis signum scr. To.*

nes peruulgata est. etsi certum habeo non opus esse adhortari uos ad defendendam hanc iustissimam causam, tamen uolui ut ex me potius quam ex alio sciretis, cognosceretis et perciperetis eam multo iustiorem esse quam aut ego cogitatione comprehendere aut uerbis explicare possem.'

14 'Nunc quae mente agitem audite, quo promptioribus alacrioribusque animis et maioribus uiribus existimationem dignitatemque meam et uestram salutem et armis ab inimicis defendatis et in hoc discrimen iam accinga- 2 mini. commodissimum enim esse censeo ut, etiamsi ex praeterito obstricti iure iurando sitis, de integro in futurum uos obstringatis. nam, quod ad me attinet, nomine regio promitto me propter operam militarem, quam in hoc bello contra Caesaris et reipublicae hostes praestabitis, magna et ampla praemia pro suis cuiusque meritis uobis tributurum idque sanctissime obseruaturum 3 ac diligentissime facturum. sed in hac causa quam in manibus habemus non solum oportet sed etiam necesse est omnes uos uno ore consentire et omnes ad unum sentire ac prorsus animo uos esse coniunctissimo, praesertim qui exercitui praesunt, qui ordines ducunt, qui milites disciplina militari instruunt eosque non casu sed consilio prudentiae et fidelitatis pleno regunt; neque enim aliter res quam fraterna ista unanimitate ex 4 sententia geri nec ad exitum perduci poterit. nam Romani quamdiu concordia inter se coniunctissimi fuerunt, tamdiu populis et nationibus terra marique imperarunt. nec tam uictores dominique omnium gentium fuerunt, quas armis subegerunt, quam quod infimum

14 2 uos *post* integro *transposuit* P

quemque totius reipublicae ciuem uno animo defenderent atque conseruarent: hinc ciuicae coronae, uirtutis militum insigne clarissimum, quippe ciuica corona uelut uitae salutisque perceptae testis a ciue ciui, a quo in proelio esset seruatus, dabatur. sed postquam Romani 5 mutuis inter se odiis flagrare, cupiditatibus ardere, seditiones atque discordias concitare coeperunt eosque luxuria, auaritia, superbia et ambitio inuaserunt atque haec paulatim eo usque creuerunt, donec inde dissidia et bella intestina ac domestica nascerentur, opes eorum corruerunt et idem illi imperium amiserunt nec se suosque ab iniuriis prohibere nec nimia illa potentia, quae in orbe terrarum dominabatur, obsistere potuerunt ne in manus potestatemque inimicorum et hostium uenirent. qui si moderati concordesque fuissent, si coniunc- 6 tissimis animis et uiribus ad defendendam libertatem concurrissent, si alius alium iuuisset atque e mortis periculo eripuisset, si denique alii ab aliis odio quodam atque dissidio non dissedissent, nec se nec suam patriam perdidissent. id ne accidat in posterum prouidendum 7 est ac maxime praecauendum ne duces et milites inter se dissideant atque discordent, ne alii cum aliis inimicitias priuatas aut tacitas gerant, sed eas reipublicae causa deponant, ne quis se inuidia atque obtrectatione alienae laudis deduci deprauarique ab aliquo patiatur. alter alteri prospiciat atque auxilio sit. nemo uestrum 8 oblocutores admittat, nemo pacis concordiaeque turbatores audiat, qui nihil aliud quidem efficiunt quam dissensiones ciuiles commouere, bella, certamina et discordias occultis sermonibus serere atque ex amicis inimicos facere. quin etiam hi ne uisis quidem hostibus, ut eos qui aures suas ipsis dedere fidemque habuere in calamitatem trahant, terga uertunt ac tum demum illi perniciem quam aliis machinantur sibi inueniunt. optimum

igitur erit ut huiusce modi hominum pestes reipubli-
9 cae funestas a uobis auertatis. maxime etiam expediet ut cuncti, qui nomina militiae dedistis quique huic contioni interfuistis, uno animo eadem uoluntate atque consensu conceptis uerbis iuretis, seu uincendum seu cadendum in acie sit, uos sine ui, sine fraude ulla et dolo malo eas condiciones atque pacta quae paulo infe-
10 rius proponentur seruaturos. equidem primus iurabo me easdem condiciones et pacta obseruaturum et promissa quae feci completurum et alia quae ad honorem commodumque uestrum attinent de meo pactionibus additurum. sed imprimis nos inter nos coniuremus et singuli in uerba iurent et unus uestrum pro uniuersis iure iurando firmet se condiciones pactionesque mecum factas periurio non perturbaturum, sed quicquid illis condicionibus continetur id ipsum cum fide et cura ex-
11 secuturum. sic enim omnes, ubicumque hoc nuntiatum fuerit, dicent atque affirmabunt nos propter Deum ac regem dignitati defensionique patriae seruiisse, reipublicae consuluisse et officii non commodi rationem duxisse, non hanc turpitudini obtendisse, sed omnibus rebus quae ab ipsa ratione uera laberentur anteposuisse ac semper effecisse quantum in nobis fuit ut appetitus no-
12 stri rationi subiecti essent atque ei oboedirent. ceterum hoc omisso, quod praecipue appetere, colere obseruareque debemus et tenemur, quoniam id generatim ad conseruationem decoris, ad custodiam salutis, ad tranquillitatem animorum, denique ad pacem, concordiam et omnium nostrum quietem et otium pertinet, primum

10 equidem S : et quidem P || 12 decoris *corr. To., cf. Cic. Off. 1.131* : decori SP

omnium, ut iam ad fidem de condicionibus agam, constat ex decretis edictisque regiis, quae summa hominum frequentia in hoc foro magna praeconis uoce pronuntiata fuerunt, Caesarem prouinciam Noui Toleti, cuius princeps et caput Cuschum est, Didaco Almagro patri meo propter maxima non dico officia uel potius merita in se et in rempublicam decreuisse, tum etiam ipsi beneficii gratiaeque causa concessisse ut, cum supremum diem obiret, quemcumque uellet in locum suum sufficeret, qui eam prouinciam nomine regio administraret. ipse uero testamento cauit ut Didacus Almagrus filius 13 in demortui eius locum succederet et munus praefecti Noui Toleti ex diplomate regio obiret beneficioque et gratia Caesaris frueretur. quod si a morte Didaci Almagri patris mei hanc prouinciam non obierim nec concursarim, Franciscus Pizarrus praefectus et fratres eius ne id facerem impediuerunt, qui quamquam alia decreta iussaque Caesaris, quod ad se commodumque suum pertinerent, exsecuti sunt, tamen his decretis, quibus Caesar post mortem patris mei prouinciam Noui Toleti mihi attribuebat, quod putarent se eam obtenturos, parere noluerunt. quapropter cum ex diplomate regio et 14 ex testamento paterno plane constet me praefectum Noui Toleti esse atque haec ciuitas Cuschana et publice et priuatim me praefectum quoque declararit et coloniae et municipia huius prouinciae et appellarint et imperium meum acceperint, aequum est ut idem atque illi ciues, coloni et municipes fecerunt uos faciatis et, ut clientes Caesaris militesque fortissimos decet, iuretis

13 in demortui *correxi* : indemortui S : inde mortui P || 14 et coloniae ... prouinciae SP[2] *(in marg.)* : *om.* P

uos imperio meo obtemperaturos nec contra uenturos
15 nec aliquid contra aut dicturos aut facturos. deinde magni interesse ad decus et ad laudem Caesaris et ad salutem communem arbitror ut nonnulli consiliarii et administri periti quidem et fideles et beneuoli mihi dentur, quorum fide, praesidio, consilio, iudicio, hortatione, opera utar, quo commodius res tam bellicas quas alias quascumque administrarem. nam cum per aetatem non talem qualem me habere oportet usum rerum habeam, facile errare et a certa uia egredi possum. a qua re ratio uoluntasque ea longissime abhorret; neque enim non
16 modo id temptare sed ne optare quidem uellem. itaque uisum est mihi quosdam ex exercitu eligere, qui plurimum uirtute, scientia militari, moderatione, constantia pollerent, qui nec prece nec pretio nec gratia nec simultate a uia recta deducerentur, ut hoc munus et onus meum susciperent atque sustinerent et quod maxime utile nobis omnibus esse sentirent aperte et fideliter monerent, sed id praesertim quo nos laudem adipisceremur et uituperationem uitaremus, nihil quod consulto factoque opus esset reseruarent neque differrent, nihil nec temere dicerent nec astute reticerent, sed omnia patefacerent, quae reipublicae et incolumitati uitaeque et
17 fortunis nostris conducere intellegerent. non equidem dubito quin illi multo melius rebus nostris quam suis sint consulturi atque prospecturi. inique enim ipsi facerent, si de sua suorumque salute consulerent et communem relinquerent. nec sane uelim in animum inducatis uestrum me hos, quos postea declarabo, potissimum ex omnibus idcirco elegisse, quod existimarem idem mu-

15 quascunque S^2P : cunque S

nus aut aliud maius aut melius deferri iniungique reliquis non posse, sed quod hoc officii munus paucis sorte non pluribus obtingere soleret. et quamuis hoc ita sit, tamen non me praeterit quemlibet uestrum et belli et pacis munia capessere, sustinere seduloque exsequi posse. reliquum est ut quod a me et ab illis consiliariis 18 statutum, decretum imperatumque erit extemplo uos esse facturos iuretis. ego autem in conspectu omnium uestrum ius iurandum a cunctis et ab uno quoque eorum exigam. ipsi uero coniunctim et separatim Deo et 19 conscientia animi testibus in haec uerba iurabunt: se quod ad Dei honorem, ad Caesaris commodum, ad dignitatem meam, ad famam et utilitatem uestram et ad reipublicae emolumentum pertinuerit prospecturos ac consulturos, nec permissuros ut quis inter ipsos amore, odio, spe, metu, promissis, largitionibus inductus se aliis praeferat et ius imperii usurpet ac sibi retineat, sed operam daturos, ut unum atque idem atque aequum sit inter ipsos imperium idque moderatum et iustum, ac demum se diligenter curaturos ne parti militum consulant, partim neglegant (seditionem enim atque discordiam in exercitu concitarent), sed id quod uniuersis et singulis salutare erit in medium consuletur. praeterea 20 antequam a Ciuitate Regum discederem, legatos ad Caesarem misi, qui et Franciscum Pizarrum praefectum interfectum esse nuntiarent et quae in Perura gesta essent ordine exponerent, et ut Caesar ex litteris meis plane intellegeret nos non solum grauissimas iniurias sed nefarias etiam contumelias pertulisse; ideo quam ce-

17 obtingere S : -ret P || 19 (seditionem ... concitarent) *sic distinxi*

lerrime fieri posset quod e republica eque commodo suo et quod iustum esset prouideret; tum deinde ex legatis cognosceret me interim nomine suo Peruram regere atque gubernare et tam Hispanos quam Indos in fide et officio retinere atque studiose curare ne quid detrimenti respublica caperet neue aerarium diriperetur neue uectigalia regia abrumperentur, sed conseruaren-
21 tur. ad haec per litteras ipsum certiorem de rebus omnibus huius prouinciae deque cardinalis Hispalensis et quorundam ex senatu Indico studiis et exercitationibus faciebam, qui maximis Pizarrorum largitionibus corrupti omnia fingebant, omnia silentio dissimulabant, omnia obtegebant, ut ueritatem obscurarent et mendacio in summum Caesaris contemptum et dedecus contaminarent, ne ipse iustitiam exerceret neue res obrutas et perditas restitueret neue tantis uitiis et erroribus mederetur.
22 quamobrem cum ego hanc prouinciam ex praerogatiua Didaco Almagro patri meo a Caesare data iure obtineam, aequum est ut uos primo iure iurando interposito me ipsius Caesaris nomine sequamini, dignitatem meam tueamini et aduersus omne hominum genus, cuiuscumque loci, ordinis, nominis, uirtutis, fortunae atque condicionis sint, qui contrauenerint aut arma contra me sumpserint, opem auxiliumque mihi feratis meque re,
23 opera, consilio iuuetis; tum etiam uos ipsos salutemque uestram pro causa quam omnes sustinemus in extremum discrimem offeratis eamque ab inimicis defendatis

20 posset S : posse P | eque SP : aeque *perperam corr. To.* | caperet S : capere P || 22 obtineam] obtinebm *in* obtineam *corr.* S *ut uid.* : obtinebam P | *post* iuuetis *sic distinxi, plene* SP

ac me armis usque eo protegatis, donec Caesar amplis-
sime de hac prouincia, de dignitate mea deque salute
uestra decernat aut aliud imperet, quod contradici recu-
sarique nec possit nec debeat; postremo, quoniam eam 24
beneuolentiam et caritatem quae inter natos et parentes
esse solet necessarium inter nos esse arbitror unamque
esse concordiam salutem nostram et discordiam omni-
um perniciem, iure iurando uos deuinciatis uos inter
uos amaturos atque mutuo amore ita prosecuturos ut
unus atque idem animus, una atque eadem mens sit in-
ter uos et, quemadmodum una fuit uoluntas coniuncta
ad coniurationem contra regis hostes et patriae prodito-
res faciendam, ita eadem sit ad concordiam habendam,
qua uestras iras discordiasque sic placetis ut alii aliis
prositis. haec una concordia coniunctiores uos efficiet 25
atque adeo iunget et copulabit ut nec uerbo nec facto
nec consensu ac ne cogitatione quidem dissimiles, sed
animo, mente, uoluntate et opere similes inter uos sitis.
ceterum si quis audiret, intellegeret, sciret, uideret ali- 26
quem ducem, militem aut alium quemcumque ex exer-
citu aut ex coniuratis per se uel per internuntium clam
aut interdiu, palam aut noctu cum hostibus in perni-
ciem Didaci Almagri praefecti Noui Toleti aut in detri-
mentum cuiusque uestrum agere aut omnia quae uellet
in castris effundere, quo seditionem et discordiam con-
citaret, quae res nobis admodum calamitosa et pernicio-
sa esset, nedum odiosa et molesta, is, si rem intra unum

24 discordiam SP^2 : misericordiam P *ut uid.* | deuinciatis *correxi* : deuincietis SP || 25 ne *correxi* : nec SP | opere *corr.* P^2 *ut uid.* : opera *corr. To., fort. recte* : operæ SP || 26 cuiusque S : cuiuscunque P | *post* molesta *sic distinxi, plene* SP

diem mihi non indicaret et proditorem, ut grauissime puniretur, non demonstraret, poenae loco infamis, perfidus et periurus haberetur; quod si per alium cognitum erit illum ipsum quod nosset intra praescriptum tempus non aperuisse sed ea de re me celare uoluisse, crudeliter
27 in eum animaduerteretur. haec autem quae dixi religiosissime sunt colenda atque custodienda, donec bellum conficiatur. sic enim nec ab alicuius perfidia decipi poterimus nec ullus locus proditioni parandae nec fidei prodendae dabitur, atque eo minus quod tanta pietas et germanitas, tanta necessitudo, coniunctio et societas, tanta concordia et conspiratio et consensio omnium uestrum ad tuendam dignitatem meam et ad defendendam libertatem uestram facta mihi uobiscum intercedat.
28 etenim, duces et milites, quod ad me attinet, ut confidatis uos fructum tot laborum et praemia tantorum periculorum quot quantaque pertulistis capturos et ne aliud fore quam dico metuatis, ego iure iurando uos, ut par est, securos faciam; egregiam enim operam in re militari Caesaris nomine mihi praestatis, ut istos patriae proditores non conseruatores et communis utilitatis ac salutis
29 desertores in ordinem redigamus. itaque primus in condiciones quas tuli iurabo, deinde promittam et spondebo me magnis praemiis singulos quosque uestrum pro suis cuiusque meritis remuneraturum; nec cuiquam antea Indos attribuisse nec agros concessisse sed nec postea attributurum nec concessurum, donec ab hac urbe egressi signa infesta in regis hostes et inimicos nostros et ciuitatum Perurae euersores inferamus eosque proelio cum suo praefecto debellemus atque finibus Perurae

27 proditioni P : proditionis *in* proditioni *corr.* S *ut uid.*

expellamus. quibus deuictis et iustis debitisque suppliciis affectis, Indi et agri omnes in potestatem meam uenient. quos Indos et agros nullo plane relicto promitto fidemque do me uobis diuisurum nec ullam personarum nec temporum nec uestustatis rationem habiturum nec alium, nisi officiorum quae unus quisque uestrum in Caesarem et in rempublicam contulerit, respectum ad remunerandum quaesiturum. haec namque uinea Dei est, in qua qui diligenter elaborauerit, quae hora est ultima diei, ut quietem capiat, etiamsi ultimus sit, tamen, si fortiter se gesserit, tantum praemii accipiet quantum primus, qui primo diluculo in eam uineam uenit. his autem quibus neque Indos neque agros habere contigerit, si in Hispaniam redire uoluerint, permultae pecuniae distribuentur; sin manere in Perura maluerint aut cum ducibus quibuscumque libuerit ignotas regiones peragrare (sunt enim circa Peruram quam plurimae auro argentoque refertissimae) praeter equos et arma quod opus erit ita suppeditabitur ut nemo iure queri nec dicere possit se frustra in hoc bello nomine Caesaris tempus contriuisse et operam apud me perdidisse. quod uero superest, omnes nuncupatis uotis Deum precemur, imploremus atque ueneremur ut fidem ius iurandumque, quod iam daturi sumus, non neglegamus, sed conseruemus, quo ad rei institutae exitum quem optamus peruenire possimus, eumque ipse, qui ad gloriam suam, ad Caesaris laudem, ad reipublicae commo-

30 alium S²P : aliud S | contulerit S²P : contuleritis S || 31 uinea Dei] *cf. Matt. 20. 1–12* || 32 (sunt ... refertissimae) *sic distinxi* || 33 quod iam SP : quoniam *scr. To.*

dum, ad honorem meum et ad incolumitatem et utilitatem omnium pertinuerit, nostris rebus imponat.'

15 Haec oratio ducibus ac militibus multo acceptior quam ciuibus fuit. hi uocibus et concursu militum terrentur, illi spe praemiorum et ordinum incitantur; multi largitionibus mouentur, multi metu; alii precibus, alii studio et uoluntate regionum explorandarum adducuntur ut Didaco Almagro assentiant. 2 ipse dubios in posterum confirmat, segnitiem nonnullorum atque inertiam castigat ac demum omnes ad assensum consilii sui traducit. ac de suggestu descendens princeps ipse tactis sacris quae, sicuti supra demonstrauimus, super altari quod contra suggestum exstrui ille iusserat imposita erant in haec uerba iurat: 3 se omnia promissa impleturum fidemque suam confecto bello liberaturum; prouinciis Perurae in suam potestatem redactis praefecturas ducibus daturum, milites in colonias deducturum earumque agros ipsis diuisurum. 4 deinde ad ius iurandum adigit Ioannem Balsam, Didacum Mendezium, Christophorum Sotellum, Garsiam Aluaradum, Petrum Onnatium, quorum consilio bellum erat administraturus. hi iurant se dignitati, saluti rationibusque Didaci Almagri et commodis et fortunis et incolumitati omnium militum optime consulturos atque prospecturos. 5 subsequuntur praefecti equitum et centuriones et milites nominatim citati, qui coram altari singillatim transeuntes tactis etiam sacris apud sacerdotes in uerba Didaci Almagri iurarunt et se ipsos Furiis infernis deuouerunt

15 2 ac demum ... traducit, *quod* P *iterauerat, deleuit* P^2 || 4 Onnatium *correxi coll. e.g. 6.31.2, 6.34.4* : -tum SP | iurant SP^2 : -rat P

easque sibi imprecati fuerunt, si Didacum Almagrum desererent, si ullum periculum pro dignitate eius defendenda proque ipso in praefectura Noui Toleti conseruando recusarent, si causam eius, quam susceperant, ad obitum usque armis non defenderent, si fortiter non interirent, si concordiam animique constantiam inter se non haberent, si contra omnium hominum genus qui aliter sentirent ac contradicerent non pugnarent, si exercitum ducesque desererent ac proderent, si consilium sibi separatim a reliquis caperent. denique unus Ioannes 6 Balsa pro uniuersis et singuli quique per se iurant se Didaco Almagro obtemperaturos ac iussu eius conuenturos nec iniussu abituros et non modo pro eo bona omnia aequo animo perdituros sed uitam etiam profusuros. postea uero quam Didacus Almagrus omni cauti- 7 one, foedere, exsecratione duces ac milites sibi deuinxit iure iurandoque obstrinxit, exercitum in agrum suburbanum Consalui Pizarri induxit ibique eum recensuit.

Porro hanc militum recensionem Didacus Scalantes **16** senatus Cuschani scriba se uidisse et praeter orationem condiciones, quas iussu Didaci Almagri Gaspare Roia scriba de more ex scripto recitante Ferdinandus Benalcazar praeco in foro palam multis audientibus praedicauit, audiisse et Didacum Almagrum, quod armatis militibus Cuschum occupasset, quod praefecturam Noui Toleti sibi a Caesarem datam asseuerasset, praefectum Perurae ab inuito senatu populoque Cuschano fuisse appellatum litteris publicis prodidit. in qua re ipse 2 singularem operam et curam posuit, quippe cum condi-

16 1 orationem SP^2: rationem P

ciones illas, quas Didacus Almagrus tulit easque duces et milites acceperunt, ad Caesarem et ad Christophorum Vaccam Castrum praefectum miserit et, ut fidem faceret, exemplum illud condicionum uerissimum esse, quod ad utrumque mittebat, sua manu et nomine subscripserit signoque senatus Cuschani signauerit.

17 Ceterum duces et milites, ubi Didacus Almagrus exercitum lustrauit atque in urbem reduxit, omnibus uerborum contumeliis cardinalem Hispalensem, Francis- 2 cum Couum et quosdam senatores insectabantur. quin et aperte et uehementer isti in Caesarem inuehebantur. edicta autem et decreta regia, quibus ipse Peruranas Cuschanasque prouincias Christophoro Vaccae Castro attribuerat, quod a cardinale et monacho auarissimo subscripta essent, adulterina appellabant nulliusque ea 3 momenti esse nec eis fidem habendam. tum etiam ipsum Garsiam Loaysam, quod maximam pecuniarum uim a Ferdinando Pizarro accepisset, cardinalem Pizarrum uocabant. insuper Franciscum Couum et quosdam ex senatu Indico asperos exactores, pacis quietisque Peruranae turbatores, omnium seditionum et rebellionum auctores atque machinatores et munerum et bonorum uenditores esse dicebant, ad haec eos ipsos, quo famem diuturnamque auri sitim explerent, fidem iuraque uenalia proponere, uera falsis confundere, omnia miscere, nihil pensi, nihil moderati habere.

18 Atque alia de cardinale Hispalensi, de Francisco Couo et de quibusdam senatoribus temere effuttiebant

2 illud SP[2] : illum P *ut uid.*

17 3 diuturnamque *scripsi* : diurnamque SP | habere S : haberi P

indigna certe quae memoriae prodantur. quorum uete-
rem et illustrem famam Almagrani ideo inquinabant at-
que lacerabant, ut eos in odium adducerent et milites in
suam sententiam traherent et causam, qua adducti a
Caesare desciuerant, aequiorem facerent. Peruram enim, 2
quam occupauerant, ita armis defendere instituerant ut
colonias et municipia eius et Indos in sua potestate et
dominatu haberent et milites, quo paratiores promptio-
resque ad omnia munia essent eosque in fide et officio
retinerent, sacramento dicere coegerant. quin etiam du- 3
ces et milites, ut firmiores in sua sententia essent, inter
se constituerunt ne quis aduersus alterum quicquam di-
ceret aut sentiret, ne quis contra Almagrum ueniret aut
aliquid faceret; quod si quis intellegeret aliquem ab Al-
magro deficere uelle aut contrauenire, is daret operam,
ne ille id faceret et sacramenti admoneret; quod si per-
suadere illi non posset nec a proposito auertere, id e
uestigio Didaco Almagro referret aut nomen eius,
quem transfugiturum audiret aut sciret, ad ipsum defer-
ret. eo uero sacramento omnes praefecti, centuriones, 4
signiferi, milites, socii et amici et reguli auxiliares usque
eo tenerentur, donec bellum aduersus Vaccam Castrum
Caesaris legatum et duces et milites qui eum sequeban-
tur conficerent et Peruram sub Didaci Almagri imperi-
um redigerent. hic etiam se iure iurando obstrinxit ne- 5
que ea quae duces et milites inter se constituissent
improbaturum neque praefecturas Perurae daturum ne-
que Indos attributurum neque agros cuiquam nisi ipsis

18 1 causam S : causa P ‖ 2 sacramento] *cf. Caes. Ciu. 1.86.4* ‖ 3 faceret S : facere P ‖ 5 neque praefecturas Perurae daturum SP[2] *(in marg.)* : *om.* P

diuisurum. praeterea Almagrus, quo magis milites contra eos Hispanos qui in castris erant regiis commoueret, haec praemia proposuit: se ei militi qui unum ex iis Hispanis qui Vaccam Castrum sequebantur occideret uxorem aut filiam eius in matrimonium collocaturum et bona etiam daturum; quod si duos aut tres hispanos in proelio interficeret, ei Indos et agros interfectorum
6 concessurum. multa etiam addit, quae, si fortiter pugnarent exercitumque regium se duce delerent, a sua liberalitate exspectare deberent; proinde magno animo ad uictoriam quam clarissimam et ad praedam, quam certissimam haberent, properarent; se iam de praemiis eorum et de referenda gratia cogitare incipere; nec dubitarent quin deuictis fusisque hostibus multo ampliora praemia quam ipse proponeret ab se percepturi essent.

19 His praemiis propositis et pollicitationibus factis Almagrus non solum duces et milites in perpetuum sibi deuinctos tenuit, sed complures etiam alios qui dubitabant utram partem sequerentur facile ad subeunda
2 quaecumque pericula pro se elicuit. quos omnes praeter paucos quosdam qui ad Vaccam Castrum perfugerunt fortissimos et fidelissimos sibi socios habuit, quippe qui sese omnino confirmantes atque excitantes aperteque coniurationem facientes instituerunt aut fortissime in acie cadere aut exercitum regium cum Vacca Castro Caesaris legato ad internecionem occidere et Peruram in Didaci Almagri potestatem redigere, ut ea praemia
3 quae quisque meruisset ab ipso acciperent. his rebus duces Almagrani addebant se nec Carolum Caesarem

in matrimonium *scripsi coll. e.g. Cic. Diu. 1.104* : matrimonio SP || 6 se *ante* iam S : sed P

regem suum agnoscere nec imperio eius subesse nec decretis regiis parere nec se pati, si praefectum cum copiis regiis funderent atque delerent, ut ille in Peruram nisi charta alba ingrederetur. et cum a Ioanne Castro iuris consulto rogarentur quaenam esset charta alba, responderunt folium papyri albae quod Caesar sua manu et nomine ad calcem subscriberet, ut quod ipsi pro sua libidine perscriberent id Caesar ratum atque firmum haberet; quod si se id facturum negaret, imperio eius 4 non obtemperaturos; immo uero si ipsemet in Peruram cum exercitu ueniret, se cum eo, nisi prius ueniam maximorum scelerum quae in Perura aut in alia prouincia commisissent daret atque omnem memoriam defectionum, rebellionum, seditionum, discordiarum obliuione sempiterna delendam censeret, acie conflicturos.

Itaque Lopem Hidiachaeum legatum cum his manda- **20** tis ad Caesarem mittere statuunt, primum ut Caesar quaecumque crimina Almagrani admisissent ipsis condonaret poenamque remitteret eaque quasi obliuione perpetua obrueret; deinde ut praefecturam Noui Toleti eis daret; postremo ut Didacum Almagrum toti Perurae praeficeret. quibus Hidiachaeus respondit: 'si Caesar 2 haec quae postulatis petitisque dare ac concedere noluerit, num poteritis ei aurem uellere?' tum illi, 'etiamsi 3 aurem uellere non possimus, tamen Caesar quae nos uoluerimus facturus erit; nam Vaccam Castrum eius praefectum eo die quo proelium committetur interfec-

19 3 nec imperio eius subesse SP^2 *(in marg.)* : *om.* P

20 1 Hidiachaeum *correxi, cf. e.g. 7.58.2* : -cheum SP || 2 Hidiachaeus *correxi* : -cheus SP || 3 tum ... uellere SP^2 *(in marg.)* : *om.* P

tum iri non est quod dubites. iam quinquaginta milites ex omni numero fortissimos et tormentariae rei peritissimos et ad patrandum omne facinus promptissimus delegimus, qui Vaccam Castrum (facile enim ipsum ex paludamento et insigni militiae Diui Iacobi cognoscent)
4 in acie quaerant et tormentis traiciant.' ex his militibus plerique iure iurando affirmabant se frustra tela non adiecturos, sed tanta arte in praefectum directuros ut, simul atque ipsum conspicerent, statim glandibus plumbeis transfigerent equoque deicerent. ex his unus Aguerus miles quidam perditissimus Diras ultrices sibi imprecabatur seque eis deuouebat, nisi subito ipsum Vaccam Castrum cum insigni purpureo in proelio hasta
5 transfoderet. ad haec idem ipsi milites qui ad inferendam Vaccae Castro caedem delecti erant Ioannem Castrum iuris consultum in templo eius urbis maximo conueniunt. ex his unus 'quoniam', inquit, 'Castre, te Didacus Almagrus legatum ad Vaccam Castrum est missurus, fac ei persuadeas ne in prouinciam Noui Toleti, quam Didacus Almagrus auctoritate Caesaris et senatus Indici habet, accedat. quod si id quod ab eo postulamus facile impetramus, summam apud nos gratiam inibit; sin minus, iuramus per sacrosanctum illud sacramentum, quod in hac sanctissima Diuae Virginis Matris aede religiosissime asseruatur Christianaque pietate, ut decet, colitur, quinquaginta milites armis exercitatissimos contra Vaccam Castrum coniurauisse, qui totam curam omnesque cogitationes ad unum intendant, ut ipsum in acie quaerant atque interficiant.'

peritissimos SP[2] : perissimos P | (facile ... cognoscent) *sic distinxi* || 5 maximo S *(ut uid.)* : maxima P

Haec dicta Castrus praefectus, qui eo tempore erat in **21** Xauxa, ab iis cognouit, qui sermoni interfuere, nec ideo destitit ea omnia comparare quae ad comprimendos regis et reipublicae hostes erant necessaria; in id noctes diesque incumbebat, ne quid deesset quod uictoriam morari posset. nam postquam exercitum lustrauit, prae- 2 ter arma et tormenta bellica quae in Xauxam comportari iussit Ioannem Alfonsum Palominum in Ciuitatem Regum misit, ut is quam celerrime posset quinquaginta loricas ex ferrea materia faciendas deuehendasque in castra curaret, quibus totidem equites instrueret, quos equitibus loricatis, quos cataphractos uocant, Didaci Almagri opponeret, quem audiebat ipse multo quam se instructiorem exercitum habere. hoc ita esse Gomezius 3 Roias, Antonius Gama iuris consultus, Consaluus Ferdinandus senator Cuschanus, qui in Xauxam uenerunt, sine ulla dubitatione confirmarunt. et Roias quidem 4 omnia quae Didacus Almagrus, duces militesque eius Cuschi gessissent praefecto exposuit. addidit Almagrum habere copias tam equestres quam pedestres equis, armis, tormentis et campestribus et manualibus omnique apparatu bellico et instrumento instructissimas; praeterea milites exercitatissimos et fortissimos esse et animis quidem obstinatis et paratis aut ad uincendum aut ad fortiter in acie cadendum; nec dubitare se quin quam 5 primum Almagrus exercitum Cuscho educturus et rem proelio commissurus esset; proinde daret operam ut ad omnem euentum bellicum et aduersus tam atroces regis hostes se compararet; Antonium Gamam et Consaluum Ferdinandum Almagri legatos esse, ex quibus reliqua

21 1 ne *scripsi* : nec SP || 2 opponeret S : -nere P

6 atque animum etiam Almagri facile intellegere posset; se uero, antequam Cuschum a Christophoro Sotello armis opprimeretur, quae ipse in mandatis dedisset accurate exsecutum fuisse et, cum ex Cuscho iam rediret, ab Henrico Sotelli signifero in uia captum et in urbem reductum indeque cum custodibus ad Almagrum, qui tunc erat Guaningae, missum et ab eo ad Sotellum remissum ac demum post semestre tempus, quo in liberis custodiis habitus fuisset, ab Almagro, ut cum Antonio Gama et Consaluo Ferdinando legatis in Xauxam iret, dimissum.

22 Haec eadem legati rettulerunt et de mandatis Almagri agere instituerunt. nec eos ingressos <in> sermonem praefectus interpellauit nec loqui quae uellent prohibuit. 2 sic enim Antonius Gama orsus est: Didacum Almagrum magno opere mirari, quod audiisset Vaccam Castrum seditiosis hominibus Peruram perturbare, tumultum aut bellum commouere et in prouinciam Noui Toleti cum ualida armatorum manu uenire; ipsum his qui haec renuntiarent fidem non habere, atque eo minus quod Castrus a Caesare iudex constitutus et ideo in Peruram missus esset, ut de Didaci Almagri praefecti sui caede inquireret ac cognosceret, controuersias tolleret, discordias componeret, pacem inter colonos Hispanos conciliaret atque omnem Peruram metu liberaret; 3 quod si uera essent quae Almagro referrentur, iniquum plane esse Castrum seditionem et discordiam concitare et cum exercitu in eam prouinciam, quam ipse cum imperio iure obtineret, accedere, quoniam Caesar in benefi-

6 ac S^2P : *nescio quid* S

22 1 in *suppleui coll. Caes. Ciu. 3.18.4* || 3 referrentur *correxi* : referentur SP

cii loco eam Didaco Almagro ita administrandam dedisset ut ipsam ei cui uellet decedens traderet; Almagrum uero et heredem testamento Almagri patris relictum et in locum eius ex decreto regio esse suffectum; itaque 4 Almagrum filium orare obtestarique Castrum ut se in sua prouincia Nouae Castellae contineret, ne se in suo iure impediret; quod si secus faceret ac ipse uellet, se prouinciam dignitatemque suam ab inimicis defensurum; caueret ne consilio et auxilio eorum quos secum 5 et in perniciem suam ducebat utramque prouinciam euerteret, neue committeret ut Hispani coloni mutuis inter se proeliis pugnantes ita ferro et quidem magno Caesaris incommodo absumerentur ut et Indi animis uiribusque receptis libertatem et Mangus Hinga, qui in armis erat, paternum auitumque imperium reciperaret; se Deum hominesque testari quicquid ab hostibus tam 6 Hispanis quam Indis cladis ignominiaeque aut iam acceptum esset aut immineret culpam penes Castrum fore, qui cohortes armatas in prouinciam Noui Toleti induceret; Almagrum autem non tantum arma sumpsisse 7 ut prouinciae suae fines tueretur iniuriasque ulcisceretur, uerum etiam ut Castrum aduersus Perurae euersores, qui in castris erant, auxilio iuuaret, quos certo sciebat nullum non proditionis genus, quando occasio daretur, ut Didaco Almagro praefecto fecissent, ei molituros esse, ut qui periniquo ferrent animo Consaluum Pizarrum in demortui Francisci Pizarri fratris locum non successisse. pauca etiam Gama addit cum excusati- 8

5 ne S : nec P | erat *correxi* : erant SP || 7 in demortui S *ut uid.* : inde mortui P || 8 addit] *an* addidit? *fort. etiam in 7.18.6 corrigendum*

one Almagri. eadem fere atque eisdem de rebus Consaluus Ferdinandus senator cum Castro egit sibique Almagrum ea commemorasse demonstrauit.

23 Ad haec praefectus respondit non eo animo se in Peruram uenisse, ut seditiones in eam induceret, sed ut concitatas sedaret, ac se de Didaci Almagri patris caede, ut Caesar sibi commisisset, cogniturum fuisse, si Almagrus filius sibi temperasset, si Franciscum Pizarrum praefectum et legatum Caesaris non obtruncasset, si Ciuitatem Regum et alias Perurae urbes non diripuisset, denique 2 si arma contra regem suum non sumpsisset; nihilo tamen setius se id quod ex aequitate esset facturum ac suum cuique ius redditurum nec aliud magis cupere quam controuersias omnes componere et colonos Hispanos ad concordiam adducere ac pacem tota Perura constituere, praesertim cum utraque prouincia et Nouae Castellae et Noui Toleti sibi a Caesare decreta esset; 3 id uero nullo negotio fieri posse, si Didacus Almagrus ab armis discederet, exercitum dimitteret atque ad se ueniret; nec dubitaret, si ita faceret, quin magnam non solum apud se gratiam sed apud Caesarem etiam initurus esset.

24 Ita legatos, cum rem integram se Almagro relaturos dixissent, comiter dimisit. ex quorum sermone facile praefectus intellexit Didacum Almagrum non tam de pace per legatos agere uelle quam rem legationibus per aliquot dies, quo imparatum ipsum adoriretur, extrahe-

23 1 *post* fuisse *sic distinxi, plene* SP | legatum S: -to P || 2 ac suum ... redditurum SP[2] *(in marg.)* : *om* P || 3 si ita *corr. To.* : siita S : suta P

24 1 imparatum S *ut uid.* : imperatum P

re. omnia enim quae Cuschi gerebantur perspecta ex- 2
plorataque habebat et hostium consilia partim per Didacum Roiam, qui cum quinquaginta equitibus Guaningam tenebat, partim per Indos, quos ipse secreto Cuschum praemiserat, ad se perferebantur.

Iam uero eodem tempore quo legati discesserunt **25**
Garsias Leo iuris consultus, quem a Garsia Aluarado Piurae captum, quod partes regias foueret, Limamque ductum fuisse supra dixeramus, cum se e uinculis exemisset, in Xauxam ad Castrum praefectum uenit. is 2
pro munere quo fungebatur (erat enim fisci aduocatus) Didaco Almagro adulescenti, Garsiae Aluarado, Christophoro Sotello, Didaco Mendezio, Francisco Peccio, Ioanni Balsae praefectisque aliis et centurionibus et signiferis et militibus Hispanis, qui a rege suo defecerant, diem capitis dixit grauissimeque omnes accusauit. quorum nomina in indicem rettulit et ex scripto recitanda Ioanni Lopi scribae regio dedit. qui silentio per praeco- 3
nem facto pro salute communi et aduersus patriae et regis hostes ita disseruit: 'quod maxime optauimus et quod omnibus precibus et uotis petere contendimus, id tandem, praefecte inclute, a Deo optimo maximo datum concessumque nobis est hoc tam turbulento et pernicioso reipublicae Peruranae tempore ac plane omnibus qui has prouincias incolimus periculoso; te enim incolumem et saluum peruenisse in hanc uallem uidemus, per quem speramus nos uitam et famam obtenturos et incolumes deinde futuros atque omnia in pristinum statum et nitorem restitutum iri et miseros colonos et Indos suam libertatem reciperaturos esse.

25 1 foueret S: fouere P || 2 (erat ... aduocatus) *sic distinxi*

4 quis Didaci Almagri saeuitiam et arrogantiam grauem atque intolerabilem ferat? quis Ioannis Radae Montani, qui paucis ante diebus quam in Xauxam uenires animam exhalauit, nefaria scelera enumeret? quis Garsiae Aluaradi, Christophori Sotelli, Didaci Mendezii, Francisco Peccii et Ioannis Balsae caedes et latrocinia quae 5 fecerunt recenseat? quis istorum ferocitatem et furorem aliorum perditorum ac sceleratorum militum referat, qui non exspectantes aduentum suauissimum et optatissimum in hanc prouinciam tuum, ut causam quam Caesar tibi commiserat cognosceres controuersiasque omnes inter ipsos et Franciscum Pizarrum componeres, indignissimas et maximas caedes effecerunt, qui sublatis legibus et iudiciis atrocissima et foedissima crimina 6 commiserunt? sed ut omnes qui adsunt apertissime planissimeque intellegant me pro munere et officio, quod Caroli Caesaris Hispaniarum et Indiarum regis nomine gero, ueram et plane manifestam accusationem in omnes istos patriae et regis hostes instituere, rem sicuti gesta est et crimina quae fecerunt quam breuissime pote- 7 ro suo ordine persequar. iam primum omnium constat Ioannem Radam Montanum, Martinum Bilbaum, Ioannem Rodericum Barraganum et reliquos coniuratos signo a Dominico Roderico et Ramirillo [et] Valdesio speculatoribus, qui idoneum patrandi facinoris tempus, ut inter ipsos constitutum erat, captabant, dato ex Didaci Almagri domo die Dominico circiter primam horam

5 tuum SP^2 : tuam P || 7 Roderico] *perperam*; Ruizio *malim, cf. García 119 (uide antea* Rodericum, *quod librarium in errorem inducere potuit)* | et *seclusi coll. García 118–119* | constitutum SP^2 : constitu* P

postmeridianam, cum ciues pranderent ac quiescerent, irruisse atque in aedes Francisci Pizarri praefecti destrictis gladiis inuasisse ac Franciscum Chauium equitem ornatissimum cum duobus famulis Francisco Mendo et Petro ad ostium aulae ipsis occurrentem interfecisse; deinde impetum in Franciscum Pizarrum praefectum 8 facientes ipsum in conclaui et Franciscum Martinum Alcantarensem cum Ioanne Varga, Garsia Scandone et Francisco Caietano crudelissime occidisse atque in aula Consaluum Ferdinandum senatorem, Ioannem Vergaram statorem regium et Gomezium Lunam equitem nobilissimum uulneribus paene confectos reliquisse. quid quod crudelissima et nefaria caede perpetrata inter 9 se gratulantes ac uociferantes domos interfectorum et Antonii Picadi hominis locupletissimi diripiunt, magistratum et senatum comprehendunt et in carcerem contrudunt eumque ui et armis cogunt ut Didacum Almagrum totius Perurae summum praefectum et faceret et appellaret? quid quod Ioannem Blaschium iuris consultum, Alfonsum Palominum, Ioannem Barrium magistratu regio mouent atque in eorum locum Christophorum Sotellum, Martinum Carrillum, Franciscum Peccium sceleratissimos latrones et sicarios substituunt? ad haec iurisdictione regia usurpata ciues auro, argento, 10 equis et armis et uestimentis spoliant, scripturas publicas, priuatas, regias et domesticas quas habebat Antoni-

8 praefectum facientes SP[2] : facientes praefectum P | Ioannem] Bartholomaeum *scribere malim coll. 5.60.4 et Cieza[2] 198a* || 9 *signum interrogationis post* appellaret *scripsit* P *uel* P[2] : *plene dist.* S | *signum interrogationis post* substituunt *scripsi* : *plene distinguunt* SP

us Picadus Francisci Pizarri praefecti scriba rapiunt ipsumque, cum iam acerbissimos in carcere cruciatus per-
11 tulisset, in foro securi percutiunt. iam uero Didacus Almagrus eo consilio Ioannem Balsam cum quadraginta equitibus Trugillum ire iussit, ut Christophorum Vaccam Castrum militiae Diui Iacobi equitem et senatorem regium et totius Perurae praefectum et legatum maximum, quem Caesar in has prouincias mittebat, ut iustitiam exerceret, pacem et concordiam constitueret omnesque in ordinem cogeret, statim ut descenderet in terram, necaret ac se per celeres quos in itinere disposuerat equos certiorem faceret, ut nuntio de caede Vaccae Castri allato ipse continuo Franciscum Pizarrum praefectum trucidaret; quod si nihil certi de aduentu eius haberetur, tunc quam celerrime fieri posset id referendum ad se curaret, quo nihilo minus ipsum Pizar-
12 rum, sicuti fecit, obtruncaret. scilicet Almagrus et duces et milites eius Castrum et Pizarrum eodem fere tempore de medio tollere conabantur, ne quis esset qui eis resisteret nec qui in eos ultimo supplicio animaduerteret, quo tutius et magis impune caedes, latrocinia, rapinas, expilationes, direptiones, proditiones, rebelliones et alia crimina et scelera facere atque tecta urbium, uitam omnium colonorum, Peruram denique totam ad exitium
13 et uastitatem uocare possent. at uero Garsias Aluaradus, cum rumor allatus esset Vaccam Castrum in portum Bonae Venturae appulisse, maximam, pulcherrimam atque ornatissimam Francisci Pizarri praefecti nauem, quae in Callao erat portu, cepit atque in eam

11 cogeret *correxi* : coeg- SP | quo S : quod P || 13 Callao SP^2 : Call*o P

centum et quinquaginta milites imposuit et in Paitam nauigauit, ut ibi uel Piurae Vaccam Castrum incautum opprimeret. at cum milites in Sanctam fluuium et portum non procul a Trugillo exponeret, Alfonsum Cabreram, Antonium Villegam, Petrum Barrosum, Alfonsum Voxmedianum, Franciscum Cardenam, Antonium Cacerem et alios duodecim milites Hispanos obuiam factos catenis constrinxit et Trugillum duxit. hanc urbem 14 capto senatu diripuit, aurum et argentum regium et domesticum a Didaco Mora praefecto aerarii per uim abstulit, bona defunctorum et pupillorum ciuiumque absentium rapuit. inde terrestri itinere, cum iam Hispanos captiuos Paitam naui aduehi iussisset, Piuram profectus nec rapinis nec populationibus milites prohibuit nec ipse ab his qui obuiam ueniebant sacrilegas impiasque manus abstinuit. omnia loca clamore, questibus, terrore impleuit. regulos Indorum uiae finitimos, qua milites siue potius rapinarum ministros ducebat, ut rebellarent fecit. adde quod Piuram militibus diripiendam dedit, aerarium ipse expilauit et pupillis fortunas patrias ademit. ad haec Garsiam Leonem regii fisci aduocatum eo animo in carcerem inclusit, ut ipsum interficeret. prae- 15 terea Velaschium lictorem, Christophorum Sosam et Cansinum et Alfonsum Vallium cum aliis militibus in Paitam misit, qui equos, arma, uestimenta et quicquid in nauibus quae in eo erant portu inuenerunt atque ex Hispanis quos ad Sanctam captos supra diximus Alfonsum Cabreram, Antonium Villegam et Alfonsum Vox-

Antonium Villegam] *suspectum, cf. 7.97.6, 6.16.2* || 14 populationibus SP^2 : postula- P || 15 quicquid SP^2 : quidquid P | Antonium Villegam] *cf. adn. ad 7.25.13*

medianum Piuram abduxerunt. quos Aluaradus non sicarius sed crudelissimus carnifex summo supplicio in 16 foro mactari imperauit. qui postea ab ea urbe discedens caedes et rapinas, ut solebat, per totum iter faciens Garsiam Leonem uinctum in Ciuitatem Regum duxit, quam per id tempus Almagrus cum magna Chiliensium multitudine tenebat, qui Leonem sine dubio, nisi is se ex mortis periculo eripuisset, per cruciatum interfecis- 17 set. sed quis immanitatem Didaci Almagri detestabilem explicare uerbis poterit, qui omni scelere patriam lacerauit, qui Ioannem Villalupum et Franciscum Rodericum in tormentis paene necauit, qui Franciscum Chauium centurionem et Henricum iuris consultum ex numero coniuratorum, quod transfugere ad Castrum praefectum regium uellent, submergi in mari et post ceruicibus capita abscidi eaque fixa in hasta gestari per urbem ius- 18 sit? iam quid inhumanius? quid sceleratius quam iussu Almagri quattuor Francisci Pizarri praefecti liberos, quorum maximus natu annum agebat octauum, in nauem simul cum Agnete Francisci Martini Alcantarensis uxore imponi et ad quandam insulam desertam, ut 19 ibi occiderentur, deferri? quin etiam iste Alfonsum Schibellum, Rodericum Lopem, Alfonsum Maniarium, Gomezium Lunam, Martinum Salam et Ioannem Spinosam in aliam nauem uinctos coniecit atque eo animo Arequippam transportari imperauit, ut illic eos omni supplicio interficeret. sed illi uinculis ruptis se de Almagri feritate eximentes sibi salutique suae et patriae pros- 20 pexerunt. huc accedit quod Almagrus, cum nullam a

16 se ex SP[2] : *nescio quid in* P

Caesare potestatem haberet, uexillum protulit, dilectus habuit, milites conscripsit, exercitum confecit infestaque signa, ut Petrum Aluarum Holguinum interciperet, in Xauxam intulit, qui milites Hispanos quos Cuschi collegerat <atque> ex Charcis, Guaninga et Arequippa euocauerat ad Vaccam Castrum praefectum, qui iam ex urbe Quito in ciuitatem Diui Michaelis descenderat, adducebat. sed Almagrus Holguinum, qui incredibili usus celeritate anteuerterat cohortemque incolumem in Guaraziam duxerat, intercludere non potuit. qua ipse re 21 grauiter commotus et nefario quodam furore et audacia instinctus copias diuisit et eodem quo Holguinus itinere Cuscho uenerat Guaningam contendit. quid dicam caedes, rapinas et latrocinia omnium generum promiscua, quae Almagrus et duces eius quacumque ibant uia fecerunt? haec certe praetermittenda, quod omnibus sunt manifesta, duxi. ea tantum perquam breuiter perstringam et attingam quae Almagrani duces in coloniis et municipiis patrauere. quippe Franciscus Peccius Are- 22 quippam diripuit et Corneium Hispanum uerberibus et tormentis acerrimis ubi multum auri et argenti ciuium defossum esset confiteri commonstrarique coegit idque rapuit. eandem etiam urbem Garsias Aluaradus post Peccium fere euertit et templum Diui Dominici, ut obrutos ibi thesauros erueret, effodit et milia aureorum sexaginta abstulit et Montenigrum in uincula coniecit et, cum is Cuschum aufugisset, ab equitibus retractum

20 atque *addidi. fort.* quos *alterum supplendum uel aliter corrigendum* : *leuiter distinxit To.* : *sine interpunctione* SP || 21 *signum interrogationis post* fecerunt *addidi* : *plene interpungunt* SP

23 in foro suspendit. Didacus Mendezius Platam coloniam in Charcis ostiatim compilauit et Porcias fodinas multo argento exspoliauit. Christophorus Sotellus militibus Cuschum occupauit, litteras publicas et edicta regia Vaccae Castri praefecti rupit, Antonium Gamam praetorem regium ut magistratu abiret compulit, quem ipse nomine Didaci Almagri non agnoscens Carolum Caesarem regem gessit, ius dixit, iudicia exercuit et praetor de sella ac tribunali pronuntiauit; denique Petrum Barcum ditissimum Cuschi ciuem e carcere in forum produci et ad palum deligari iussit, de quo grauissimum sumpsisset supplicium, nisi ingentem ille pecuniam
24 quam habebat confestim ei dedisset. ac enim Didacus Almagrus Guaningae Franciscum Setielem eculeo torsit et tergum uirgis lacerauit. Indos Caesaris uectigales stipendiariosque et regulos eorum inter duces suos diuisit. o immanem et feram crudelitatem! magnum Indorum numerum illi occiderunt, propterea quod miseri Indi tot tamque funestis bellis et tantis impensis iam exhausti et paene perditi tributa intolerabilia, quae Almagrani duces ipsis imposuerant, pendere non poterant.
25 sed et Almagrus in amicos, consiliarios et socios rapinarum et flagitiorum Ioannem Radam Montanum, Christophorum Sotellum, Garsiam Aluaradum, Rodericum Sauzedum, Antonium Leonem et Ioannem Balsam elegit. qui et alii ex factione Chiliensi, ut auaritiam ardentem atque effrenatam cupiditatem pecunia explerent, leges, testamenta, uoluntates mortuorum euerterunt, ciuitates et oppida Perurae diripuerunt, omnem pecuni-

23 Porcias *correxi coll. 7.4.2.* : Portias SP || 24 *post* crudelitatem *sic distinxit To.*

am ex aerario exhauserunt, rempublicam compilarunt, templa spoliarunt, regulos Indorum a Caesare amicos et socios appellatos partim ferro absumpserunt, partim uiuos exusserunt. qui animos omnium ad seditionem, 26 defectionem et rebellionem sollicitarunt, colonos ad bellum impulerunt atrocique edicto ne auri argentique fodinas exercerent prohibuerunt. qua in re Caesar grauissimam accepit iacturam, quae amplius milia aureorum quingenta excedit. etenim, si ipse tantum detrimenti accepit, quantum damni dominos fodinarum cepisse putandum est? certe id decies tanto pluris quanti incommodum Caesaris fuit aestimari debet. itaque nihil auri nihil argenti effodi conflarique isti permittunt, nisi tantum id quod maximo cum Caesaris incommodo et detrimento et colonorum Hispanorum et regulorum iactura atque damno in suam rem atque ad suum commodum conuertunt. non edictis et decretis regiis pa- 27 rent, non senatus consulta quae contra eos facta sunt audiunt, sed in impudentia, perfidia, scelere, defectione persistunt, sed omnia diuina et humana uiolant et perturbant, agros praeda et populationibus deuastant, Peruranas Cuschanasque prouincias ita uexant et perdunt ut restitui in antiquum statum nullo modo possint; denique colonias et municipia miseriis, calamitatibus et summa formidine opprimunt. sed uenio iam ad delibe- 28 rationes et consultationes quas isti apud Didacum Almagrum proposuerunt. nam et Limae de Francisci Pizarri caede, de interficiendo Vacca Castro legato regio et de occupanda Perura et Cuschi de exercitu regio delendo consultarunt. statutum etiam et deliberatum ha-

25 spoliarunt S : expo- P || 26 qui *scripsi* : quid SP

buerunt omnes naues quae tam in interiori quam in exteriori essent mari capere, omnes Perurae aditus intercludere, Panamam et Nomen Dei funditus euertere, tum deinde se in Francisci Galliarum regis, qui bellum cum Caesare gerebat, fidem ac clientelam conferre
29 uniuersamque Peruram ei tradere. nec tanta iniquitate contenti ad unum omnes decreuerunt, si Gallus quod offerretur recusaret nec eos in suam fidem accipere uellet, legatos cum auctoritate de suis rebus maximis ad Ariadenum Ahenobarbum aut ad Turcam mittere et pluribus de causis non solum se imperio potestatique immanissimi tyranni subicere, sed regna etiam Perurae
30 ei deferre. tum demum consiliarii et socii Didaci Almagri, ut desiderium eius et libidinem et insaniam omnium Chiliensium explerent, Ioannem Radam Montanum auctorem et principem et caput omnium scelerum, proditionum, rebellionum et Francisci Pizarri praefecti interfectorem gerendo bello ducem summum creauerunt.
31 iam ex his omnibus quae exposui facile intelleges quos summi sceleris et facinoris arguam, quos eisdem criminibus capitis arcessam. quis enim Didacum Almagrum, Ioannem Radam Montanum, Christophorum Sotellum, Garsiam Aluaradum, Didacum Mendezium, Franciscum Peccium, Ioannem Balsam et alios ex factione Chiliensi, quorum nomina iam detuli, probri et flagitii non insimulat? quis coniurationis et proditionis crimen istis non infert? quis istos impietatis non postu-
32 lat? quis maiestatis non arcessit et damnat? qui, cum potestatem non haberent, praetorium imperium gesserunt, ius in Hispanos et Indos contra leges dixerunt et

31 quos] *cf. Cic. Rab. perd. 26* | damnat S : damna P

iurisdictionem in Perura uenalem habuerunt et aliquid de republica administrarunt, qui Peruranas Cuschanasque prouincias occuparunt, qui foedus cum Gallorum rege percutere et regna ei Perurae dare et Turcae sese subicere uoluerunt, qui Franciscum Pizarrum praefectum Perurae et legatum, quem Caesar propter uirtutem illustri titulo decorauit (marchionem enim et fecit et appellauit), obtruncauerunt, qui Christophorum Vaccam Castrum, quem ex amplissimo ordine atque ex Diui Iacobi militia Caesar in praefectum Perurae et legatum elegit, necandum curauerunt: neque enim per 33 eos stetisset quominus, si potuissent, necem ei intulissent. an non eodem accedit quod Didacus Almagrus, simul ac Franciscum Pizarrum trucidauit, statim se per uim senatu inuito in eius locum substituit et iis qui in imperio nomine regio erant magistratus abrogauit eosque nequissimis et improbissimis hominibus dedit, qui et aerarium aperuerunt et de eo aurum et argentum omne abstulerunt? quis actionem perduellionis istis non 34 intendit, qui hostili animo aduersus rempublicam ac principem animati uexillum contra uexillum regium extulerunt et signa militaria in eos duces qui milites ab urbe Cuscho, Arequippa et ab aliis municipiis et coloniis ad Castrum praefectum ducebant intulerunt, qui exercitum confecerunt bellumque nefarium his omnibus indixerunt qui in fide ex officio manebant partemque et nomen regium audacter defendebant? an non isti arrep- 35

32 aliquid ... administrarunt S : aliqui ... administrauerunt P | (marchionem ... appellauit) *parenth. statui* || 33 *post* dedit *sic distinxi, plene* SP | *interrogationis signum post* abstulerunt *scripsi*

tis armis tumultus maximos fecerunt, seditiones et discordias commouerunt odiisque et dissensionibus et dissidiis crudelissimis Peruram euerterunt? an non magna cum reipublicae pernicie et colonorum et Indorum exitio tyrannidem occupauerunt? quis homicidii reos esse 36 negat? quis istos plus quam sicarios, plus quam parricidas esse non fatetur, qui crudeles et infinitas caedes effecerunt, qui tum Hispanos tum Indos uinculis, uerberibus omnique supplicio excruciatos necauerunt? aliis non minus impie quam iniuste fustibus, tormentis, ferro membra debilitauerunt, aliis manus contuderunt, digitos confregerunt, neruos exsecuerunt ac nefario patriae 37 parricidio se obstrinxerunt. quis istos furti, latrocinii, peculatus, sacrilegii non damnat, qui aperta et manifesta furta et funesta latrocinia fecerunt, praedas egerunt, pecuniam publicam sustulerunt, qui sacra sanctisque tem- 38 plis et delubris commendata abstulerunt? quis crudelissimos grassatores istos esse non conuincit, qui non minore malignitate quam saeuitia non solum in uia publica, regia, militari sed in municipiis etiam et coloniis et uicis aduersus omne hominum genus grassantur atque in itineribus quodcumque obuiam datur spoliant, lacerant, trucidant; qui tum denique, nisi hauriendum sanguinem laniandaque uiscera nostra praebuerimus, 39 placari certe nequibunt? quamobrem, praefecte inclute, ut orationem ad te conuertam, cum Didacus Almagrus et satellites eius et socii praedae atque rapinarum tot tantaque flagitia, scelera et crimina fecerunt quot quan-

35 dissensionibus S : dissentio- P || 36 Indos S : Iudeos P | omnique S : omniumque P || 38 genus S^2P : *om.* S | nisi ... nequibunt] *cf. Liu. 9.1.9*

taque uerbis comprehendere non possem, a te postulo, peto atque contendo ut capitalibus poenis et omni tormentorum genere et quidem inaudito in istos regis hostes, patriae proditores, nefarios praedones ac peculatores facinorososque et seditiosos animaduertas; iam sceleris 40 isti grauissimas poenas pendant et acerbissimis et supremis suppliciis afficiantur et corpora eorum passim distrahantur et membratim sub furca caedantur, ut sint reliquis documento magnitudineque poenae perterreant alios, ne talia delicta committere audeant et isti suo supplicio doceant mortales et fidem seruare et ea sancta credere quae ipsi uiolarint. haec confestim et sine mora 41 exsequi debes: sic Caesar imperat, sic Peruranae reipublicae expedit, sic iure ciuili praescriptum est, sic lege naturae, sic communi iure gentium sanctum, sic regiis sanctionibus cautum est. quin etiam domus eorum solo aequandae et filii et posteri eorum hostes regis et reipublicae iudicandi et in numero proditorum deinde habendi sunt. ad haec bona istorum proditorum et rebel- 42 lium, cum iam ipse de capitibus eorum proscriptionem tuleris eaque iure in publicum addixeris, ab interitu Francisci Pizarri, a quo tanta, tam atrocia et manifesta maleficia et scelera isti admiserunt et ad extremum admittent, fisco sunt adiudicanda et praefecto eius tradenda. at quis ex castris regiis eos adibit? quis uiator a te 43 missus eos arcesset? praesertim cum itinera sic interclusa sint ut nemo sine summo uitae periculo Cuschum ire possit. nam hanc urbem Didacus Almagrus iis mili-

40 et corpora ... distrahantur SP[2] *(in marg.)* : *om.* P || 41 praescriptum *corr. To.* : perscriptum PA || 43 *post* adibit *interrogationis signum scr. To.* : *plene distinguunt* SP

tibus quos ex Ciuitate Regum eo duxit et aliis, qui sese illi spe rapiendi praedandique adiunxerunt, seruitute oppressam tenet, qui caedes caedibus illic accumulant et 44 scelera sceleribus addunt. itaque cum nec tuto adiri nec per uiatores acciri possint nec quisquam sit qui perduellionem eis iudicare audeat, satius erit certa uia et ratione uti, qua conatus illorum tam impii et nefarii contra patriam inuestigentur, infringantur, comprimantur, atque eo magis quod scelera et flagitia quae isti fecerunt tot tantaque sunt et tam aperta et manifesta ut nec implere probationes oporteat nec illa alia re quam grauissimis legum poenis atque extremis suppliciis quae in regis hostes patriaeque proditores constituta sunt ex-45 piari possint. qui sunt qui facinora nefaria, inaudita et capitalia patrauerunt? Almagrani. qui sunt qui crudelissimas et indignissimas caedes commiserunt? Almagrani. qui sunt qui bellum contra patriam intulerunt? Almagrani. qui sunt qui Peruram deformauerunt? Almagrani. 46 uide ergo quid te facere conueniat, ut Peruranas Cuschanasque prouincias <reciperes>, ut istos proelio uictos et captos igni et omnibus tormentis neces, qui fidem uiolauerunt, qui rebelliones fecerunt, qui maiestatem regiam minuerunt, qui omnia iura obtriuerunt, qui leges perfregerunt. isti nunc quoniam hostes sunt iudicati, 47 bello et armis terraque et mari persequendi sunt. iube igitur edictum tota prouincia extemplo promulgari, ad quam diem colonos Hispanos cum equis et armis tibi praesto esse aut in hac ualle Xauxa aut Guaningae uelis. neque enim dubito quin ad statutum diem conueniant.

46 reciperes *suppleui, cf. e.g. 7.97.17; lacunam maiorem esse suspicor* || *47 Guaninga S : -niga P*

quis enim a Didaco Almagro Peruram crudeli dominatu teneri amplius perferat? quis tam multos et tam crudeles tyrannos patiatur? quis non uidet istos similes exitus ac reliquos tyrannos esse habituros? iam colonos armatos 48 quos euocabis ex municipiis et agris undique in castra conuenire et sub uexillo regio mitti prospicio; iam copias equestres et pedestres instructiores aspicio; iam duces et milites ita hostili et capitali odio in tyrannos esse uideo ut nihil magis in animo habeant quam furiam et pestem patriae aut a Perura auertere aut uim, scelus, furorem a ceruicibus omnium nostrum depellere. nec 49 iam dubia res est quin regis hostes et patriae euersores uno proelio sis debellaturus et summum de captis supplicium sumpturus, alios capite puniri, alios discerpi, alios a tortore corripi et in arboribus suspendi ac corpora eorum feris obici uideo. sic pro summo magistra- 50 tu quem Caesaris nomine geris et pro persona quam sustines (sustines autem grauissimam) Peruram in tranquillum statum restitues ac denuo sub regis Hispaniae imperium rediges; sic uim a ciuitatibus, oppidis et uicis prohibebis; sic prouinciam a sicariis, a praedonibus, a grassatoribus liberam tenebimus, non isti caedes perpetrabunt, non urbes diripient, non fana depeculabuntur, non aerarium compilabunt, non socios et amicos regis spoliabunt, non seditiones, non proditiones facient. quid quod coloni Hispani Chiliensium perfidia distracti 51 in pristinam concordiam reducentur et reguli Indorum qui ad Didacum Almagrum defecerunt in fidem redi-

50 (sustines autem grauissimam) *parenth. statui* : *leuiter distinguunt* SP : sustines *alterum om. To. leuiter post priorem interpungens*

bunt et omnes in ordinem cogentur? quid quod in asserenda reipublicae libertate maiestatem regiam conseruabis et fusis deletisque hostium copiis rempublicam tyrannorum dominatu et periculo liberabis et nos omnes a cruciamentis, ab unco, a furcae terrore, a tanta supplicii foeditate ita uindicabis ut saepe multisque uerbis et quidem merito salutem imperii Perurani atque Noui
52 Orbis terrarum tibi adiudicemus? sed cur alios non detuli, quos detulisse iam oportuit, quoniam nec Francisco Pizarro praefecto regio, cum ei a coniuratis caedes inferretur, auxilio fuerunt nec cum armis ex tectis suis prodierunt, cum illi qui in necem Pizarri conspirauerunt uociferantes, cum sol meridie se inclinaret, in eius aedes irruerent, nec senatum nec praetorem nec alios magistratus ab iniuria defenderunt nec impedimento fuerunt, quominus illi omnes in uincula ab interfectoribus praefecti regii conicerentur, sed nec postea, sicuti legibus regum Hispaniae tenentur, telis instructi ad reprimendam reipublicae pestem in castra regia uenerunt?
53 hos autem omnes atque etiam illos qui post necem Pizarro illatam sese cum Didaco Almagro et cum ducibus et militibus eius coniunxerunt rei capitalis reos facio. quorum nomina ad praefectum, cum se ea recepturum pronuntiabit et cum iterum ad causam accedam, deferam. ad haec quae isti omnes ex ea die perpetratae caedis ad hanc diem fecerunt in crimen et iudicium uoco.
54 nec sane uelim id mihi crimini dari, quod tanta et tam

51 *signum interrogationis post* cogentur *scr. To.* : *plene distinguunt* SP | *signum interrogationis post* adiudicemus *suppleui* : *plene distinguunt* SP || 52 non S^2P : *om.* S || 53 *post* pronuntiabit *plene distinguunt* SP

nefaria et manifesta crimina in istos intendam. sancte enim iuro et omnes diuos testor non me accusatorio animo, non ostentatione aut gloria non odio aut spe mercedis sed officio, fide et nefariis iniuriis regi et patriae illatis et insidiis Vaccae Castro legato regio instructis adductum Didaci Almagri, Ioannis Radae et aliorum qui a rege suo desciuerunt nomina detulisse. nec 55 quisquam etiam existimet me ideo istos capitis accusare ac tam acriter iudicio persequi, ut non solum publicas iniurias, sed ut priuatas etiam ulciscar. nulla medius fidius cogitatione ultionis sed communi utilitate ducor, etiamsi uinctus constrictusque catenis cum magno uitae meae discrimine ab illis fuerim. tantum ad uindictam maiestatis publicae non ad ultionem meam respicio. quin profiteor et affirmo, quamquam inferendis crimi- 56 nibus non delector, me alia quae e Caesaris et reipublicae commodo erunt additurum. nam quae intuli quis diluere ac propulsare poterit? quis me refellere et coarguere? quis me falsi conuincere? quis ignominiam calumniae mihi imponere? uera sunt non falsa crimina quae de istis ad praefectum detuli atque adeo certa, cottidiana, nota et manifesta omnibus ut non sit quod talionem uerear. quin potius ei legi XII tabularum, si necesse est, libenti animo me obstringo.'

Hac actione Leo usque adeo animos omnium qui **26** aderant in hostes regis criminando inflammauit atque acerbum in eos odium concitauit ut cuncti ira incensi impium ac consceleratum Didacum Almagrum, praedones et sicarios duces, ruptores fidei foederisque humani,

54 aliqua *post* ostentatione *fort. addendum, cf. Cic. Clu. 11* ||
55 ac tam *correxi* : actam SP

uiolatores iuris gentium, cruentos nefanda Francisci Pizarri praefecti Perurae et summi legati Caesaris caede
2 proditores et perfidos compellarent. praefectus uero Leoni respondit se quae e republica fideque sua ac dignitate essent facturum atque daturum operam ut Caesar in tanta Chiliensium perfidia, iniquitate et rebellione ius suum et maiestatem retineret ac Perura in moderatum et concordem statum rediret.

27 Interim Cuschi, dum haec in Xauxa apud Castrum praefectum aguntur, multae magnaeque contentiones inter duces Didaci Almagri fiebant: alii Christophorum Sotellum, alii Garsiam Aluaradum in Ioannis Radae demortui locum sufficiendum censebant. hi enim ambo non minore ambitione quam simultate de honore con-
2 tendebant. Aluaradus aegre patiebatur Sotellum sibi praeferri et in summa laude ac gratia apud Didacum Almagrum poni ultroque ab hoc eum honorem illi deferri ac sibi petenti denegari. hoc secum in animo et cum amicis etiam in secreto uolutabat, hoc palam fremebat et sane ea contentio inter ipsos inimicitiis adeo
3 incensa fuit ut alter alteri necem machinaretur. sed Aluaradus consilium Sotelli praeuenit eumque et quosdam alios duces et Didacum Almagrum interficere et Cuschum diripere et in Chiliam cum amicis et cum iis militibus qui suae erant partis se recipere instituit. uerum enimuero satis constat Aluaradum a Gomezio Roia, cum hic Cuschi in custodiis haberetur, magnis promissis ut aliquo facinore ingenti facto ad Castrum praefectum transfugeret inductum fuisse, quippe Gome-

26 1 Francisci ... Caesaris S[2] *(in marg.)* P : *om.* S
27 2 ab S : ad P

zius Aluarado cum fide spopondit Vaccam Castrum praefectum praeter ueniam et impunitatem flagitiorum amplissima praemia ipsi daturum, si errorem suum deponeret, si in gratiam cum republica rediret, si in castra regia cum militibus et amicis suis ueniret. itaque Alua- 4 radus spe praemiorum impunitate scelerum et aliis rebus adductus facinus, ad quod iam animum sponte sua inclinauerat, consciuit et Sotellum, cum eum simulatione officii, quod ille domi suae lecto teneretur, <inuiseret>, gladio per aduersum pectus transfixit.

28 Ea caede ab Aluarado perpetrata terribilis tumultus Chiliensibus iniectus fuit, qui, nisi Almagrus subito eum tumultum compressisset animosque eorum suauitate deleniisset uerbisque confirmauisset, ad arma concurrissent, hi quidem ut Sotelli necem uindicarent, illi uero ut Aluaradum defenderent. ceterum is nec Dida- 2 cum Almagrum nec Sotelli amicos ut sibi ignoscerent deprecatus est, sed ipse facinoris crimen ab se in Sotellum transferre non dubitauit et aperte palamque in foro multis audientibus dixit: 'erratis, milites, si ignominiam, si crudelitatis infamiam, si maculam mihi inuritis. nihil scelerate in Sotellum admisi. quod si admisi, nullam deprecor poenam. nam si praeuertendum eum putaui, qui propter suspicionem necare me uoluit, quid me arguere culpae potestis?' hoc Didacus Almagrus in- 3 dignissime tulit sed, quia uidebat Aluaradum ducem longe audacissimum et crudelissimum esse et militibus gratissimum, silentio iniuriam acceptam pro tempore

4 inuiseret *suppleui, cf. e.g. 5.58.1. de sensu cf. Cieza*^{2} *237*
28 2 quid SP^2 : qui P

dissimulandam censuit, ne se suosque amicos et milites ad omne periculum atque ad omnem inuidiam opponeret, neue coniunctionem, concordiam et conspirationem ducum et militum ad defendendam dignitatem suam factam dirimeret. itaque Aluaradum in gratiam cum amicis Sotelli reduxit et se summo cum amore et beneuolentia prosequi simulauit.

29 Nihilo tamen setius ille sibi praecauendum existimabat, ne a Didaco Almagro aut a Sotelli amicis ex improuiso obtruncaretur; neque enim se incolumem uiuo Almagro, qui ex animo Sotellum amabat, fore putabat. et ut periculum mortis, quod sibi imminere intendique oculis cernebat, propulsaret, eos ante opprimere statuit 2 quam ab illis ipse per insidias interficeretur. qui cum multa impie scelerateque commisisset, conscientia scelerum agitatus et quasi furiis accensus aliud facinus longe foedius atque immanius quam in Sotellum patrauerat consciscere in Almagrum et quosdam alios instituit. 3 primum quosdam milites cum ferro ad Almagrum interimendum idoneis in locis et contra suspicionem periculi domi suae disponit; deinde benigno uultu ac sermone Almagrum et praefectos et centuriones amicos eius circiter uiginti duos ad epulas in posterum diem inuitat. nec Almagrus nec alii se uenturos denegant. insequenti autem die Aluaradus conuiuium lautissimum ornari appararique curat, mensae pulcherrimis epulis 4 exstruuntur. interim quidam miles religione constrictus

3 cum *ante* amore SP : eum *perperam legit To.*

29 1 setius *correxi* : secius SP² *(in marg.)* : *nescio quid in* P | aut a SP² : aut* P

rem omnem Almagro enuntiat et consilium Aluaradi temerarium indicat. ille, sicuti per indicem uerissimum omnia enuntiata erant, Ioanni Balsae et Didaco Mendezio et aliis amicis, quorum uirtuti constantiaeque maxime confidebat, aperit. hos ad caedem Aluaradi instructos in interiore aedium parte collocat, ostium conclauis custodiis asseruari iubet, ipse in conclaui recubans simulat se aegrum esse.

30 At cum epulae instructae iam essent, Aluaradus amicis et militibus quibus salutem suam committere audebat stipatus in aedes Didaci Almagri, ut ipsum ac reliquos ad prandium adduceret, se confert. eunti forte obuiam fit Martinus Carrillus, 'quo,' inquit, 'Aluarade, tanto comitatu saeptus pergis?' tum ille, 'ad Almagrum, ut ipsum in conuiuium domum meam ducam.' 'quin e uestigio pedem refer, ni subito trucidari mauis.' (2) et cum paululum uiae progressus esset, Saladus miles ei occurrit monetque ut extemplo domum repeteret, ne ipse ex insidiis interiret. sed Aluaradus plurimum sibi confidens et nullam indicibus fidem habens et quia singulari erat immanitate et crudelitate atque audacia praeditus et uirtute comitum quos secreto armatos secum ducebat fretus intrepide cum amicis in aedes intrat. (3) Didacum Almagrum in conclaui cubantem uidet. benigne salutat. 'num uales recte? quid decumbis? iam exstructae sunt mensae. si iubes, eamus.' 'grauiter' inquit Almagrus, 'aegroto.' tum Aluaradus, 'quin belle habebis, te reficies

30 1 fit S : fuit P | *post* ducam *sic distinxi, scilicet enim posthac Carrillus loquitur, cf. Gómara 247a, Zárate 502b et Cieza*^{2} *241a* ‖ 2 extemplo SP^{2} : exemplo P

et paulum animum relaxabis et, quamuis parum cibi capias, tamen cum in conuiuio princeps accubueris, hoc mihi summo erit honori et conuiuis maximae iucunditati et oblectationi et leuamento.' tum Almagrus, 'quoniam ita placet, eamus' et pallium petit et e lecto surgit. erat enim iam indutus et lorica sub tunica munitus et
4 Hispano gladio et sica cinctus. at uero qui Aluaradum comitabantur honoris causa procedunt et ad unum omnes e conclaui exeunt. et cum Aluaradus, qui Almagrum officii causa praeibat, egredi iam uellet, subito unus e custodibus ianuam obserauit et magna ui et complexu Aluaradum retinens 'captus es,' inquit 'Aluarade.' Almagrus clamans 'non capietur, sed occidetur' et grauiter primo ictu gladio caput percutit. tunc Ioannes Balsa, Didacus Mendezius, Alfonsus Saauedra, Ioannes Tellius et alii amici Sotelli ex insidiis irruunt eumque ferro uulnerant, conficiunt ac paene discerpunt.

31 Zaratae us tradit ostium a Ioanne Rada Montano clausum et Aluaradum ab eo comprehensum, cum is in Xauxa, ut supra demonstratum est, iam pridem uita de-
2 cessisset. amici autem Aluaradi et milites, qui ante ianuam domus in uia exspectabant, statim ut clamorem audierunt, eum per insidias ab Almagro circumuentum et oppressum esse crediderunt et, cum subuenire ei non possent, quod pauci numero essent, desperata re omnes conclamantes Garsiam Aluaradum in aedibus Didaci Almagri esse obtruncatum celeriter domum eius, unde
3 uenerant, sese receperunt. quod ubi per ciuitatem audi-

4 *plene post* Aluarade *distinxi coll. Zárate 502b. fort. etiam* et *ante* grauiter *delendum* : *leuiter interpungunt* SP
31 1 Zarataeus] *perperam, cf. Zárate 502b*

tum clamoreque cognitum est, longe maiores motus populi facti et multi grauiores militum seditiones concitatae quam ex caede Sotelli fuerunt, quippe Aluaradus propter impunitatem et licentiam praedandi militibus erat maxime acceptus, quorum uoluntates largitione redemerat et animos omnium fere centurionum donis et beneficiis sibi deuinxerat. itaque Chilienses magno furore 4 et ira perciti et odio incensi arma capiunt et in duas partes diuisi ferro decernere constituunt, alii ut Didacum Almagrum a periculo defendant, alii ut Garsiae Aluaradi mortem ulciscantur. et sane illa die de perfidis 5 et rebellibus regis hostibus, si acie conflixissent, actum fuisset, sed quominus id fecerint impedimento fuit Didacus Almagrus, qui repente cum Ioanne Balsa et Didaco Mendezio et ceteris, quos milites animis auctores caedis destinabant, cum iam iam illi inter se concurrere uellent, in forum uenit.

Milites Didaco Almagro conspecto mirabundi atque **32** indignabundi utrimque constiterunt. nihil aeque eos terruit quam praeter spem uultus et color roburque Almagri, quem ipsi se uisuros affectum crediderunt. qui forti constantique animo in contionem criminis ab se auertendi causa progressus silentio facto ita coepit: 'quae seditio est ista, milites? qui motus? qui fremitus 2 armorum tam horribiles? qui animi tam irati? si arma cepistis, ut necem Garsiae Aluaradi ulcisceremini, ea nunc in me conuertite, me interficite; sin minus, quae

3 erat S : erant P | quorum ... redemerat SP[2] *(in marg.)* : *om.* P

32 2 *post* conuertite *et* interficite *sic distinxi* : *signa interrogationis scribunt* SP

3 furia uos exagitat, ut manus inter uos conseratis? an Aluaradum ulcisci paratis, qui, cum inuidia flagraret et cupiditate imperandi arderet, Christophorum Sotellum, quem uos post Ioannis Radae Montani obitum in legatum meum elegistis, (o rem infandam et crudelem!) in lecto domi suae cum febri iacentem tam nefarie occidit? qui cum alios ex uobis qui ordines ducitis tum me uel maxime ad prandium pridie inuitauit, scilicet ut nos omnes in conuiuio, antequam ab hospitali mensa surgeremus, crudelissime obtruncaret atque eam ipsam mensam simul sanguine meo, simul sanguine uestro, duces,
4 qui mecum uocati eratis, cruentaret. nihil dextras dextrae iunxisse, nihil fidem obstrinxisse profuit? pro eo uindicando armati estis, qui amicitiam uiolauit, qui fidem uiolauit, qui foedus uiolauit, qui iura diuina et humana uiolauit? eum uos armis ulcisci conamini? non pietas eum a scelere auocasset, non religio ei fuisset, quominus ipse cum praesidio eorum quos in insidiis locauerat nos omnes incautos ac nihil tale fore suspicantes aggressus inter epulas fuisset atque trucidauisset. quid uos
5 armatos cerno? quid micantes gladios conspicio? an ut mortem Aluaradi uindicetis, qui uos omnes in manus hostium tradere uoluit, quo ipse cum paucis amicis, quos audio iam perfugisse, non ueniam solum a rege impetraret atque e mortis periculo se eximeret sed in multo maiore dignitate atque gratia esset quam um-
6 quam fuisset? haec si aliter atque ego dico haberi in animum inducitis, de his omnibus diligenter inquirite et uerissima quae dixi esse comperietis. inter uos exsistunt qui religione sacramenti tacti ea mihi enuntiarunt et

3 (o rem ... crudelem!) *sic distinxi* : orem ... crudelem SP

coniurationem contra me factam indicarunt. neque enim obscuri neque incerti sunt indices. his credite, si filio Didaci Almagri praefecti uestri, qui uos amore, beneficiis et liberalitate prosecutus est et honoribus et praemiis decorauit et amplissimis rebus ornauit, fidem non habetis. an iuris iurandi obliti estis? an leges quas 7 inter uos constituistis perrumpetis, qui iure iurando uos eas obseruaturos obstrinxistis? quippe qui inter alia instituistis ut is qui aliquid calamitatis et periculi Didaco Almagro strueret ac moliretur aut qui dicto factoue eum laederet aut corpus eius manu uiolaret poenam capitis subiret et qui, statim ut sciret, eos qui haec facere moliriue uellent non indicaret exilio aut morte afficeretur. at uero Aluaradus non solum in conuiuio corpus meum tetigisset ac manu uiolasset sed ferro etiam uulnerasset atque confecisset. sed si non ius iurandum, 8 non fides, non religio, non pietas auditur, si recordatio et memoria Didaci Almagri patris mei, quam semper coluistis, iam occidit, at saltem ea audite quae cladem uobis non afferunt. incepto pugnaque absistite, cauete ne uos perdatis ac uidete nihil magis eos optare qui in perniciem omnium nostrum incumbunt ac nobis omnibus necem machinantur quam ut uos uel a me uel a ducibus uestris capitali odio dissideatis uosque inter uos interficiatis, ut in Perura ipsi summam imperii teneant et quae uos labore, periculo et uestro sanguine uestrisque etiam opibus terra marique conquisiuistis et in potestatem uestram redegistis possideant. iam iam 9 arma, milites, quae in me et quosdam duces uestros sumpsistis ponite atque in concordiam redite. ac de-

7 eas S[2]P : *om.* S

mum, ut alia omittam, mentibus uestris circumspicite, si Garsias Aluaradus me et plus uiginti praefectos et centuriones uestros domi ipse suae in conuiuio, sicuti hodie instituerat, crudelissima morte mactauisset, quid de uobis omnibus, milites, quid de ceteris ducibus futurum esset, ac plane intellegetis ex caede Aluaradi saluti uitaeque omnium uestrum, qua meam contineri certo scio, prospectum fuisse.'

33 Qua oratione Didacus Almagrus ita militum animos flexit ut uniuersi una mente atque uoce Almagrum excusarent et culpam omnem in fraudem Garsiae Aluaradi auerterent eumque iure caesum conclamarent et, cum iam omnis ferocia concidisset, inter se, ut ipsorum ferebat usus, amicissime consalutarent. 2 iam inter se conciliati coniunctique Didacum Almagrum praefecti nomine appellant et honoris causa domum prosequuntur et amicitiam cum eo confirmant et societatem sceleris et periculi, laboris et praemii coeunt ac denuo duces et milites optime inter se conueniunt et fidem et ius iurandum dant, quo se cuncti iterum obstringunt aut se Didacum Almagrum armis ab inimicis defensuros et nomen dignitatemque eius aucturos et totius Perurae imperio potituros aut ad unum omnes occisione perituros. 3 iam uero duces quicquid auri et argenti, quicquid uestimentorum at armorum coegerant et Cuschum attulerant ex coloniis et municipiis quae diripuerunt et ex rapinis et latrociniis quae in itineribus fecerunt et e regulis Indorum sociis et amicis Hispaniarum regis atque ex praefectis et quaestoribus aerarii quos expilauerunt,

33 1 *post* concidisset *sic distinxit To. (cf. Cic. de Orat. 2.13)* : *nulla interpunctio in mss.*

denique ex templis delubris et fanis quae exspoliauerunt id omne militibus, quo promptiores paratioresque eos ad omnia pericula subeunda haberent et quorum militari opera in defendenda retinendaque Perura, si Vaccam Castrum praefectum, sicuti sperabant, una cum copiis funderent atque delerent, uterentur, uiritim diuiserunt. Didacus autem Almagrus Indos uectigales sti- 4 pendiariosque regis et Francisci Pizarri praefecti sibi soli attribuit, reliquos uero omnium coloniarum et municipiorum Perurae ducibus et militibus pro cuiusque meritis distribuit.

His rebus constitutis et iure iurando firmatis, Ioan- **34** nem Balsam legatum suum fecit et Petrum Onnatium tribunum militum, quos et Didacum Mendezium et Ioannem Tellium Hispalensem et Martinum Bilbaum et Didacum Hozium equitatui praefecit. peditatui uero praeerant Ioannes Gutterius Malauerus, Martinus Cotus, Ioannes Perezius, Franciscus Cardenas et Ioannes Olea. Petrus Candia Cretensis tormentis bellicis praepositus erat. Paulus Guainacapae imperatoris Perurae 2 filius, quem Didacus Almagrus pater Hingam constituerat, auxiliares Indorum copias ducebat magnasque Almagranis utilitates afferebat, quoniam undique expediendos comportandosque commeatus in castra curabat. milites Hispani amplius septingenti fuerunt equis, 3 armis, tormentis manualibus, uestimentis, pecuniis et aliis rebus instructissimi et ornatissimi. sequebantur Indi sarcinarii, quorum magnus erat numerus. horum alii

4 cuiusque SP[2] : cuius***que P

34 1 tribunum *To.* : trib. SP || 3 Hispani SP[2] : Hispanos P *ut uid.*

tormenta campestria trahebant, alii sarcinas militum ferebant, alii commeatus umeris portabant.

35 Ceterum Almagrus, quo commodius exercitum alere, stipendia militibus persoluere et amplissima praemia, sicuti eis promiserat, dare posset, omne aurum ad aequalitatem ac legem duum et uiginti graduum et semissis redegit. neque enim aliud aurum alio gradibus ac pondere praestare uoluit nihilque referre dicebat plus 2 minusue argenti uel aeris illud haberet. itaque edixit ut tanti uilissimum aurum quanti pretiosissimum ualeret, unde quaestum maxime fecundum uberemque totum ad se tyrannus auri auidissimus ita redegit ut et Hispanos et Indos improbissime fraudaret.

36 Qui pridie quam copias Cuscho educeret magna praeconis uoce pronuntiari iussit ut omnes se ad profectionem pararent, ne quis dux milesue in urbe per causam ualetudinis remaneret, ne quis se occultaret neue signa desereret; qui secus faceret, perduellio esset 2 infelicique arbori suspenderetur. hoc ideo Almagrus fecit quod uereretur ne aliquis ex militibus ad castra regia transfugeret, ut qui sciret Didacum Lopem Ayalam, Franciscum Ferdinandum, Ioannem Gallegum et Iaram fortem atque strenuum militem, quorum fide, opera, consilio et praesidio Garsias Aluaradus ad interficiendum Christophorum Sotellum usus fuerat, ad Castrum 3 praefectum perfugisse. nihilo tamen setius tres milites Hispani ex his qui militiae nomina dedere et sacramen-

35 1 haberet S : habere P

36 1 uoce S : uocis *uel* uoces P | desereret SP[2] : defereret P *(ut uid.)* | infelicique arbori] *cf. Liu. 1.26.6* || 2 Ioannem] *suspectum, cf. 7.62.2 et Cieza[2] 252a* | Iaram SP : Laram *leg. To.*

to dixere edicto contempto Almagrum sequi noluerunt et, ne comprehenderentur, in templum eius urbis maximum, ubi se religione iureque sanctissimi eius templi, sicuti aequum est, inuulneratos inuiolatosque fore putabant, confugerunt. qui Ioanne Balsa legato iubente ui in publicum extracti et palo in foro alligati uirgisque caesi et suspensi fuerunt. eo die Almagrus urbe egressus exer- 4 citum in deuersorium nomine Caragueium duxit. inde iter ad Bilcarum regionem, quae milia passuum ducenta ab urbe Cuscho abest, eo consilio dirigit ut Goamangam oppidum caperet, castra ibi muniret et commeatibus Vaccam Castrum intercluderet. qui eo tempore in Xauxa 5 erat litterasque ab senatu populoque Quitiensi acceperat, per quas certior fiebat Consaluum Pizarrum iam in Quitiam prouinciam redire annumque secundum intercedere, cum exercitum ex urbe Quito in expeditionem eduxisset.

Is enim Consaluus Pizarrus, ut libro secundo demon- **37** stratum est, Petrum Puellaeum cum quadraginta equitibus Quitiae, quam ipse obtinebat, praesidio reliquit et cum Indorum milibus quattuor et ducentis militibus Hispanis egregie instructis atque ornatis et cum magno commeatuum numero in Cumacum profectus est ac per Quixos Indos, qui ad Maranonem fluuium dispersi montes accolunt, iter fecit. et cum iam in Quixorum 2 regionem uenisset, horribilis terrae motus factus est atque ea tempestas ingenti cum fragore tonitribusque et denso nimbo tantaque ui fulgurum et iactu fulminum subito coorta ut multae domus deflagrarint, multae ceci-

4 Bilcarum *correxi coll. e.g. 7.50.1, 3.46.3* : Vilcarum SP

37 1 libro secundo] *perperam, cf. 4.44.7* || 2 deflagrarint, multae S[2] *(in marg.)* P : *om.* S

derint, multae repentinis hiatibus haustae fuerunt. haec non parum et Pizarri et militum Hispanorum animos
3 terruerunt. deinde ipse in Cumacum ire contendit et in transcendendis montibus permulti Indi et nonnulli Hispani frigore niue pruinaque obriguerunt. reliqui fame, donec ad Cumacum peruentum est, laborauerunt, ubi imbres ita magni et assidui amplius sexaginta dies et noctes deciderunt ut uestes, cum hae nec in sole nec in
4 umbra siccari possent, nimio umore putrefecerint. est autem Cumacum ad radices altissimi montis, quem uolcanum ideo uocant, quod harenas flammasque ex cratere eructet, situm et sub aequatore cum tota ea ferme regione quae ab eo nomen accepit positum, in qua cinnamomum, quod tam auide Pizarrus quaerebat, gignitur.

38 Hoc cinnamomum non in fruticibus, ut illud quod ex Aethiopia, Sabaeis at ex Maluccis insulis aduehitur, sed in arboribus tum siluestribus tum campestribus,
2 quibus ea regio refertissima est, nascitur. sunt autem hae arbores procerae folio lauri, calyculo fuluo et haud ei absimili, quo glans suberis continetur, sed crassiore atque altiore. in calyculo flos includitur, e quo mira suauitas odoris afflatur. flores baculas paruas gignunt. hae ut sambuci pediculis et racemis dependent et gustus et odoris sunt suauissimi. at quamquam cauliculi, cortex, radix et fructus cinnamomum quod in Maluccis gignitur insulis redolent, tamen longe plurimum calycu-

38 1 Maluccis *correxi, cf. adn. ad 7.2.1* : Mallucis SP *et sic semper in hoc libro, quod posthac silentio praetermittam* || 2 flores P : flores *uel* floses S | et *ante* fructus SP^2 : *om.* P | plurimum *scripsi* : plurimumque SP

li et odore et sapore ceteris omnibus praestant, praesertim ex arboribus campestribus, quas indigenae et serunt et colunt. ex quibus atque ex siluestribus uberes et diu- 3 turnos capiunt fructus et commercia cinnamomi faciunt. nam illud non solum apud finitimos populos sed etiam apud alias Indorum gentes milio et aliis quibus maxime egent rebus permutant. hoc autem cinnamo- 4 mum, siue ex arboribus cultis siue ex incultis collectum sit, naturam excalefaciendi habet et ab indigenis contusum in potu iis dari solet qui ex intestinis aut ilibus aut stomacho laborant. hoc etiam cardiacis prodesse tradunt. quin et si tritum hoc edas, gustu est plane iucundo et odorato; sin eo perinde ac cinnamomo Aethiopico aut Maluccensi in condimentis utare, uim et saporem amittit.

At uero Pizarrus, cum iam imbres desiissent atque **39** eam regionem quae cinnamomum fert diligenter explorauisset nec res ex uoto ei successisset, longius progredi instituit et superatis magno cum labore montibus ad Cocam, quae ad Maranonem maximum totius terrarum orbis fluuium posita est, uenit. cuius regulus et Pizarrum comiter excepit et foedus cum eo fecit et milites et Indos, ut uires reficerent, ex suis cibariis circiter dies quinquaginta liberaliter tractauit. inde Pizarrus per ri- 2 pam fluminis ad Oceanum septentrionalem decurrentis agmen duxit nec usquam, cum iam sex dierum iter processisset, ponte nec ratibus uastissimum, rapidissimum et altissimum fluuium transire potuit. qui etsi in angu- 3 stias se cogit, tamen quanto angustior inter oppositas

indigenae SP[2] : indignae P || 4 et si P : et,si S[2] : etsi S | Maluccensi *correxi, cf. app. crit. ad 7.2.1* : Mallucensi SP

utrimque cautes fit tanto magis pernix deuoluitur atque ex praecipiti plus ducentorum stadiorum spatio sublimis et quidem tanto cum fragore cadit ut accolae propter sonitus magnitudinem sensu audiendi careant, sicuti de iis gentibus quae ea accolunt loca, ubi Nilus ad illa quae Catadupa uocantur ex altissimis montibus se prae-
4 cipitat, memoriae proditum est. deinde ipse amnis rupibus premitur et angustissimus fit citissimusque decurrit et montibus inclusus aquis properantibus per angustias atque per fauces uiginti tantum pedes latas, quas immanes inter se scopuli efficiunt, non fluere sed ingenti cum murmure ruere uidetur tanta aquarum altitudine quanta fuit sublimitas unde se praecipitauit.

40 Hic Pizarrus ponte faucibus scopulorum iniecto transitum, etiamsi Indi, qui magno numero ad ripam erant dispositi, prohibere conarentur, militibus dedit et in Guemam regionem plane sterilem et praeter asperitates uiarum et angustias saltibus crebris inclusas paludibus impeditam ire contendit, ubi permulti fame morboque
2 absumpti fuerunt. reliqui uero herbis, radicibus fructibusque siluestribus sese aluerunt atque eo usque sustinuerunt, donec ad aliam regionem fertilem illam quidem sed uentis et uehementibus procellis ac continuis fere pluuiis obnoxiam transcensis montibus altissimis
3 qui maximo impendent flumini peruenerunt. in qua regione Pizarrus, cum et uarietatem cibi et copiam inuenisset, militibus potestatem se reficiendi et curandi fecit. erant enim omnium corpora labore, inedia, uigiliis plane affecta. et sane cultores eius regionis omne iustum piumque officium ipsis praestabant et sua sponte ciba-

39 3 sicuti de ... proditum est] *cf. Plin. Nat. 6.181*

ria praebebant. sunt ii Indi moribus humanissimis, lino 4
xylino uestiuntur, pane et carnibus uescuntur et ab in-
colis earum regionum quas Pizarrus ab urbe usque
Quito peragrauit plurimum differunt; nam illi et mori-
bus sunt immanissimis et nudi propter aestus intolera-
biles agunt et fame propter summam commeatuum ino-
piam premuntur.

At enim Pizarrus postquam uidit Hispanos et Indos **41**
qui superfuerant corpora quiete, cibo et somno curauis-
se ac iam pristinas uires recepisse, nauigium speculato-
rium, quo flumine inueheretur et ultro citroque com-
mearet, atque duas rates ad superanda stagnorum uada
facere instituit. hoc tempus et necessitas flagitabat, quae
Pizarrum, quoniam nullos tunc fabros nec lignarios nec
ferrarios habebat, nauigium et rates facere docuit. is au- 2
tem gummi pro pice ad illinendum nauigium et gossy-
pio sagulisque et indusiis iam obsoletis eorum qui in
itinere perierant pro stuppa ad stipandas obturandasque
rimas eius usus est. clauos ex soleis ferreis equorum
quos comederant fecit. nauigium uero, ubi effectum et
armamentis instructum fuit, in flumen deductum est. in 3
hoc Pizarrus sarcinas et ingens auri argentique pondus
et maximam smaragdorum uim cum multo commeatu
imponit. aegrotos autem ratibus deferri iubet et Fran-
cisco Orellanae centurioni imperat ut in nauigium cum
aliquot Hispanis conscenderet atque ex insulis, quas
flumen multas et magnas efficit, cibaria quaereret nec
plus minusue flumine secundo nauigaret quam ipse ter-

40 4 *ante* quas et *post* peragrauit *non interpunxi* : *leuiter distinxit To.* : *parenth. scr.* SP
41 2 obsoletis S : absoletis P

ra iter faceret atque eo quidem ordine ut cuncti in unum et eundem locum ad ripam fluminis occidente sole conuenirent simulque et cibum et somnum caperent.

42 Etsi amplius iam milia passuum octingenta per utramque fluminis ripam processerant (necesse enim erat nunc ad unam nunc ad alteram ripam transire et stagnorum uada quae ad flumen iter interrumpebant ratibus traicere), tamen nec aurum nec argentum ac ne 2 cibaria quidem ulla inueniebant. in tanto itineris labore et uitae omnium extremo discrimine (multi enim fame peribant) quid consilii remediiue caperent aut quo se conuerterent omnino nesciebant. omnes in Pizarrum fremere et quod Peruram propter cinnamomum tam temere reliquissent aegerrime ferre et regiones illas quas peragrauissent tamquam auspicium malum exsecrari atque detestari. tunc Cuschum, Collaia, Xauxa, Pachacama et Quitia auro argentoque refertissimae regiones in 3 mentem ueniebant. Pizarrus in tanta rerum difficultate et cibariorum inopia, cum inquirendo reperiret insulam quandam fructuosissimam et diuitiis refertissimam illinc paulo amplius milibus passuum trecentis abesse, ubi ingens quidam fluuius cum Maranone coniungitur et confluit, unde commode magnum commeatuum numerum subuehere posset, quinquaginta Hispanos in nauigium 4 imponit. his Franciscum Orellanam praeficit eique mandat ut e uestigio plenissimis uelis in eam insulam nauigaret sarcinasque et aurum et gemmas et duas rates ad confluentes Maranonis relinqueret et, simul atque in

42 1 (necesse ... traicere) *parenth. statui* || 2 (multi ... peribant) *sic distinxi*

insula nauigium cibariis compleret, statim ad confluentes rediret ibique exspectaret.

43 At Franciscus Orellana nec sarcinas nec aurum nec gemmas nec aliud quod in nauigium impositum erat nec rates reliquit nec cibaria in insula petiuit, sed flumine rapidissimo deuectus et a militibus, paucis tantum repugnantibus et in his Gaspare Caruaiale Dominicano, qui, cum eum admoneret ut fidem quam Consaluo Pizarro obstrinxerat seruaret, parum afuit quin e nauigio in flumen deiceretur, in ducem electus est. 2 is ex duabus ratibus aliud nauigium construxit, descensiones in terram fecit, cum Indis saepe pugnando laeuum oculum amisit, utramque fluminis ripam explorauit ac multas et immanes et barbaras Indorum gentes habitu et moribus longe dispares atque inter se dissimiles aliis atque aliis nominibus praeditas uidit ac cognouit. nemo umquam omnium hominum tantum per flumen quantum Franciscus Orellana nauigauit. tandem ex eo flumine in Oceanum septentrionalem inuectus in Hispaniam peruenit. 3 multa ille de rebus ab se gestis deque ea nauigatione Caesari et senatui Indico rettulit, multa etiam confingere atque comminisci ac sibi falso, ut postea clarissime apparuit, tribuere non dubitauit: se utramque fluminis ripam a fontibus ad ostium usque, quod a Cubagua insula decies et trecenta passuum milia abest, sua impensa oculis perlustrauisse et cum Amazonibus, quae iuxta eum fluuium habitant, quem ideo Amazonium uocant, pugnauisse. haec atque alia et quae in Perura gessisset

43 2 atque aliis *om.* P | Franciscus S : -cum P | nauigauit S : -gabit P || 3 confingere S : -figere P | gessisset SP[2] : fecisset P *ut uid.*

cum Orellana rettulisset, praefecturam eius fluminis, quod ipse Orellanam cognominauit, cum imperio illu-
4 strique titulo a Caesare obtinuit. interim, cum iam aurum et argentum et smaragdos Consalui Pizarri consumpsisset, uxorem duxit et ab his quos in eam expeditionem educturus erat mutuas pecunias sumpsit ac deinde classem instruxit et parauit atque e Baetis ostio soluit. sed ea in Maranonem amnem nauigatio non minus infelicem quam illa Didaci Ordasii et Hieronymi Ortalii Caesaraugustani exitum habuit: nam et Franciscus Orellana in mari occubuit et classis disiecta fuit.

44 Maranonem autem et Orellanam, quem et Amazonium et Mare Dulce appellant, unum et eundem esse fluuium omnes affirmant. hunc uero eo anno qui a Christo nato supra millesimum et quadringentesimum fuit nonagesimus nonus Vincentius Hyanezius Pinzon
2 primus omnium inuenit. is amnis e Quitiae montibus haud procul a Mulubamba oritur et plurimis maximisque et creberrimis repletus fluminibus ita sinuosis serpentis in modum flexibus amplius sexagies et milia passuum octingenta a fontibus ad ostium usque peruagatur ut reuerti credatur. recta uero si iter fiat, non plus decies et octingentis passuum milibus fontes ab ostio distant, quod in latitudinem milia sexaginta et, si aliis cre-
3 dimus, milia passuum ducenta patet. hic amnis multas et diuitiis refertas efficit insulas, in quibus tus opti-

44 2 plus S²P : amplius S *ut uid.* | decies] *dubitationem mouet coll. Gómara 210b et Zárate 495a: an* uicies? | sexaginta et, si aliis credimus, milia S² *(in marg.)* P : *om.* S

mum gignitur ac multo odoratius quam Sabaeum colligitur.

At uero Consaluus Pizarrus, ubi Orellanam dimisit, **45** iter per citeriorem fluminis ripam immenso cum labore ac uitae periculo fecit. parum enim afuit quin ipse et ceteri in traiciendis fluminibus, quae utrubique in Maranonem e montibus decurrunt, submergerentur. quin 2 etiam ipsi frequenter cogebantur maximas et difficillimas ualles transcendere et altissimos montes transgredi, in quibus iter ferro aperiendum erat, unde fiebat ut multi fame et lassitudine oppressi et arboribus adhaerescentes subito exsangues et mortui conciderent. at post- 3 quam ad confluentes uentum est nec nauigium, in quo et in fide Francisci Orellanae spem habebant, nec rates uiderunt, adeo afflicti, debilitati maerentesque fuerunt ut paene animos desponderint et Pizarrus multo grauius atque acerbius nauigium quam aurum ab Orellana sublatum fuisse tulerit, atque eo magis quod nec longius ipse sine nauigio, etiamsi uellet, progredi posset et quod confluens Maranonis decies et milia passuum sescenta ab urbe Quito abesset. ceterum dum animi om- 4 nium uehementer commouerentur et cuncti se fide ac potius perfidia Francisci Orellanae deceptos atque desertos esse quererentur, miles quidam Hispanus de improuiso interuenit. is Consaluo Pizarro refert Franciscum Orellanam milites Hispanos praeter unum aut alterum a fide Pizarri abduxisse atque in sententiam suam traduxisse ac se ducem fecisse, ut suo nomine et auspicio gentes quae utrimque Maranonem accolunt exploraret eumque amnem ad ostium usque oculis perlus-

45 4 gentes, quae S^2 : gentesque SP

traret honoremque eum et laudem et gloriam sibi uni non Consaluo Pizarro acquireret; ad haec se ab Orellana e nauigio extrusum eiectumque in terram ideo fuisse, propterea quod ipse una cum Gaspare Caruaiale Dominicano ei repugnaret atque resisteret indignumque ac plane impium esse diceret nauigium cum ratibus et opibus ab eo abduci, cuius fidei et potestati a Consaluo Pizarro commissum fuisset.

46 His rebus cognitis, Pizarrus milites cohortatus ne animis deficerent iter a confluente Maranonis in Quitiam conuertere instituit et quodcumque aliud ingredi, in quod fortuna ipsum induceret. ingens enim timor ex montibus, fluminibus et stagnis quae transierant omnibus incutiebatur, quod in eo itinere quod ab urbe Quito ad confluentes usque Maranonis confecerant praeter magnam Indorum turbam amplius quinquaginta Hispa- 2 ni occidissent. itaque a confluentibus regredi atque in Quitiam reuerti constituerunt. ceterum iter quod intenderunt, etsi fere interruptum atque imperuium erat, tamen non adeo infestum ut aliud fuit. in quo sane itinere, ne fame omnino absumerentur, reliquos equos et canes comederunt, deinde frondibus, herbis, cauliculis quibusdam palmitum in modum, ut famem leuarent, se 3 sustentauerunt. ex Indis autem ne unus quidem euasit; omnes eundo ac redeundo consumpti fuerunt. ex Hispanis uero circiter centum una cum Consaluo Pizarro pedibus in Quitiam ingressi eam flentes osculabantur et Hispanos quosdam, qui ab urbe Quito longissime obuiam eis cum cibariis et aliquot uestimentis et equis

46 1 ne S : ne *uel* nec P || 2 cauliculis *scripsi. de sensu cf. Zárate 495b* : calliculis SP

processerant, incredibili gaudio excipiebant. qui cum 4 ipsos intuerentur, non se homines sed simulacra quaedam hominum deformia siue potius ferarum intueri arbitrabantur. erant enim feris quam hominibus similiores terribilique squalore obsiti, foedior corporis habitus et lurido quodam pallore et horrida macie paene perempti, quae ita uultus eorum deformauerat ut uix ab amicis et necessariis cognoscerentur. ceruinis tantum pellibus ab umbilico ad femora tecti, cetera praeter capita et pedes nudi, hi quidem peronibus, illa uero galericulis etiam ceruinis uelabantur. quin et ipsi bracchia lurida et 5 terga et crura sentibus et uepribus non secus sauciata et exulcerata habebant ac si plagae ipsis inflictae fuissent. stomacho uero ita erant imbecillo atque infirmo, quod pallor et macies indicabant, ut cibi, quorum erant auidissimi, minuendi deducendiue fuerint, donec ille restitueretur atque corroboraretur. itaque amici eos cibos ipsis tamquam aegrotis adhibebant, qui optimi et suauissimi et facillimi ad concoquendum essent et quibus uires reficerentur non opprimerentur. sed enim Con- 6 saluus Pizarrus et centuriones nec uestes induere nec equos conscendere, quod deessent militibus, uoluerunt, sed pedibus ac seminudi, sicuti erant, Quitum ire perrexerunt. eo cum oriente iam sole peruenissent, recta ad 7 templum se contulerunt ac demum, re diuina facta gratiisque Deo optimo maximo actis, quod e tantis pericu-

4 quam S^2P^2 : *ante* intueri *transposuit* P : *om.* S | corporis *correxi coll. Liu 2.23.3* : corporum SP | peronibus S : per omnibus P || 5 cibi S : sibi P | fuerint S^2P : *om.* S | concoquendum SP^2 : conquendum P || 7 actis SP^2 *(in marg.)* : *nescio quid in* P

lis eos eripuisset saluosque et incolumes in eam urbem reduxisset, se in suum quisque hospitium recepit.

47 At enim Consaluus Pizarrus, ubi de Francisci Pizarri fratris sui caede cognouit, grauiter molesteque tulit, praesertim cum intellegeret Ferdinandum Pizarrum, qui in Hispaniam traiecerat, in uincula esse coniectum, tum etiam quod uideret magnam rerum et fortunae, quae eximia semper felicitate ipsis aspirauerat, commutati- 2 onem esse factam. sed ut erat uir animo forti atque offirmato, et dolorem abiecit et legatos ac Vaccam Castrum, quem audiebat in Francisci Pizarri locum successisse exercitumque iam contraxisse atque in Xauxa ualle castra posuisse, ut Peruram, quam Didacus Almagrus armis occupauerat, in Caesaris potestatem redigeret, cum 3 his mandatis misit: se ex illa expeditione quam in Cumacum, ubi cinnamomum gignitur, fecisset in Quitiam prouinciam cum centum fere militibus Hispanis rediisse et, quamuis magnum atque incredibilem ex indignissima Francisci Pizarri fratris morte dolorem accepisset, tamen non solum summae sibi oblectationi sed leuamento etiam doloris fuisse quod Christophorus Vacca Castrus in demortui loco a Caesare suffectus fuisset, propterea quod magnam in spem ueniret eum de crudelissimis Francisci Pizarri interfectoribus et patriae proditoribus iustas ac debitas et scelere dignas poenas esse sumpturum uniuersamque Peruram recepturum atque 4 eam in pristinam libertatem restituturum; proinde Pizarrum uehementer rogare, obtestari atque obsecrare ipsum

se *ante* in SP[2] : sed P *ut uid.*

47 3 Cumacum *correxi, cf. e.g. 7.37.1* : Cumachum S : Chumachum P

ut facultatem sibi una cum iis militibus Hispanis quos a Maranonis usque confluentibus saluos et incolumes in urbem Quitum reduxisset ueniendi in castra regia faceret, ut regi suo militarem operam aduersus eos qui ad Didacum Almagrum defecerant, sicuti tenebatur, praestaret.

48 Castrus huic legationi respondit ut Pizarrus e tantis tamque multis laboribus quos in tam longinqua periculosaque expeditione sustinuisset se suosque reficeret uiresque reciperet; e Caesaris et reipublicae commodo esse ut ipse Quiti se contineret atque ibi usque eo consisteret, dum prouincia pacata atque sub Hispaniarum regis imperium redacta esset. cum his mandatis legatos dimisit. hoc Pizarrus periniquo tulit animo locoque contumeliae habuit nec umquam illi excidit acerbissimoque semper odio Christophorum Vaccam est prosecutus. 2 qui Pizarro ideo castris regiis interdixit, quoniam existimaret eum summo fore impedimento, quominus id quod omni studio contendebat efficere posset, scilicet ut Didacum Almagrum, Ioannem Balsam, Didacum Mendezium et reliquos praefectos et centuriones ac milites qui istorum impulsu ab rege desciuerant in fidem et gratiam eius reduceret, ut seditionibus et foedissimis caedibus, quas passim faciebant, abstinerent atque a repentinis latrociniis, quibus incolas opprimebant, cessarent, quo prouincia quam uexabant et perdebant in antiquum et tranquillum statum restitueretur.

49 At uero Augustinus Zarates quaestor regius, quasi mentem Vaccae Castri penitus introspexisset animum-

4 faceret S : facere P | defecerant S[2] *(in marg.)* P : *om.* S

48 1 reficeret S : -cere P

49 1 Zarates] *ante uero* Zarataeus *cf. e.g. 6.80.6, 7.31.1*

que eius explorauisset, scribit Castrum metu adductum Consaluo Pizarro ne in castra regia ueniret imperauisse, ut qui uereretur ne summa imperii ei traderetur, atque eam ob causam liberis etiam Francisci Pizarri praecepisse ut Piurae aut Trugilli subsisterent usque dum ipse 2 aliud decerneret ac iuberet. sed Zarates longe aliter ac debuit haec perspexit; neque enim ulla iusti timoris causa esse potuit, quoniam Castrus et exercitum sibi deuinctum et omnem fere Peruram, quam Caesar ei gubernandam dederat, in potestate sua habebat nec tantae in Consaluo Pizarro prudentiae, moderationis, temperantiae partes inerant ut exercitus regius eum sine Caesaris decreto summum Perurae praefectum et accipere et appellare uellet, praesertim cum omnes et ingenium et mores et ambitionem eius perniciosam plane noscerent, quod ita esse aperte postea apparuit nec obscurum fuit. 3 nam cum Consaluus Pizarrus bello iam confecto ab urbe Quito in Ciuitatem Regum ueniret rumorque esset eum cupiditate regni adductum nouis rebus studere idque Cuschum nuntiatum fuisset, tantus undique ducum et militum Hispanorum numerus ad defendendam armis Vaccae Castri dignitatem subito Cuschum confluxit ut tam magna ciuitas uix eos capere posset. qui certe eo non concurrissent, si in animis habuissent Pizarrum 4 summae rerum praeficere. qui cum id intellegeret, ut improbissimum rumorem de se dissipatum exstingueret, Cuschum aduolauit. eo simul atque uenisset, statim a Castro praefecto iussus fuit ut domum suam quam in Charcis habebat se conferret. quod etsi inuitus fecit, tamen edicto praefecti paruit nec aliud facere ac ne temp-

4 Charcis *correxi coll. e.g. 6.9.3* : -chis SP | etsi S^{2}P : si S

tare quidem ausus fuit. unde satis constat Zaratem con- 5
tra quam res se habuit sensisse, ne dicam perperam iudicauisse: non enim ille timore sed ratione ductus Pizarrum ad se uenire uetuit, ut eo absente Didacus Almagrus aequissimas condiciones quas pacis offerebat non repudiaret, quas certe respuisset, sicuti respuit, nec ad Castrum uenisset, si Pizarrus apud ipsum fuisset. quod ipse Zara- 6
tes sui, ut solet, oblitus confirmat, cum inquit Didacum Almagrum idcirco in castra regia, ut de pace cum Castro ageret, uenire noluisse, quod Vacca Castrus et Petrum Aluarum Holguinum et Alfonsum Aluaradum secum haberet. quod si Almagrus propter istos inimicos suos, qui sub Vaccae Castri praefecti signis militabant ordinesque ducebant, non committendum sibi putauit ut in castra ueniret, quid eum facturum Zarates existimasset, si Consaluus Pizarrus, cuius fratrem Franciscum Pizarrum praefectum ille interfecerat, in castris regiis fuisset? an salutem suam cuiquam commisisset? an ad Castrum uenisset? an ad ullas condiciones pacis, quamuis aequas, perduci potuisset, sicuti numquam, etiamsi Pizarrus Quiti, uti imperatum erat, se continuerit, perduci potuit? nam quod idem Zarates de Francisci Pizarri 7
liberis tradit plane absurdum est: qui enim Castrus ab illis metuere aut potuit aut debuit, quorum maximus natu annum agebat nonum, quos ille misericordia commotus alendos, educandos custodiendosque, ne in Chiliensium manus uenirent, curauit? hi autem Vaccae Cas- 8
tro ab urbe Quito Piuram cum copiis descendenti

5 si S : nisi P || 6 *signum interrogationis quod* SP *post* potuisset *scribunt post* potuit *transposui* || 7 *interrogationis signum post* curauit *apposui, quod* SP *post* debuit *scribunt*

obuiam ad Carrochambae deuersoria uenerunt, quibus ipse praecepit ut paulatim se subsequerentur atque in uia subsisterent, donec Piuram, quam Almagrani tenebant, reciperet. qua urbe recepta eos ibi reliquit et, cum Trugillum in potestatem redegisset, eos ipsos uenire iussit. ac demum de puerorum salute motus, cum Didacus Almagrus exercitum Lima eduxisset atque ex Xauxa ualle diuisis copiis Cuschum ire contendisset, eos, quo tutiores a Chiliensibus essent, Trugillo in eam urbem
9 uenire mandauit. quin etiam Franciscus Lopezius Gomarensis, qui lingua sua res Indicas est persecutus, tradit Consaluum Pizarrum ideo a Castro praefecto ut ad se ueniret prohibitum fuisse, ne Didacum Almagrum, qui de pace et concordia cum Castro agebat, aduentu suo impediret, aut Castrum id ipsum forte fecisse, ne exercitus respectu Francisci Pizarri praefecti, cuius recens memoria in animis omnium fere ducum et militum infixa erat, eum summum Perurae praefectum et ducem
10 maximum crearet. sed medius fidius Franciscus Lopezius et Augustinus Zarates, qui post hunc scripsit, non quae facti exponere, sed quae mentis arcanae erant diuinare uoluerunt.

50 Ceterum praefectus, cum iam legatos Consalui Pizarri domum redire iussisset, litteras a Didaco Roia, qui Guamangam cum praesidio tenebat, accepit. ex quibus cognouit Didacum Almagrum et exercitum Cuscho eduxisse et in Bilcis castra fecisse; colonos autem Hispanos qui partes eius fouebant uelle ei Guamangam tra-

8 Carrochambae *correxi coll. Cieza*[2] *226a* : Caro- SP
50 1 Guamangam] *cf. app. crit. ad 7.1.4* | accepit P : ac|cepit S

dere, reliquos uero metu perterritos, quod pro certo ducerent ipsum cum copiis eo uenturum, in montes cum liberis et coniugibus profugisse; itaque maxime oportere praefectum aut iter accelerare aut subsidium extemplo mittere, ne Almagrus et Guamangam caperet et commeatu exercitum regium prohiberet. quibus litte- 2 ris praefectus uehementer commotus non cunctandum sibi amplius putauit, quippe qui uidebat Didacum Almagrum, si Guamangam occuparet, non parua exercitui regio detrimenta illaturum parumque etiam fidei tunc in colonis Hispanis esse, quoniam plerique aut partibus Almagri fauebant aut arma eius sequebantur. nec dubitabat quin illi, si possent, Guamangam Almagro essent tradituri ideoque expedita celeritate opus esset. sed 3 quominus ipse sese expediret, acerrima inter Petrum Aluarum Holguinum et Alfonsum Aluaradum contentio impediebat, quae usque adeo inimicitiis incensa erat ut res ad seditonem et ad arma spectare uideretur. at 4 praefectus ueritus ne qua in castris ex militum concursu seditio oriretur (iam enim eam illi concitabant, dum alii Holguino, alii Aluarado se iungerent), alterum alteri auctoritate sua conciliauit et dissensionem et discordiam inter utrumque ex ambitione et cupiditate natam singulari prudentia sedauit animosque aliorum ducum ac militum uirtute flexit suauitateque sermonis deleniit.

Quibus rebus quam celerrime fieri potuit compositis **51** prudentissimeque constitutis, praefectus Aluarum Holguinum cum primo agmine Guamangam praemisit, deinde Aluaradum, ne quam hic contendendi occasi-

2 esset *correxi* : esse SP || 3 Aluarum SP[2] : Aluaradum P *ut uid.* || 4 (iam .. iungerent) *sic distinxi*

onem cum illo haberet, ducere aciem iussit. ipse uero, cum eos milites quos Limae conscripserat iam collegisset, cum nouissimo agmine subsecutus est at magno qui-
2 dem cum labore. erat enim iter perdifficile atque flexuosum. altissimi undique impendent montes, in quorum iugis Indi domicilia sua ex lapidibus constructa et stramentis contecta habent. profundae etiam interiacent ualles, in quibus sementes faciunt. tum etiam multae siluae et flumina intersunt, quae iter impediunt. ipsi uero Indi uestibus laneis induuntur et Solem, ut ceteri, ex Hinga-
3 rum instituto colunt. ac primum Castrus ad Acon uenit, deinde ad eum fluuium descendit, qui ex Bombonis palude ortus Xauxam perfluit. huius autem amnis traiectum accolae Angoyacum uocant, ubi regia Hingarum hospitia cum balneis aquae natura calidae fuere, quippe Hingae et reguli et principes etiam feminae Perurae montanae lauationibus utebantur et frequenter in eiusce
4 modi balneas ueniebant. in eo uero itinere Ioannes Alfonsus Palominus, quem e Xauxa ualle in Ciuitatem Regum rediisse supra dixeramus, Vaccam Castrum, cum iam flumen illud ponte transiisset, consecutus est. qui ei mandauit ut e uestigio cum loricis, thoracibus ferreis aliisque armaturis, quas ex ea ciuitate afferebat, Guamangam ire pergeret ibique quinquaginta hastas, quibus totidem equites cataphracti, quos in proelium ipse contra Almagrum erat educturus, uterentur, faciendas curaret.

52 Ab eius fluminis ripis, quae mollibus aliisque arboribus fructiferis refertae sunt, ad Picoyum et inde ad

51 2 etiam *ante* multae S²P : *om.* S || 3 Angoyacum S *(cf. Cieza 433a)* : Anga- P

Pucaram, quae rem fortem et quidem merito significat, peruentum est. scopuli enim alti et frequentes eam circumdant instarque urbis esse aut arcis munitae procul uenientibus ac prospicientibus uidentur, in quibus humanae quaedam figurae uastae magnitudinis incisae insculptaeque sunt. inter quos etiam scopulos rupes quaedam ad ripam fluminis parui propter crassitudinem atque altitudinem (scopulos enim supereminet omnes) admiratione digna est. nam in summo eius cacumine arx, quae plane inexpugnabilis esset, commode construi posset. atque ea rupes in circuitu eas habet cauernas et speluncas, in quas et homines et iumenta se recipiunt, ut ab imbribus et niuibus, quae illic assidue cadunt, se defendant. inde uero praefectus uia regia iter faciens montem ascendit, in cuius uertice deuersoria Parci posita sunt, unde Petrum Anzurium non Alfonsum Aluaradum, ut Zarates scribit, in Xauxam reuerti iussit, ut milites qui prae lassitudine in uia remanserant colligeret eosque Guamangam adduceret. quod ille impigre exsecutus fuit. at uero Castrus ex eo iugo in fluuium qui Parcus uocatur descendit eumque per pontem, qui super binas pilas lapideas utrimque constitutas inectus est, traiecit et ad deuersoria Assangari Alfonsum Aluaradum, cui aciem ducendam dederat, consecutus est et una cum eo Guamangam contendit. ac deinde milites denos in singulos quosque ordines distributos eo consilio duxit, ut si hostes, sicuti renuntiatum erat, obuiam cum

2

3

4

5

52 1 Pucaram *correxi coll. Cieza 433a* : Pacuram SP || 2 etiam scopulos S² *(in marg.)* P : *om.* S | (scopulos .. omnes) *sic distinxi* | supereminet S : -nent P || 3 ille S² *(in marg.)* P : *om.* S

infestis signis uenirent, subito eos in agmina cogeret acieque instructa illorum impetum exciperet, reprimeret atque propulsaret. tum etiam ipse armatus equo leni cursu concitato nunc in unum ordinum latus, nunc in alterum obequitabat accuratissime quidem circumspiciendo, ne quis miles ex suo decederet ordine neue quis inermis inter armatos incederet.

53 Ac demum praefectus incredibili usus celeritate triduo iter confecit et Guamangam, quae a Xauxa ualle milia passuum centum uiginti abest, media circiter nocte peruenit. et quoniam castra in loco iniquo atque ita saxoso posita erant ut nec ingredi nec egredi quisquam equitando possset atque iis iugis et tumulis cincta, ex quibus exercitus regius magna ab hostibus incommoda 2 accepisset, copias in oppidum introduxit. ac continuo Castrus, ne se imparatum et inermem hostes adorirentur, milites in foro collocauit, tormenta campestria idoneis in locis disposuit instructaque acie noctem illam 3 insomnem atque in armis egit. et cum per Indos certior fieret Didacum Almagrum cum copiis iam iam adfuturum et illucente die in oppidum irrupturum, Ioanni Alfonso Palomino et Didaco Roiae et Francisco Caruaiali primo militiae praefecto imperauit ut colonos Hispanos quos suspectos haberent foras eicerent ac milites in officio retinendos curarent et oppidum praesidiis, custodiis uigiliisque etiam munirent. ipse autem exploratores mittit, qui ubi hostes essent, quid facerent, quid temptarent diligenter cognoscerent et ad se quam primum 4 referrent. post uero omnibus rebus prudenter administratis, praefectos et centuriones ad cenam uocat et cum

53 1 introduxit S : -ducit P || 3 illucente S : illusc- P

his de re bellica deque bello gerendo non sine magna omnium qui aderant admiratione agit et quid fieri uellet inter cenandum docet. mox cum praetoria cohorte in forum descendit ibique hostium aduentum exspectat.

54 Ceterum praefectus, cum iam illuxisset nec hostes usquam apparerent (erant enim in Bilcis, ut supra demonstrauimus, milia passuum ab Guamanga circiter quattuor et quadraginta), exercitum eduxit et castra haud procul ab oppido in loco edito communiit. 2 qui quamquam ex urbe Quito atque ex Caxae hospitiis Didacum Almagrum et duces et milites Hispanos qui ab rege desciuerant litteris saepe monuerat ne in rebellione perfidiaque persisterent sed cum equis et armis in castra regia uenirent, tamen amicissime eos admonendos et omnia quae ad pacem et ad concordiam spectarent prius temptanda quam rem proelio committendam existimauit, atque eo magis quod nactus erat hominem ad eam rem idoneum, promptum, expeditum et paratum Alfonsum Garsiam Zamarrillam Guamangae ciuem et Chiliensibus et Almagro notissimum, quippe qui et sub Didaco Almagro praefecto in Chilia militauerat et Didacum eius filium a Ciuitate Regum Guamangam usque secutus fuerat. 3 itaque hunc Indico tegmine amictum cum litteris, quas nonnulli duces atque equites iussu Vaccae Castri amicis suis qui in castris erant Almagri scribebant, et cum his mandatis misit: 4 Vaccam Castrum praefectum monere atque hortari eos ut in fidem regis sui, cui religione, iure iurando et legibus, quas iam perfregissent, obstricti essent, redirent et ab re

54 1 Bilcis S : Bilsis P || 2 spectarent S : expec- P | fuerat S^2 *(in marg.)* P : *om.* S

tam nefaria, in qua tam diu perseuerassent, desisterent; eos amorem, fidem, obseruantiam, pietatem et omnia
5 studia summa regi et patriae debere; iam tunc saltem experti quorundam tyrannorum ambitionem et uanitatem resipiscerent; neque enim decere, immo turpe esse eos Hispanos et genere et uirtute praestantes, qui Caroli Caesaris Augusti Hispaniarum regis nomine et auspiciis tot regiones inauditas lustrassent, tot regna subegissent, tot populos, gentes et nationes uicissent, ab eo deficere atque ea omnia occupare oppressaque ui et ar-
6 mis tenere; iam e uestigio ipsi ad se atque ad mores suos et in uiam, quoniam spe falsa atque fallaci erratum esset, redirent; optimum sane et tutissimum esse por-
7 tum paenitentibus consilii mutationem; quod si facerent et militarem operam, sicuti legibus tenebantur, regi suo praestarent, se sanctissime publica etiam fide data promittere non solum ipsis animaduersionem et supplicia, illis tantum exceptis qui Franciscum Pizarrum praefectum obtruncassent, remissurum et condonaturum, sed
8 amplissima etiam praemia daturum. quin etiam Castrus edicta et decreta regia et litteras, quibus praeter ueniam et impunitatem scelerum et flagitiorum spondebat se eis qui ad regem deficerent non modo sua omnia cum fide restituturum, sed Indos etiam atque agros assignaturum, per fora et uicos Cuschi poni et per nemora et siluas et per uias militares, quibus Almagrus copias erat ducturus, arboribus affigi et in castris eius, ut in manus militum uenirent, spargi iussit.

55 Sed nihil plane profecit nec eos umquam ex errore reducere in uiam potuit: non litterae, non peccatorum

5 ea S²P : *om.* S || 6 esse S²P *(cf. Cic. Phil. 12.7)* : *om.* S

impunitas, non promissa flectere ac mouere obstinatos ducum et militum animos potuerunt. uerum firmi et constantes in ea quam Cuschi fecerant coniuratione ad mortem usque adeo permanserunt ut uix unus aut alter fuerit qui Didacum Almagrum deseruerit aut in castra regia perfugerit. summa certe cum pietate atque fide 2 eum diligebant tantoque etiam amore officiisque omnibus prosequebantur ut non dubitarint iis qui ex castris regiis non desistebant ipsos litteris atque infinitis pollicitationibus incitare atque urgere ut Almagro relicto ad Castrum transfugerent hoc responsum reddere: eam 3 Noui Toleti prouinciam, quam Didacus Almagrus praefectus explorasset atque subegisset ac Cuschum Mango Hinga fuso fugatoque obsidione exemisset, suam esse et praefecturam Didaci eius filii et se acerrime eam defensuros et cum Caesare, si in Peruram traiecerit, acie conflicturos. nec tam nefaria uerborum iactatione et iniquitate contenti litteras omnis arrogantiae, impudentiae, contumeliae plenas ad praefectum mittunt.

Nec deerant uiri prudentes qui hoc reipublicae magis **56** expedire censerent quam aut eos uenia et impunitate eorum criminum quae fecissent concessa in castra regia uenire aut eas concordiae et pacis condiciones quae a praefecto proponebantur accipere; neque enim illi in dubium uocabant eam impunitatem maximam esse illecebram peccandi ideoque eos deinceps multo deteriores et promptiores, si ea assequerentur, ad omnia facinora patranda futuros, quippe iam praeuidebant non proditiones, non rebelliones, non latrocinia, non caedes, etiamsi

55 2 ipsos S^2P : *om.* S || 3 fuso S^2P : *om.* S | et *ante* se S^2P : *om.* S

Chilienses errorem deponerent et in gratiam regis et
2 reipublicae uenirent, in Perura defuturas. itaque satius
atque e republica esse dicebant nec ueniam sceleratissimis hominibus dandam, nec ullas praefecti litteras mittendas, nec edicta et decreta impunitatis figenda, nec denique pacis condiciones offerendas, sed rem ferro decernendam esse et patriae euersores funditus e uita tollendos et tot tantaque mala radicitus euellenda, ut Peruranae Cuschanaeque prouinciae libere a metu respirare et omnes in Perura summa cum concordia, pace, quiete
3 et fide in regem uiuere possent. atque eo magis quod proditores illi inter alia constituissent, si Vaccam Castrum praefectum una cum exercitu regio funderent atque superarent, primum eos omnes qui arma pro rege tulissent legatumque eius secuti fuissent et consilio et auxilio iuuissent occidere ac bona eorum publicare; deinde Paitam et Tumbezium firmissimo militum tor-
4 mentariorum praesidio munire; praeterea classem instruere et parare eamque, ne quid subsidii ex Nicaragua, Guatimala et Noua Hispania mitteretur, omni in ora Perurae maritima disponere; tum etiam Panamam et Nomen Dei atque uniuersam eam prouinciam quae Terra Firma uocatur militibus occupare atque ea etiam classe totam Perurae oram ultra Panamam percurrere et naues quae occurrerent demergere et quae in naualibus maris austrini essent comburere nec alias fieri permittere et quae in litus expulsae eiectaeque essent inflammari
5 et incendi iubere; ad haec societatem cum Sebastiano Benalcazare Popaianae praefecto, quem sciebant factionis esse Chiliensis, inire, ut is ex ea prouincia aditum in Peruram prohiberet atque defenderet; postremo, si res ita urgeret aut necessitas cogeret, tunc nihil sancti neque pensi habere, sed omne ius et fas delere et cum Gallorum rege, immo cum Mauris et Turcis foedus per-

cutere eosque in Peruram adducere ipsisque prouinciam tradere. sed enim Castrus, tametsi uera esse quae palam illi referebant intellegebat, tamen omnibus neruis contendendum atque laborandum existimabat, ut Didacum Almagrum et duces eius ac milites a tam nefario scelere reuocaret.

Erat ex his Chiliensibus unus Ioannes Dentius insignis et notus speculator et cursor. is per anfractus montium ignotos discurrens, cum uestigia niui impressa et recentia intueretur, ea usque tenuit, donec Alfonsum Garsiam Zamarrillam in quadam silua haud longe a Bilcis abdite latentem deprehendit. qui ideo in ea substiterat, ut clam et noctu in Almagri castra ingrederetur et mandata Vaccae Castri una cum litteris ad quosdam duces et equites perferret. sed tamen Dentius eum comprehendit et ad Didacum Almagrum adduxit, qui extemplo ipsum iure gentium uiolato suspensi iussit. tradunt Zamarrillam metu perterritum, ut se ex mortis periculo eriperet, Almagro dixisse Vaccam Castrum, si subito ipse eo signa inferret, facile uno proelio debellari posse, ut qui tantum quingentos milites Hispanos et eos quidem inermes, inualidos atque inuitos haberet ipsosque, simul atque Almagri signa conspicerent, statim Castro relicto praeter quosdam paucos Pizarranos ad eum transituros; sed fidem Zamarrillae non habitam eumque de arbore suspensum fuisse, quod Almagrus eum non nuntium, sed repentinum esse speculatorem sibi persuasisset, praesertim quod ipsum cum pedicis et

57 | 2 | 3

56 5 esse *ante* intellegebat, *quod* S *iterauerat, expunxit* S[2] | reuocaret S : -care P

57 2 eos *ante* Castro S : *deleuit* S[2]

stilis ferreis, ut aut equorum ungulas perfringeret aut ita affligeret ut illi suo haererent uestigio, inuenisset.

58 Verum enimuero praefectus, ubi castra in loco edito ac munito, ut supra dictum est, ad oppidum posuisset, exercitum recensuit et quinquaginta equites iis loricis et aliis armaturis quas Ioannes Alfonsus Palominus Lima attulerat et hastis quas idem Guamangae fieri curauerat instruxit. thoraces uero ferreos et alia tegmina inter eos milites qui erant inermes diuisit. aliis etiam uestimenta, aliis pecunias dedit. qua sane largitione et militum uoluntates redemit et promptiores eos et paratiores ad pugnam et ad omnem euentum habuit. 2 hanc autem exercitus recensionem summa cum admiratione (erant enim praeter Indorum auxilia circiter octingenti Hispani partim equites, partim pedites non solum instructi, sed omnibus etiam rebus ornati) Franciscus Lopezius Hidiachaeus Alfonsi Hidiachaei Caroli Caesaris Augusti scribae frater spectauit, utpote qui conspiceret Castrum multo maiores et instructiores copias tam equestres quam pedestres quam ipse existimauerat habere.

59 Is uero Hidiachaeus pridie eius diei, quam Castrus exercitum Guamangam induceret, eo uenit et postulata et litteras Almagri et ducum eius ad Vaccam Castrum detulit. 2 postulatorum haec erat summa: Castrus Petrum Aluarum Holguinum et Alfonsum Aluaradum et quosdam equites Pizarris coniunctissimos et amicissimos ex

58 2 Hidiachaeus *correxi hic et tacite posthac usque ad 7.61.1* (Franciscus Lopezius Hydiachaeus *nominatur, qui ante* Lopes Hidiacheus *appellatus est, cf. e.g. 7.20.1. de his nominibus cf. Zárate 503b et Cieza[2] 247a)* : Hyd- SP *(sed* Hid- *post 7.63.15)*

castris eiceret; quod si faceret, Almagrum data fide in castra regia iturum aut missurum legatum, qui nomine suo et ducum de pacis condicionibus cum ipso ageret; quod si eos retineret, nec Almagrum pacis condiciones quas ferret accepturum nec ab exercitu discessurum, sed fines prouinciae suae armis defensurum. plerique 3 credebant haec postulata ab Almagro interponi, quominus id quod opus ad proelium esset a Castro pararetur, ut hunc ille per occasionem incautum inuaderet aut his postulatis referendis et remittendis bellum in proximum annum extraheret aut saltem rem in hiemem, quae iam instabat, produceret, ut Castrus exercitum in hiberna dimittere cogeretur.

Qui, cognitis postulatis, quoniam haec magnam pacis **60** desperationem afferre uidebantur, litteras Almagri legit, quarum hoc erat exemplum: 'nuntius sane quam acerbus quem audiui adeo animum meum commouit ut, nisi hi deferrent qui se uidisse asserunt, induci ut crederem non possem. quis enim credat te, cum et iudex sis et nomine Caroli Caesaris Hispaniarum regis in Peruram uenias, ut pacem constituas et iustitiam exerceas, eorum auxiliis et consiliis uti, qui seditionibus prouinciam perturbarunt? quod non modo factum ante numquam est, 2 sed omnino in omni memoria inauditum ac plane indignum quod de tam excellenti uiro qualis tu et es et haberis nuntietur. nam Caesar te, quod iis ornamentis quae in aliis etiam summae dignitatis hominibus non insunt praeditus esses, in praesidem conuentus Panamensis, sicuti hic peruulgatum est, ideo elegit, ut con-

60 1 *interrogationis signum post* perturbarunt *addidi (de totius capitis sensu cf. Cieza*[2] *247a–248b)*

trouersias tolleres atque ita magna fide atque integritate omnia componeres, ut omnem Peruram metu liberares.
3 uerum non haec exsequi, sed ea quae Pizarri tam nefarie in Didacum Almagrum praefectum patrem meum commiserunt fouere mihi uideris, atque eo magis quod, cum isti tot tumultus, dissensiones ac dissidia in his fecerint prouinciis, non uenis ut haec exstirpes ac funditus tollas, sed ne tantorum semina malorum pereant, quae Pizarrani per totam Peruram sparserunt, quippe qui cum istis ipsis consensisti et contra me atque eos coniurasti, qui causam tam iustam et dignitatem meam defendunt et fines praefecturae Noui Toleti, quam Caesar Didaco Almagro quam optime de se merito dedit, armis tuentur, in quam ipse Caesar, ut princeps gratissi-
4 mus, me post obitum patris mei succedere uoluit. iam uero multi intercesserunt dies cum Antonius Gama iuris consultus et Consaluus Ferdinandus senator legati mei apud te sunt, ex quibus et ex litteris quas ipsis ad te dedi facile, si modo eis per aduersarios meos qui te comitantur colloqui tecum licuit, consilii factique mei causam rationemque cognoscere potuisti. sed cum nihil certi habeam nec quid illi de rebus meis tecum egerint sciam, Franciscum Lopezium Hidiachaeum hominem honestissimum et ornatissimum cum eiusdem argumen-
5 ti litteris et mandatis ad te mitto. qui pro pietate atque amore quem in Caesarem atque in rempublicam habet semperque habuit aegre fert tantas calamitates et detrimenta et clades magna cum prouinciae pernicie miseris Indis inferri, quam multo maiorem uidet futuram, si in

3 istis ipsis S : ipsis P^2 : istis P *ut uid.* ‖ 5 pro pietate S : proprietate P

eo perseueraueris proposito quod te habere omnes affirmant. is uero Hidiachaeus, cum a suspicione uacuus sit neutramque in partem animus eius inclinet, ut optime sciunt qui hominem familiariter noscunt, ultro se pro salute omnium tanto periculo obtulit et hunc laborem me inuito suscipere decreuit. est enim nunc maxime 6 periculosum iter per Peruram habere, propterea quod Indi, qui sunt in armis, nemini Hispanorum parcunt. qui et dicunt et asserunt se hoc tuo iussu facere. quin et Didacus Maldonatus tuo nomine ad Ioannem Spinosam, cui quosdam Indorum uicos commisit, sua manu scripsit, ut eos ad tantum facinus impelleret, Indosque etiam Palominus et alii Guamangae coloni instigant ut in Hispanorum qui iter faciunt perniciem incumbant. et Indi quidem toto animo et mente in id insistunt et indignissimas caedes faciunt; iam enim octo uel decem Hispanos, qui cum eo argento quod collegerant Hispaniam repetebant, in itinere obtruncauere atque spoliauere. uerum tamen Hidiachaeus, quamuis tantum uitae pericu- 7 lum subeundum esset, tamen, cum intellegeret id e Caesaris et reipublicae commodo esse, se suamque uitam deuouere et uiae se committere uoluit. is optime nouit omnia quae in Perura ab eo die quo haec in deditionem potestatemque imperii Hispani redacta fuit contigerunt et quae Pizarri fecerunt et in patrem meum atque in eos qui sequebantur ipsum commiserunt. Hidiachaeo 8 autem animum meum aperui, ut mentem sententiamque meam tibi explicaret ac rationem omnibus de rebus quae in his prouinciis gestae sunt redderet, ut qui pro-

6 spoliauere S : expo- P || 7 redacta fuit S[2]P : *om.* S || 8 redderet S[2] *(in marg.)* P : *om.* S

be sciat et me iustam causam ad obtinendum ius habere, quod mihi tribui et conseruari non confringi nec me
9 a te in hoc iure quod obtineo impediri uolo. ceterum cum Antonius Gama et Consaluus Ferdinandus haec ad te detulerint nec a te nec ab illis responsum fuerit mihi redditum, quod iam pridem redditum esse oportuit, ut intellegerem quae res te induxerit ut cum aduersariis meis te coniungeres, reliqua Hidiachaeus planius exponet, cui fidem habebis. nam is, cum sit uirtute praeditus, ne transuersum quidem digitum a recta ueritatis
10 semita discedet. sed tamen, ne longius procedam, haec tantum subiungam; hoc enim imprimis te scire uolo: me pergrauiter a te offensum fuisse, ut qui non sine magno reipublicae detrimento et incommodo meo cum non parua militum armatorum copia et quidem inimicorum meorum et, ut uerius dicam, Caesaris hostium
11 uenias. quod ubi mihi renuntiatum est (renuntiatum autem est Cuschi), cum instructissimis etiam copiis, ut obuiam agmini tuo occurrerem, ex ea sum egressus urbe, non ut infense tibi aduersarer, sed ut eis qui imperata tua facere recusarent arma inferrem. quod etiam, si necesse esset, nunc facerem auxilioque tibi uenirem, si compertum haberem te ab istis offendi, quorum ope
12 atque consilio uteris. itaque ob hanc causam et quod maxime ab illis mihi praecauendum putarem, in Bilcis castra posui ibique ideo substiti, ut ex his litteris cognosceres Caesarem uno atque altero decreto per beneficium et gratiam Didaco Almagro patri meo concessisse ut praefecturam Noui Toleti, quam ei dedisset, illi cui ipse uellet testamento relinqueret. itaque pater meus

9 *post* coniungeres *sic distinxi, plene* SP

ex Caesaris decreto, quod beneficii gratiaeque causa manu eius subscriptum habuit, testamento cauit ut ego post mortem suam in eam Noui Toleti praefecturam succederem. quod ita esse ex eo testamenti capite, si modo illud legisti quod cum aliis scriptis per Antonium Gamam et Consaluum Ferdinandum ad te misi, percipere potuisti. deinde ut tibi persuadeas uelim me et singulos duces et milites et omnes qui in castris meis sunt et esse et haberi uelle clientes et beneficiarios Caesaris, quippe qui ut tales subiecti sub uexillo eius regio militamus et pugnamus et decretum illud defendimus. et sane hanc causam iustissimam usque eo tuebimur, donec Caesar de acerbissima et turpissima morte, qua pater meus et complures alii qui sub ipso merebant affecti fuere, et de detrimentis et damnis, quae cum maximis iniuriis et contumeliis his ipsis facta sunt, certior fiat planissimeque intellegat patrem meum idcirco a Pizarris interfectum fuisse, ut opes eius auferrent, quibus eos corrumperent qui in contemptum sui principis aequi bonique facerent tantarum opum esse participes, ne scelera tam nefanda ac detestabilia ad Caesaris aures peruenirent. uerumtamen si Caesar imperat quod e republica dignitateque sua esse duxerit, dummodo certo sciam ipsum uere atque ex animo hoc dicere, primum continuo de iure meo atque de prouincia quam ex decreto regio obtineo decedam, deinde ego et duces et milites mei arma deponemus, post cuncti et quidem sine mora ante iucundissimum Caesaris conspectum ibimus supplicesque ad genua eius prouoluti et de interitu

13 omnes P : oẽs S^2 : *nescio quid in* S || 14 de *ante* detrimentis S^2P^2 : *om.* SP | quae *ante* cum S^2P : *ante* his S

Francisci Pizarri et de his omnibus quae in Perura perpetrata sunt nos ipsi purgabimus, tum denique docebimus atque demonstrabimus nos in causa aequum et bonum quod defendimus habuisse, ut ab eo liberationem
16 culpae et ueniam errati impetremus. atque utinam in animum induxisses tuum ut aut inimicos meos in societatem armorum non assumpsisses aut ab illis discessisses. quod si fecisses, aeque iussa tua ac Caesaris exsecuti fuissemus. quod si istam societatem tam nefariam non dirimis, hoc pro certo tibi affirmo: me ad arma contra inimicos meos iturum et cum exercitu, quem armis et equis paratum et ornatum habeo, fines praefecturae meae defensurum atque hostes qui in prouinciam Noui Toleti inuaserint non tantum propulsaturum, ue-
17 rum etiam obtruncaturum. quamobrem magnopere te hortor et moneo ut diligenter circumspicias ne quid plus mali inde nascatur ac tecum ipsemet cogites quantum Deus offendetur, quam iniquo animo Caesar hoc, si contigerit, feret. ne committas ut nubila quae concreta sunt resoluantur et abrupti nubibus ignes concursent multoque maiorem calamitatem indigenis et aduenis quam antea ipsi accepere, quae certe maxima fuit, affe-
18 rant. quare satius esset utrumque nostrum bello absistere et ab armis discedere quam alterum in alterius praefecturam exercitum inducere. hoc a te postulo, ut te finibus prouinciae tuae contineas et praefecturam Noui
19 Toleti, quam Caesar mihi dedit, relinquas. tum etiam uelim edicas ut uiae militares, quae nunc sunt obsessae

15 perpetrata S : perpretata P || 16 tam S²P : *om.* S || 17 abrupti *corr. To., cf. Lucr. 2.214* : abruptis SP *fort. retinendum coll. Verg. A. 3.199*

atque interclusae, sint patentes omnibus et apertae, quibus Indi et coloni Hispani et tuto et sine metu iter per Peruram facere et quiete et libere uiuere iam possint. nam quis miseratione non permouebitur uidens Indos tam fractos, tam afflictos calamitate et maerore, denique ad perniciem profligatos atque perditos? ceterum oportet exspectare ac scire quid Caesar his de rebus statuerit et decreuerit. equidem id quod ille imperauerit omnino exsequar et uoluntati eius oboediam et parebo. hoc itidem ut facias etiam atque etiam a te peto et summe contendo quantum iure possum et debeo. ac te per Deum perque Caesaris fortunam oro atque obtestor ne patiaris ante oculos tuos omnia infanda fieri. quod si tu in sententia tua et aduersarii mei in prauitate sua perstant, iam praedico et ante denuntio (hoc enim meo iure tibi dico) caedes et omnia latrocinia quae deinde in Perura fient et detrimenta quae miseris Indis inferentur et amissiones uectigalium regiorum, quae nec exercentur nec exiguntur nec Caesari penduntur, tibi tuisque ducibus et militibus non mihi nec meis attribuenda esse, utpote qui inimicorum meorum potentia fultus et militibus armatis stipatus et nimia cupiditate praefecturae meae incensus in hanc Noui Toleti prouinciam accedis, quae et sub Caesaris est potestate et quam ipse mihi regendam defendendamque dedit. aduenisti uero utique ex Hispania in Peruram gerendi potius belli causa, cum sis pacis non Martis minister, quam uoluntate pacis inter me et aduersarios meos, qui te comitantur, conciliandae, scilicet ut imperium etiam in mea prouin-

20

21

22

19 *post* perditos *sic interpunxit* S : *plene distinxit* P || 21 (hoc ... dico) *sic distinxi* | exiguntur] -guuntur SP

cia habeas et me meosque, qui ab excursionibus hostium eam tuemur, occisione occidas. uerum ut haec eadem repetam quae te aperte iam monui, iterum et saepius praedico te tantorum malorum quae in dies ingrauescent causam fore, nisi ea sedaueris uel potius sustuleris et si procellam quae impendet non deuitaueris, ne naufragia maxima ac miserrima fiant. nam quod
23 ad me attinet, rem quantum fieri poterit in aduentum Hieronymi Zurbani, quem legatum ad Caesarem misi, extraham, nisi proelio a te lacessitus compellar me dignitatemque meam defendere et hostium impetum, ne ab illis opprimar, propellere. Zurbanum uero iam ex Hispania cum litteris et decretis Caesaris in Peruram reuersum esse arbitror. ex quo et ex litteris Caesaris quas ad me defert quid me facere oporteat plane intelle-
24 gam. quod si bellum, quod mihi, ut uideo, infers, in pacem et concordiam non conuerteris aut si contra quam te monui feceris, armis, ut controuersiam finiam, tecum decernam nec acie, nisi uictor aut uictus et fusus,
25 excedam. equidem spero Deum optimum maximum ita mihi fore propitium ut in ulciscenda patris mei morte fuit, ut prospere omnia geram et uniuersam Peruram in Caesaris dicionem redigam et ut uectigalia regia augeam et conseruem, quae seditiosi et furiosi illi homines et pacis turbatores, qui magno numero armati Cuscho exierunt, utique abrupere et in quaestum suum conuertere et cottidie conuertunt. nulla enim Caesar uectigalia
26 in Perura iam habet, quoniam omnia isti capiunt. qui Mangum Hingam iustum et legitimum Perurae regem

22 non, *quod* S *ante* procellam *perperam scripsit, expunxit* S² ‖
25 equidem S : et quidem P | Perura S : -ram P

in partes suas traxerunt feceruntque ne a me quamuis euocatus in hanc prouinciam ueniret. sed spero eum quam primum uenturum, qui tametsi est Indus, tamen contumelias, fraudes, fallacias, dolos, proditiones et omnia scelera Pizarrorum et eorum omnium qui tam sceleratae sunt factionis plane perspecta cognitaque habet. nec ignorat ipse me et qui me sequuntur ius contra 27 istos obtinere. is uero cum instructa Indorum multitudine iam progressus est, ut bellum euersoribus patriae et hostibus Caesaris ac tibi etiam, quod societatem cum illis inieris, faciat; et quidem ex animo faciet, si in ea societate perseueraueris, quamquam non dubito, si modo tuum ius tuamque libertatem tenuisti, ut certe tenere debuisti, numquam te animum offendendi mei habuisse. ex Bilcis pridie Nonas Septembris.'

Earum autem litterarum quas praefecti et centuriones **61** Didaci Almagri Hidiachaeo ad Vaccam Castrum dedere hoc erat exemplum: 'nondum tonitrum iustitiae, ad quam exercendam in has Perurae prouincias uenisti, audiueramus, cum fulgur iniustitiae quam exsequi cupis nos prorsus multos iam dies caecos reddit. et profecto 2 iniustum esset ut existimares nos Caesari subiectos esse nec nobis hoc ipsi persuadere possemus, ut tales clientes eius quales etiam uolumus dici et haberi essemus, si quod audiuimus silentio transiremus atque eius rei quae et ad Deum et ad Caesarem potissimum spectare uidetur non te libere admoneremus. quis enim sperabit et 3

61 1 tonitrum *correxi* : tonitruum SP[2] : tronituum P | audiueramus S : audieramus P | iniustitiae] *suspectum, cf. Cieza[2] 248b* | nos S : non P || 2 audiuimus S[2]P : audimus S *fort. recte, cf. Cieza[2] 248b*

confidet te propter cupiditatem inimicorum nostrorum, quorum consilio et praesidio in rebus tam pacis quam belli gerendis uteris, operam daturum ut pax, sicuti par est, bello praeferatur, quam Deus dilexit, quam Didacus Almagrus praefectus noster et ipsius Dei et Caesaris nomine, quippe cum utrumque reuereatur, mirifice colit? tum etiam nos eam confici optamus, quoniam Almagrum ad salutem omnium nostrum quam ad exitium propensiorem et ad pacem quam ad bellum inclinatiorem uidemus. 4 ceterum cum is legatus ad te mittatur, ex quo et ex his litteris uoluntatem nostram facile intellegere poteris (omnia enim ut tibi referret ei commisimus), hoc unum dicimus et te obsecramus, ut societatem quam cum aduersariis nostris coiisti extemplo dirimas atque ita te interponas et in medio colloces ut neutram in partem inclines, ut pax in eas condiciones quae sint aequae conueniat. 5 quae pax, quamuis sit iniusta, tamen in Perura utilior quam iustissimum bellum erit. quo certe bello et caedibus quae fient (non enim uitari poterunt, cum et armis et inimicis nostris comitatus uenias) et Deus et Caesar offendentur. itaque satius erit opem ad pacificationem quam ad bellum quaerere, praesertim cum non auctor belli sed exstinctor, non concitator seditionis sed pacificator esse debeas. 6 interim Caesar de Didaci Almagri causa cognoscet atque in eos inquirere iubebit, qui tanta facinora in Perura patrauerunt, auctoritatemque suam et decretum interponet et quod e republica commodoque suo erit prouidebit.

3 *interrogationis signum post* colit *scripsi* : *plene distinguunt* SP || 4 (omnia ... commisimus) *sic distinxi* || 5 (non enim ... uenias) *sic distinxi*

uerumtamen qui auxilio Didaco Almagro hactenus fuimus idem ipsi deinde uel ad obitum usque in defendenda retinendaque praefectura Noui Toleti ei adiutores erimus, quam primo Caesar Didaco Almagro patri, post eo mortuo Didaco Almagro eius filio dedit. quin etiam certum tibi affirmamus, si in sententia perseueraueris et cum inimicorum nostrorum manu ultra quam oportet progressus fueris, obuiam tibi armati ad fines praefecturae nostrae ueniemus eamque aduersus omne hominum genus tuebimur, usque dum sciamus Caesarem et quidem ex animo suo aliud hac de re statuisse atque decreuisse, nec inde discedemus, donec comminus cum hostibus signa conferamus et aut eos proelio fundamus atque armis exuamus aut fortissime in acie cadamus. quamobrem cum aperte uoluntatem nostram intellegas et scias nos aequum postulare, tum etiam amicos, socios, milites, equos, arma, tormenta bellica et magnam pulueris tormentarii et glandium copiam et ceterum belli apparatum habere, ad haec nos omnes animis esse offirmatis ad debellandum ingentem militum numerum, te iterum ac tertio oramus ut pacem tota Perura constituas eamque aliqua condicione et pactione non iniqua confirmes, ne quis eam perturbet. hoc a te petimus atque omnes plane unanimi et concordes et ea quidem reuerentia quam tibi praestare et debemus et tenemur te per Deum et per Caesarem obtestamur, ut pacem habeamus. quod si in sententia tua manseris nec ulla iam spes concordiae et compositionis erit, hoc ma- 7 8 9 10

9 glandium SP[2] : gladium P | *post* habere *sic interpunxi coll. Cieza[2] 249a* : *plene distinguunt* SP | debellandum SP[2] : bellandum P

nifeste denuntiatum ac praedictum uolumus, omnes caedes, rapinas, uastationes agrorum, direptiones sociorum, expilationes aerarii et depopulationes aedium sacrarum quae deinde fient non nobis nec Didaco Almagro praefecto, sed tibi, sed istis qui in comitatu sunt tuo imputandas esse, qui propter auaritiam et priuata commoda pacem multo sanguine disturbare cupiunt nec ullam fidei quam Caesari debent nec commodi eius rationem habent. 11 et certe tu ipse de officio decedis, qui pacem, ad quam te cohortamur, nobis eripis et quod a te postulandum erat nos postulamus, nihilo tamen setius toto animo atque opibus in id bellum incumbis, quod in nos, qui oboedientes et subiecti sumus Caesari, intendis, cum missus ab eo in Peruram fueris, ut discordias componeres, paci consuleres et rem ad concordiam adhiberes, tum uero omnes in officio atque eadem aequitate contineres, non ut Petrum Aluarum Holguinum et Gomezium Tordoiam et ceteros Hispanos huius belli quod nobis infers participes et socios et adiutores ac seditionis stimulatores qui cum illis Cuscho egressi in castra tua uenerunt in consilium admitteres. 12 qui, sicuti nobis renuntiatum est, tibi persuadent non solum facile te ac sine ullo detrimento et discrimine, si infesta signa nobis et Didaco Almagro intuleris, uictoriam consecuturum, sed in magnum etiam principem euasurum, quia milites audito nomine regio repente ad

11 eadem *post* contineres *perperam transposuit* P | Petrum Aluarum Holguinum et Gomezium Tordoiam S²P : Petrus Aluarus Holguinus et Gomezius Tordoia S | caeteros Hispanos S² : caeteri Hispani S *ut uid.* : ceteris Hispanos P || 11–12 in consilium ... est S² *(in marg.)* : non consilium ... est P : *om.* S

arma concurrent et Didacum Almagrum relinquent ac deserent, quorum alii ad te transibunt, alii in Chiliam se recipient. sed medius fidius haec quae isti tam incon- 13 sulte et temere dicunt longissime a nobis et a Didaco Almagro et a militibus absunt; religiosissime enim nomen regium colimus et ueneramur et quod dignitatis et commodi Caesaris esse censemus multo pluris quam uitam nostram facimus et decreta eius seruamus atque defendimus. quare hoc omni tibi asseueratione affirma- 14 mus: nos, simul ac primum exploratum erit te arma contra Didacum Almagrum praefectum mouere, statim animis ut in ultima spe obstinatis ad decertandum obuiam tibi ituros, ut uiribus et manibus inimicos nostros ulciscamur et persequamur, a quibus plurimas et grauissimas iniurias, contumelias et offensiones accepimus et multo plures ac grauiores, nisi nos ipsi defendimus, a te accipiemus; nam eos in amicitiam et patrocinium suscepisti precibusque ipsorum adductus et ira incensus in detrimentum et perniciem nostram caeco quidem animi impetu incumbis atque eo bellum intendis, ut uitam nobis eripias, qui propagare eam atque in pace et otio habere percupimus. sed iam uidemur ita hac de re ple- 15 ne et Deo et Caesari et exspectationi hominum satisfecisse ut apertissime planissimeque omnes intellegant nos sub imperio Caesaris semper fuisse ac perpetuo pro beneficiariis eius et quidem uerissimis habendos et dignitatis et honoris et maiestatis regiae tamquam fidelissimos clientes obseruantissimos et studiosissimos esse. quin et tui amantissimi essemus nec explicare ullis uer- 16

12 concurrent S : concurrerent P | ac S^2P^2 : ad SP || 14 ut ... spe] *suspectum, cf. Liu. 6.3.9.*

bis possemus quantum tibi deberemus, si beneficii loco hoc a te impetraremus, ut etiam atque etiam uideres et tecum ipsemet considerares quid agendum putares, quippe rem te dignam et Deo acceptam et Caesari gratam et prouinciae utilem facies, si neutri parti te coniungas et bello non te interponas et pacem utrique parti optes atque, ut medium decet amicum, eam componas et coagmentes et alteros alteris concilies, tum uero cum pace dimittas, atque eo magis quod nemo dubitat quin causam omnium iniquissimam et uoce et uerbis sustine-
17 as. quod si te ipsum non cognoscis nec ab incepto nec a defensione aduersariorum nostrorum desistis, imploramus et precamur Deum ut iustitiam suam ita in hac re promat et exerceat ut in Limensi urbe fecit. quod eum uelut iudicem aequissimum facturum speramus et uictoriam nobis, a quibus ius stat, sine dubio daturum.
18 sed confidimus te inspecturum hoc melius aequiusque esse quod petimus quam id quod aduersarii nostri suadent et rogant ideoque longius progrediendum non ex-
19 istimauimus. ex Bilcis IIII Nonas Septembris.' subscripserunt has litteras Ioannes Balsa, Didacus Hozius, Ioannes Tellius, Didacus Mendezius, Franciscus Cardenas, Martinus Bilbaus, Ioannes Consaluus Malauerus, Martinus Cotus, Petrus Onnatius, Ioannes Olea, Petrus Candia, Ioannes Perezius.

62 Vixdum Castrus unas et alteras litteras legerat, cum Franciscus Caruaialis in castra rediit, quem ille cum tri-

16 parti *post* neutri S : patri P || 17 incepto *correxi* : incoepto SP | urbe S[2]P : *om.* S || 18 aequiusque *scripsi. de sensu cf. Cieza[2] 249b* : aequius SP || 19 Consaluus] Gutterius *malim, cf. e.g. 7.34.1 et Cieza[2] 249b*

ginta equitibus excursum in Bilcarum fines miserat, ut, si posset, hostium consilia exploraret; sin minus, speculatores certis locis disponeret, per quos quid hostes facerent quidue auderent aut temptarent quam ocissime cognosceret. in Caruaialem uero, cum ipse huc atque 2 illuc excurreret, Franciscus Gallegus incidit, qui ad Castrum praefectum transfugiens ei rettulit Alfonsum Garsiam Zamarrillam, quem iure gentium tutum, illaesum atque indemnatum fore putabat, indicta causa condemnatum suspensumque subito Didaci Almagri iussu fuisse; Almagrum autem circiter sescentos milites Hispanos equis et armis instructissimos et ad omne facinus paratissimos in Bilcis habere; duces uero et milites, an- 3 tequam Cuscho exirent, coniurationem inter se fecisse ac iurantes per diuos fidem suam Didaco Almagro obstrinxisse armis sese eum defensuros, nullas pacis condiciones, quamuis aequas, cum Vacca Castro accepturos, sed fortissime pro defendenda Almagri dignitate aut in acie casuros aut uictoriam reportaturos; hoc animis offirmatis inter se statuisse atque decreuisse; proin- 4 de praefectus sibi persuaderet nihil se apud illos auctoritate sua sed uirtute ac celeritate profecturum, rem non litteris suauissimis neque hortationibus sed manibus et animis esse gerendam et tantam hostium regis ferocitatem et impudentiam armis coercendam atque puniendam. haec tametsi uera erant quae Gallegus exposuit, 5 tamen praefectum non deterruerunt nec animum eius a rebus gerendis auocarunt, ut qui omnes neruos eo intenderet ut, quoad fieri posset, proelio absisteret ac Di-

62 5 auocarunt SP : auocauerunt S^2 *(sed iterum in* auocarunt *correxisse uidetur)*

dacum Almagrum et duces et milites eius cum rege suo in gratiam reduceret.

63 Ceterum cum praefectus iam statuisset ac deliberauisset unis atque alteris litteris Didacum Almagrum et duces eius monere ut ab re tam nefaria, quae non solum summam ipsis perniciem latura esset, sed notam etiam ad ignominiam sempiternam inustura, desisterent, Garsias Leo iuris consultus in castra uenit et Didacum Almagrum et duces et milites qui eum sequebantur grauis-
2 sime apud praefectum accusauit. sic enim disseruit: 'quamquam neminem omnium, Castre praefecte, qui adsunt ignorare arbitror quam crudelissima et taeterrima facinora Didacus Almagrus, Ioannes Balsa, Didacus Mendezius, Ioannes Tellius et ceteri praefecti et centuriones equitesque et pedites qui pro Almagro arma ferunt quique partes eius fouent in Perura patrarint, tamen pro magistratu quo fungor et pro communi omnium salute breuiter demonstrabo et aperte ostendam istos alia scelera et facinora multo crudeliora et taetriora in diuos et homines et contra leges commisisse, ut plane intellegas ita manifesto istos teneri ut nullis argumentis ad probandum, nullis testibus ad euincendum condemnandumque sceleratissimos et perditissi-
3 mos homines mihi opus sit: hostes regis sunt, patriae proditores, templorum et gentium iuris uiolatores, qui postquam Franciscum Pizarrum, qui Peruram cum imperio regis nomine obtinebat, interfecerunt, tot tantaque crimina fecere quot quantaque nec hac actione comprehendere nec ad te quidem deferre, etiamsi uel-

63 1 notam S²P : ne tam S *ut uid.* | *post* desisterent *sic distinxi, plene* SP

lem, possem. quid enim magis impium quam Didacum 4
Almagrum sine ullo regis sui decreto se maximum Perurae praefectum fecisse? quid magis nefarium quam istum iurisdictionem regiam usurpauisse? quid sceleratius quam per tyrannidem Peruranas Cuschanasque prouincias, quae in ius potestatemque Caroli Caesaris Hispaniarum regis uenerunt, militibus praesidiisque occupauisse? quid immanius quam colonias et municipia Perurae diripuisse? iam uero Didacus Almagrus, cum 5
sub regis Hispaniarum imperio sit, tamen laesa maiestate regia exercitum ex perfidis, seditiosis, improbis et turbulentis hominibus contraxit, signa militaria Francisco Pizarro regis praefecto prius obtruncato et Ciuitate Regum direpta in regem et regis legatum et regis amicos, socios et clientes atque in eos qui a partibus regiis stabant extulit seque summum Perurae praefectum et appellari et accipi per uim iussit; tum etiam ui- 6
ros optimos, fortissimos, prudentissimos qui nomine regio ciuitates atque oppida Perurae tenebant et ius dicebant sese magistratibus abdicare coegit. quos magistratus iste hominibus suae factionis deterrimis, crudelissimis imprudentissimis, qui rempublicam euerterent, sicuti certe euerterunt, praedae loco dedit; tum denique uectigalia regia non solum exegit et pecuniam in rem suam conuertit, sed deteriora etiam fecit: aerarium expilauit et pecunias defunctorum et pupillorum in aedibus sacris depositas abstulit. quid caedes caedibus accumu- 7
latas, quid infandas rapinas, quid funesta latrocinia in uiis publicis, in coloniis, in municipiis, in uallibus et

7 *post* accumulatas *et* rapinas *sic dixtinxi* : *interrogationis signa scribunt* SP

Perurae regionibus a ducibus et militibus Almagri facta enumerem? quid sublatis legibus et iudiciis templorum spoliationes, Perurae expilationes, sociorum uexationes atque direptiones et agrorum uastationes dicam? quid principes Indorum uiuos exustos et nobilissimos Hispanos, quod partibus regiis fauerent, omni supplicio et
8 quidem incognita causa interfectos referam? sunt enim haec tam nefaria crimina usque adeo omnibus nota atque manifesta ut in his ad te deferendis nihil sit quod magnopere laborem. non Almagrus, non duces et milites eius decretis atque edictis regiis, quibus Caesar Christophorum Vaccam Castrum ornauit, quibus utramque Peruram ei gubernandam dedit, audientes sunt, qui cum regi Hispaniarum subiecti sint, tamen decreta regia perfringunt et decretis atque edictis suis colonos Hispanos et Indos infestant atque eos omnes in Vaccam Castrum praefectum et legatum regium con-
9 citant. neque enim ignorant ipsum primum Quiti, deinde Piurae et Trugilli, post Limae et Cuschi, postremo per uniuersam Peruram ex decreto regio quod ipse manu Caroli Caesaris subscriptum et signo regio obsignatum protulit omnium ordinum assensu et appellatum et acceptum maximum Perurae praefectum et legatum
10 regium fuisse. at nihilo tamen setius Almagrus in Caesaris maximi contemptum Cuschum occupauit, ciues fugae et formidinis impleuit, omne scelerum et flagitiorum genus una cum ducibus et militibus suis admisit, ius sacrum, publicum et priuatum uiolauit atque imminuit; tum uero iurisdictione regia contempta Antonium Gamam iuris consultum aliosque uiros honestissimos,

10 iurisdictione S²P : -tionem S

qui ciuibus nomine regio iura reddebant, magistratibus abire compulit. quos iste non regis, non Castri praefecti 11 regii sed suo nomine ab iis haberi uoluit, qui rapinarum ministri essent, qui omnia iura diuina atque humana peruerterent, qui ciues perderent atque affligerent, qui nihil pensi neque sancti haberent, sed omnia miscerent atque turbarent. quid quod eo impudentiae Dida- 12 cus Almagrus processit ut Cuschi in medio foro suggestum exstruxerit, ex quo, cum duces et milites in contionem conuocasset, orationem ex scripto recitauit, qua eos omnes in suam sententiam traxit? quorum singulos et uniuersos altari, quod ex aduerso suggesti positum erat, admotos sacris tactis iure iurando adegit se dignitatem eius aduersus omne hominum genus armis defensuros. ipse etiam conceptis uerbis iurauit se Perura in potestatem suam redacta gratiam ipsis relaturum et Indos et agros et uectigalia regia diuisurum. qui, quo 13 defectionem, rebellionem et perfidiam suam fortius tueretur, tormenta aerea Cuschi fundi et maximam glandium et pulueris sulpurei copiam fieri omniaque ad bellicum usum necessaria parari curauit. ad haec autem conficienda aerarium exhausit, rempublicam compilauit, ciues locupletissimos omni auro et argento spoliauit. huc accedit quod tres milites Hispanos, qui in templi eius urbis maximi aram confugerant, ne arma contra regem suum ferrent, ui in publicum extrahi interficique iussit. deinde exercitum latronum Cuscho eduxit et in 14 Bilcarum deuersoriis, quae ab hoc oppido Guamanga milia passuum quadraginta absunt, castra posuit. ibi

12 extruxerit S^2P : extruit S *ut uid.* | ex *ante* scripto *om.* P | *interrogationis signum post* traxit *scripsi* : *plene distinguunt* SP

nunc iste cum exercitu consistit seditiones concitando, Indos ad rebellionem sollicitando et milites Hispanos magnis praemiis et pollicitationibus ad bellum undique
15 arcessendo et attrahendo. ex Bilcis uero Petrum Lopezium Hidiachaeum cum binis ad te litteris misit, unis ab se, alteris a duodecim ducibus suis subscriptis atque obsignatis, ex quibus atque ex aliis litteris quas Antonius Gama iuris consultus et Consaluus Ferdinandus senator Cuschanus in Xauxam pertulere perspicuum est et plane constat Almagrum et duces et milites eius in defectione, proditione, infidelitate atque impudentia
16 persistere. itane scelerati atque nefarii homines sanctissimum iustitiae nomen offendent? itane Caroli maximi Caesaris maiestatem laedent? itane rempublicam funditus euertent? itane colonos Hispanos et Indos qui sub
17 imperio regis Hispaniarum sunt perdent? exsurge iam, praefecte, exsurge et erige te e uestigioque signa conuelli iube et pro persona quam sustines (sustines autem maximam tuam Caesaris et reipublicae) istos Perurae euersores armis persequere et tam detestabilem et perniciosam pestem comprime, exstingue atque omnino dele et nos metu ac sollicitudine et rempublicam super-
18 bissimo crudelissimoque dominatu libera. non benignitate, non hortatione, non precibus quibus cum istis egisti adduci potuere ut in fidem regis sui redirent, non litteris neque nuntiis quos misisti ab incepto furore reuocare umquam quiuisti, etiamsi sancte adiuraris te praeter interpositam fidem publicam impunitatem et

15 Petrum] Franciscum *malim, cf. e.g. 7.65.2 et adn. ad 7.58.2* || 17 erige te *corr. To.* : erigete S : erigite P | (sustines ... reipublicae) *sic distinxi*

ueniam scelerum et flagitiorum omnibus praeterquam his qui Franciscum Pizarrum praefectum trucidauissent daturum. quae profecto litterae, ut in manus et notitiam omnium uenirent, affixae per uias regias, per siluas et deuersoria ad Cuschum usque in saxis atque in arboribus fuere. nec praefectus ab ea re quam instituerat et in qua omnes neruos contenderat, ut istos ad salutem reduceret, umquam cessauit; nam et Alfonsum Garsiam Zamarrillam Guamangae ciuem et inter Chilienses notum cum eiusdem argumenti litteris post Hidiachaei aduentum ex his castris regiis in Bilcarum regionem misit. quibus et Didacum Almagrum et duces et quosdam equites monebat ut ad se uenirent et operam militarem regi suo praestarent: se quod aequum bonum esset facturum et suum cuique ius redditurum et scelera quae ad eam diem admisissent ipsis nomine regio, interfectoribus Francisci Pizarri praefecti dumtaxat exceptis, condonaturum. sed enim isti nec fas nec fidem pensi habuere, ut qui repente ac ne exspectato quidem earum litterarum quas Hidiachaeus ab eis ad praefectum attulerat responso Alfonsum Garsiam Zamarrillam ex arbore crudelissime suspenderint. quis non uidet istos, qui scelera sceleribus cumularunt, qui ius gentium uiolarunt, in errore perseuerare? itaque confestim et sine mora et sine ullo quidem iuris ordine ac iudicii formula in istos ut in regis rei publicaeque publicos hostes agendum est, qui manifestis criminibus et atrocissimis et multis testibus sunt conuicti. nec istos puto, quamuis data fide publica per uiatorem uocentur, ad iudicium adfuturos, sed simulatis potius pacis et concordiae condicionibus, eos per occasionem nos subito inuasuros. et sane non uideo cur in istos tamquam in absentes agi nec cur longius nec eo ordine et modo quo legibus et sanctionibus regiis cautum est

19 20 21 22 23

procedi debeat, sed extra ordinem et minimis quidem temporis dilationibus iudicium exercendum esse puto, quippe cum isti in Bilcis castra posuerint et in armis sint, perinde ut praesentes non absentes habendi sunt.
24 sed quid singula consector et colligo, quasi uero facinora quae isti patrauerunt non sint omnibus quam maxime manifesta? in quibus non modo norma iuris non requiritur, sed ne seruari quidem debet nec quisquam iudex dicere iure posset non liquere, quoniam crimina istorum non obscura sed perspicua, non ficta sed certa sunt. itaque istos confestim iudicio damnari non amplius pronuntiari oportet.
25 quin et poenae ab istis expetendae sunt quas altera actione proposui, quam in Xauxa ualle habui, quibus tam nefaria scelera expientur. etenim si lex regia eos uocat proditores qui a rege suo deficiunt, tum propter rebellionem quam faciunt, tum propter uim legis quae uetat ne quis principem et caput defectionis sequatur, quae etiam iubet ut omnes, simul atque defectionem fieri audierint, etiamsi non uocentur, statim cum armis in auxilium regis sui prodeant et defectioni, ni proditores esse uelint, acriter resistant, quis dubitabit Didacum Almagrum et singulos duces et milites atque uniuersos qui cum illo rebellarunt proditores esse atque hos omnes in idem proditionis crimen atque Almagrum incurrisse eisdemque poenis et acerbissimis suppliciis afficiendos esse? quippe qui rebellionem fece-

23 procedi debeat SP[2] : procedi***P | minimis] *an* minimi? *cf. e.g. Cic. Phil. 3.2* || 24 *interrogationis signum post* manifesta *transposui, quod in* S *post* colligo *uix legi potest* : *om.* P || 25 *post* uetat *non interpunxi* : *plene distinguunt* SP | *post* sequatur *et* resistant *sic interpunxi* : *plene distinguunt* SP | dubitabit *corr.* P : dubitauit S | qui cum P : quicum S

re qui bellum regi suo et Vaccae Castro eius legato intulere, qui rempublicam armis oppressere atque haec regna Perurana per uim occupauere. quamobrem, Castre praefecte, cum haec pateant et omnibus sint nota, a te postulo petoque ut de Didaco Almagro, de Ioanne Balsa deque ceteris praefectis, centurionibus, equitibus et peditibus quos in iudicium adduxi (nec certe reos magis damnatos adducere potuissem) sententiam secundum legis regiae praescriptum feras et per praeconem magna uoce istos esse proditores pronuntiari iubeas. 26 dent iam isti temeritatis, saeuitiae et perfidiae suae poenas easque Caesari, quem tam nefarie offenderunt, et reipublicae, quam tam impie euerterunt, morte dependant. non iudicium, non poenas differendas esse censeo, sed istos utpote in facinoribus manifestis deprehensos sine mora condemnandos atque eas poenas de istis capiendas quae lege regia et aliis legibus in proditores et sicarios, in sacrilegos et pacis concordiaeque turbatores sunt constitutae. 27 nam inter alia scelera et crimina nefaria ac manifesta quae fecerunt et in singulas horas faciunt Gomezium Roiam, equitem ornatissimum et legatum tuum, in uinculis Cuschi habuere et Alfonsum Garsiam, nuntium tuum, nuper in Bilcis suspendere. an non istos, qui tam ferum immaneque facinus commiserunt, praesentes potius quam absentes esse iudicabis? 28 non iam denuntiationi, non comperendinationi, non legi ampliandi, non hortationi locus est, sed extemplo 29

26 a te postulo SP² : *om.* P | (nec ... potuissem) *sic distinxi* || 27 s(a)euitiae SP² : seuiae P *ut uid.* | nefarie ... quam tam SP² : *om.* P || 29 legi ampliandi] *dubitationem maximam mouet, cf. e.g. Cic. Ver. 1.26*

isti absentes in reos referendi et indicta causa capite damnandi sunt, atque eo magis quod isti se tot sceleribus et criminibus capitalibus obstrinxere, ius humanum confregere, maiestatem regiam laesere, Peruranas Cuschanasque prouincias compilauere, fana et delubra exspoliauere, colonias et municipia diripuere ac tum denique amicos et socios Caroli Caesaris Hispaniarum regis partim in uinculis omni supplicio excruciatos necauere, 30 partim uirgis caesos et dilaceratos palis affixere. quis non istos rei capitalis reos faciet? quis capitalibus et grauissimis legum poenis in istos non animaduertet? quis noua et singularia suppliciorum genera non excogitabit, quibus caedes colonorum Hispanorum caedibus istorum proditorum expientur et sanguis multorum in- 31 nocentium sanguine perfidorum luatur? haec celeriter, animose et fortiter facienda et astute et accurate exsequenda sunt. sic peccatorum atrocitas exposcit nec aliud furor et petulantia et perfidia et impudentia in qua isti perstant fieri permittit. hoc e Caesaris commodo est et reipublicae expedit. quod si aliter atque ego postulo fieret, et Caesar et respublica maximum detri- 32 mentum caperent. quin si opus et necesse est, denuo istos accuso et ad te defero, quorum nomina in eo indice quem in Xauxa ualle obtuli continentur, etiamsi in hac actione non sint eo iuris ordine et norma qua teneor a me expressa et, ut tandem dicendi finem faciam, abs te peto atque uehementer contendo ut quam celerrime fieri poterit uim iustitiae in istos proditores et regis hostes exsequaris: hoc Deo optimo maximo accep-

30 *interrogationis signum, quod* SP *post* excogitabit *scribunt, post* luatur *transposui*

tum et Caesari gratum et reipublicae utile erit atque salutare.'

Ad haec praefectus respondit non se dubitare quin **64** Didacus Almagrus et duces et milites ac ceteri qui partes illius fouent atque defendunt multo maiora et atrociora crimina fecerint quam Garsias Leo ad se una atque altera actione detulerit; tum etiam se satis exploratum habere eos nefariis ac manifestis criminibus et multis testimoniis conuinci et non iis modo suppliciis quae legibus regiis in proditores constituta sunt coercendos, sed crudelissima etiam morte mactandos esse; at nihilo 2 tamen setius omni studio se in id incubuisse, cum isti Caroli Caesaris Hispaniarum regis clientes fuerint egregiamque operam in explorandis, lustrandis subigendisque Perurae regionibus nauarint, ut eos ab incepto furore reuocaret atque in gratiam cum rege suo reduceret; uerum quamuis ipse ualde contenderit atque elaborarit 3 ut id consequi posset, tamen nihil auctoritate sua adhuc profecit; nec idcirco se conatu nec sententia sua destiturum nec se eo commoueri, quod Almagrus exercitum fortissimorum militum Cuscho eduxerit et in Bilcis castra posuerit, quod iure gentium uiolato grauissimas sibi etiam iniurias cum propter Gomezium Roiam legatum suum Cuschi in carcerem coniectum tum maxime propter Alfonsum Garsiam in Bilcis de arbore suspensum intulerit; quas certe iniurias tam publicas quam 4 priuatas, licet non propulsare modo sed ulcisci etiam ipse debuisset, tamen communis concordiae causa uoluntaria quadam obliuione eas contriuit. atque ideo proelio quod isti se per litteras in castra regia illaturos

64 1 altera SP[2] : *om.* P

minitantur, si fieri posset, abstinere uelle, ut rempublicam a periculo prohiberet salutique omnium prospiceret, ne caedes indignissimae, ne latrocinia taeterrima inter
5 Hispanos fierent. tum denique unum illud firmissime asseuerauit, ut rem quam incohauerat ad exitum perduceret; se Didaco Almagro et ducibus rescripturum eosque hortaturum ut tantam infamiam fugerent et ab armis discederent et in fidem regis sui redirent; praeterea se iis fidem publicam daturum quos Almagrus et duces cum potestate ad se mitterent, ut de pacis condicionibus quas ipse offerret secum agerent; ad haec certam diem, qua in castra regia uenirent, ipsis praestituturum;
6 quod si contra atque ipse imperaret illi facerent nec litteris suis humanitatis et adhortationis plenissimis moniti furere desinerent nec arma ponerent nec legibus regiis, quae in edictis erunt insertae, parerent, tunc medius fidius sese omni ope atque opera enixurum atque effecturum ne quid detrimenti respublica caperet et quod e Caesaris commodo eque communi omnium salute esset impigre exsecuturum.

65 Itaque praefectus uocatis ad se Francisco Paccio et Petro Lopezio (erant enim ambo scribae regii) praecepit ut edicta cum legibus regiis et poenis quae in proditores constitutae sunt conscriberent atque in his edictis ea nefaria scelera et flagitia insererent, quae Didacus Almagrus et duces et milites et ceteri regis et reipublicae hostes in Perura commisissent, ex quibus ipsimet plane

5 praestituturum S^2 *ut uid.* : praestiturum S *ut uid.* : praestitutum P ‖ 6 quod *post* et SP^2 : *om.* P | èq; SP (éq^e.) : aeque *perperam legit To.*

65 1 (erant ... regii) *sic distinxi*

intellegerent se in crimina proditionis et atrocitatis incurrisse et manifesto teneri et proditores pronuntiari et morte damnari debere, atque ea omnia in litteras publicas, unde, si res exigeret, transcribi possent, referrent. ceterum praefectus litteras cum edictis, cum nemo eas 2 perferre auderet, quod sibi quisque praecauendum putaret, ne suspendio uitam sicuti Alfonsus Garsias in Bilcis finiret, perferendas Francisco Lopezio Hidiachaeo et Didaco Nunezio Mercado dedit. erat autem hic Caroli Caesaris procurator et ducum Chiliensis factionis, antequam a rege suo desciscerent, amicus; ille uero Didaci Almagri legatus et familiaris. quos extemplo praefectus 3 ad eam rem conficiendam scribas regios et nuntios et uiatores creauit eisque imperauit ut unas litteras in conspectu militum Didaco Almagro, alteras ducibus redderent; edicta uero, ut in omnium notitiam uenirent, in castris proferrent, legerent atque explicarent; tum uero illis omnibus praedicerent atque denuntiarent ut in fidem regis Hispaniae, qua decesserant, confestim, nisi proditores mallent haberi, redirent atque arma ponerent; denique sex dies ad ueniendum in castra regia spatii ipsis praefinirent. haec omnia Hidiachaeus et Merca- 4 dus se diligentissime facturos recipiunt sanctissimeque promittunt. eius iuris iurandi uterque scriba regius fidem fecit.

Adfuere autem honoris causa, cum praefectus id one- **66** ris Hidiachaeo et Mercado iniungeret, Didacus Maldonatus, Gomezius Tordoia, Garsias Montalbus, Alfonsus Orihuela et alii uiri fortissimi, qui, quoniam pacem co-

3 tum uero illis omnibus praedicerent SP[2] *(in marg.)* : *om.* P | decesserant S : desce- P

lebant et reipublicae afflictae et perditae mederi atque de ipsa bene mereri studebant, magnam in spem ueniebant Didacum Almagrum et duces eas pacis condiciones quae a praefecto proponerentur accepturos ac milites audita scelerum et flagitiorum uenia et impunitate quam praefectus nomine regio ipsis dabat Almagrum, si condiciones pacis et concordiae recusaret, deserturos
2 atque e uestigio in castra regia ituros. alii uero, qui ingenia, animos et mores ducum et militum factionis Chiliensis optime nouerant, longe aliter atque illi sentiebant constanterque affirmabant nec Didacum Almagrum ullas pacis condiciones, quamuis aequas, accepturum nec duces nec milites ulla gratia, spe, promissis
3 induci posse ut Almagrum relinquerent. sed enim praefectus, tametsi his fidem potius quam illis habendam uidebat, tamen, quo iustius Didacum Almagrum et duces et milites eius proditionis, rebellionis, perfidiae conuinceret atque condemnaret, eas litteras quas Hidiachaeo et Mercado daturus ad illos erat sua manu scripsit atque obsignauit.

67 Litterarum uero ad Almagrum hoc erat exemplum: 'litterae tuae quas Franciscus Hidiachaeus mihi reddidit fecere ut edicta regia conscribi et ad te mitti iuberem. et quamquam pro munere quo fungor aliud facere nec potui nec debui, nihilominus tamen hoc tibi affirmo: si ad me ueneris et aequum postulaueris, te ius tuum contra aduersarios obtenturum; deinde uero eas condici-

66 1 *post* accepturos *non interpunxi* : *plene distinguunt* SP || 3 his S : hi* P | daturus S *ut uid.* : daturos P

67 1 quànq̃; S : quànquam P *siglo recte intellecto* : quamque To.

ones et pactiones de tota discordia faciemus, quae Deo gratissimae sint et Caesari probentur; quin et firmissima pacis et salutis fundamenta iaciemus, quibus uniuersa Perura a metu respiret et ab armis conquiescat et tu ducesque tui et milites odio, infamia, periculo liberemini. et quo te hic tutissime fore putes, fidem publicam 2 una cum his litteris accipies, quam et tibi et illi ipsi, quemcumque in castra regia cum potestate et procuratione negotii tui miseris, do. at uide ne causam tuam diplo- 3 matis praesidio, quo maxime niteris, infirmes potius quam confirmes; nam et diploma illud Didaco Almagro patri tuo datum et aliud non dissimile quod Franciscus Pizarrus praefectus habuit, quo suae quisque prouinciae successorem quem uellet relinquere posset, irritum est factum et utrumque nouo diplomate quod mihi Caesar dedit, ut ad te saepe scripsi et tibi satis constat, plane abrogatum est nec reuiuiscere potest. equites autem qui 4 castra regia sequuntur haud impedimento sunt, quominus, si ius petieris, iustitia in ipsos agitetur, nec certe iudex eos qui in comitatu sunt suo spernere nec reicere debet; idem enim iuris et honoris tibi quod illis, si in castra regia ueneris, habebitur. et sane commodum et 5 aptum tibi erit aduersarios tuos, si quos conuenire uolueris, ut ius tuum exsequaris et contra ipsos retineas, hic coram potius quam absentes habere, praesertim cum neminem ex Pizarri amicis et domesticis mecum uenire sciam. Guamangae VI Idus Septembris.'

Litterarum uero praefecti ad duodecim Almagri duces **68** hoc erat exemplum: 'ex litteris uestris intellexi (diligenter

3 datum S^2P^2 : dat* S : datam P | suae S : suo P
68 1 (diligenter ... perpendi) *sic distinxi*

enim ego hoc perpendi) uos sub uexillo regio, etiamsi longe aliud scribatis, operam mihi, ut par est, nauaturos. nec me subscriptiones uestrae mouent; nam quantum intellectu et coniectura consequi possum, quidam, cui certe placere magis quam rem ad arma deduci studetis, eas postulauit. sed ne dubitetis id exsequi quod
2 dico uelim, in animum inducatis uestrum uos legibus obstringi ut operam in re militari regi uestro praestetis, et poenas uobis, si contra feceritis, irrogari. idcirco edictum regium una cum his litteris mitto. hoc legite et iam ante animo et mente prospicite quanti uestra intersit incommodis mederi, saluti prouidere, famae atque exspectationi consulere. ego uero amore, honore et omnibus officiis aeque ac si pater essem uester uos prose-
3 quar. ceterum iam antea uobis per litteras significaui atque adeo aperte ostendi diploma illud quod Didacus Almagrus praefectus habebat, ut eum quem prouinciam gubernare uellet testamento declararet, usque eo datum esse, donec Caesar aliud prouideret atque id ipsum Almagrus nomine suo et in libello a se tradito postulauit. itaque cum Caesar aliud prouiderit et me summo cum imperio in has Perurae prouincias miserit, non est quod rem longe a ueritate, iustitia, fide quam regi uestro debetis remotam diplomate illo iam sublato tam leuiter funde-
4 tis. nec etiam decet eos equites qui castra regia sequuntur ex comitatu meo eicere, et eo minus quod multo commodius hic quam alibi ius suum cuique uestrum reddetur, si quod contra illos obtinueritis. Guamangae VI Idus Septembris.'

coniectura S : coiectura P || 2 his SP^2 : *om.* P || 4 nec S : neque P

Ceterum praefectus litteras fidei publicae hunc in **69** modum dedit: 'quoniam Didacus Almagrus et duces eius legatum cum quibusdam litteris miserunt, qui nec procurationem nec potestatem his de rebus agendi habet, quae uel ad Peruram pacandam uel ad controuersias tollendas uel ad rebelliones seditionesque sedandas pertinent, quae in ipsa prouincia hactenus factae sunt et cottidie fiunt, ego Christophorus Vacca Castrus, militiae Diui Iacobi eques et senator regius et utriusque Perurae praefectus et dux maximus, optimum factu putaui, cum uehementer cupiam et optem his de pacis condicionibus mecum agi, quae ad Dei laudem, ad Caesaris commodum et ad prouinciae quietem atque pacificationem spectant, ne, si fieri possit, cum Didaco Almagro et ducibus eius confligam, has litteras fidei publicae eis mittere, ut is, quem ipsi uelint, etiamsi iste quaecumque delicta antea commiserit eoque ipso die fecerit, libere utpote ab omni iniuria tutus in castra regia uenire possit. proinde Caroli Caesaris Hispaniarum regis nomine 2 accipio sub fidem et tutelam et praesidium regium eum qui fide publica accepta ad me uenerit et liberam a Didaco Almagro et a ducibus eius habuerit potestatem agendi mecum et decernendi his de rebus quae ad pacem et concordiam et communem salutem maxime conueniunt. is uero idem et manere in castris regiis et 3 redire ad Almagrum sine ullo metu, impedimento, molestia et periculo poterit, quippe qui profiteor tam a me quam ab aliis omnibus qui in castris regiis sunt uim afuturam, donec negotium egerit. quapropter edico tri- 4 buno militum, praefectis, centurionibus, signiferis et

69 1 spectant S : expectant P

omnibus militibus qui castra regia sequuntur ut hanc fidem publicam nomine regio a me Didaco Almagro et ducibus eius datam seruent et compleant neu contra ueniant neu frangant, ni uelint quicumque contra fecerint mortis poenam subire et bona ipsorum fisco adiu-
5 dicari. ad haec ego mea fide ut eques promitto et sanctissime recipio me hanc fidem publicam, quam Almagro et ducibus do, seruaturum nec permissurum ut alii eam uiolent et rumpant. quod ita certum, ratum atque firmum fore mea manu subscripsi et a duobus scribis regiis consignari iussi. Guamangae VI Idus Septembris.'

70 Iam uero in edicto regio praeter legem quam Alfonsus Sapiens Hispaniae Vlterioris rex tulit, qua ii qui a principe suo deficiunt proditores uocantur et morte multantur, diploma illud insertum erat quod Christophoro Vaccae Castro datum fuit, quo etiam ipse Quiti, cum id prius in eius urbis senatu prolatum recitatumque fuisset, ingenti omnium ordinum clamore atque assensu praefectus Perurae et dux summus appellatus accep-
2 tusque est. hoc autem diploma manu Garsiae Loaysae cardinalis Hispalensis et maximi Indiarum praefecti subscriptum et signo regio secretoque munitum et ab Ioanne Samano rerum Indicarum scriba subsignatum erat Mantuae Carpetanae quinto Idus Septembris anno
3 a Christo nato MDXL. id ipsum uero Caesar alio postea diplomate confirmauit atque comprobauit, quod sua manu subscripsit Monsonii sexto Idus Augusti anno MDXLII, cum in eo oppido, quod est Hispaniae

5 subscripsi S : -sit P
70 2 quinto S *(ut uid.)* P[2] : Quito P

Citerioris in Ilergetibus ad Cingae amnis ripam positum, conuentus ageret, sicuti suo loco referemus eiusque diplomatis exemplum ascribemus, quoniam ex uno atque altero plane constat utramque praefecturam et Nouae Castellae et Noui Toleti Christophoro Vaccae Castro a Caesare datam fuisse.

71 Et quamquam summam illius diplomatis a Garsia Loaysa cardinale Hispalensi subscripti, quod Vacca Castrus secum in Peruram attulit, libro quarto explicauimus, tamen commodissimum uisum est hoc idem diploma a primo eius capite usque ad extremum et legem regiam (est enim lex haec sanctissima et dignissima quae in aes per omnes omnium regnorum et prouinciarum ciuitates atque oppida incidatur) e lingua Hispana in Latinam conuertere. itaque totidem uerbis Latinis non diploma modo sed lex etiam regia in edictum translata est quot uerbis Hispanis ante perscripta fuit. cuius edicti initium ab eodem diplomate nascitur. sic enim nomine regis incipit: 2 'quoniam nos, Vacca Castre, ex ampliss<imo> et regio ordine senator noster atque ex Diui Iacobi militia eques, te in Perurae prouincias mittimus, ut his de rebus cognoscas quae ad commodum nostrum et ad iustitiae exsecutionem pertinent, tum etiam, si forte casus inciderit (fieri enim potest idque naturale est) ut per idem tempus quo tu in Perura consistes Franciscus Pizarrus prouinciae Nouae Castellae praefectus noster, utpote homo longius aetate prouectus, moriatur, eo tunc casu propter fiduciam quam in uirtute, litteris, ae-

71 1 (est enim ... incidatur) *sic distinxi* || 2 amplissimo] ampliss. SP | (fieri ... est) *sic distinxi* | idque SP^{2} : id quod P *ut uid.*

quitate et fide tua habemus uoluntatis est nostrae ut iustitiam nomine nostro exerceas et prouincias Nouae Castellae et Noui Toleti, quam Didacus Almagrus praefectus iam defunctus obtinuit, usque eo administres, dum nos quod laudi nostrae et optimo illarum prouinciarum statui conduxerit inquisitione prius acta prouideamus. proinde hoc diplomate uolumus et iubemus ut tu ipse, Vacca Castre, si forte, cum in Peruram ueneris, Franciscus Pizarrus praefectus noster e uita discesserit aut interim dum in ea manebis obierit et quoad etiam id quod optimum erit et nobis expedierit statuerimus, regas et in officio et iustitia prouincias Nouae Castellae et Noui Toleti contineas aliaque omnia geras et facias, quae Franciscus Pizarrus et Didacus Almagrus praefecti gerebant et facere poterant et debebant propter uim potestatis et facultatis et mandatorum quae a nobis habebant. nam hoc eodem diplomate eandem potestatem et facultatem qua illi propter decreta edictaque nostra utebantur tibi, Vacca Castre, ad id omne quod ad iustitiam exercendam et ad eas prouincias gubernandas opus erit, ita damus, ac si litterae ipsae directae ad te fuissent, una cum omnibus his causis quae incidentes, quae ex eis pendentes quaeque annexae conexaeque illis sunt. quocirca edicimus conciliis, iudicibus, decurionibus, equitibus et plebeiis et bonis hominibus omnium ciuitatum, oppidorum et uicorum Nouae Castellae et Noui Toleti et quibuscumque ducibus et militibus qui in illis nunc sunt prouinciis aut postea erunt ut te, Vacca Castre, usque adeo donec id quod nobis placuerit decreueri-

et fide ... nostrae SP² : *om.* P || 3 discesserit *correxi* : dicesserit SP | quoad *correxi* : quo ad SP || 4 eandem SP² : eadem P

mus, et, ut dictum est, a Francisci Pizarri praefecti nostri obitu habeant pro gubernatore nostro et maximo iudice prouinciarum Nouae Castellae et Noui Toleti tibique in eo adsint officio et omnibus in rebus ei muneri conexis et aptis et coniunctis. datum Mantuae Carpetanae quinto Idus Septembris anno MDXL.' F<rater> 6 Garsias cardinalis Hispalensis nomine Caesaris subscripsit et Ioannes Samanus scriba regius subsignauit.

Hoc autem diplomate praeposito iungitur edictum, **72** deinde lex regia subtexitur. edictum uero nomine Christophori Vaccae Castri summi Perurae praefecti uerbum de uerbo, ut dicitur, expressum est: 'certiores facimus uos 2 Didacum Almagrum, Didaci Almagri praefecti filium, Ioannem Balsam, Didacum Hozium, Didacum Mendezium, Ioannem Tellium, Martinum Bilbaum, Franciscum Cardenam, Petrum Candiam Cretensem, Martinum Cotum, Ioannem Consaluum Malauerum, Ioannem Oleam, Petrum Onnatium et Ioannem Perezium, qui Didaci Almagri duces uocamini, et Bartholomaeum Sammillanum, Ioannem Rodericum Barraganum, Hieronymum Almagrum, Antonium Almagrum, Franciscum Fontium, Ioannem Guzmanum et Bartholomaeum Arbolancham et ceteros omnes qui Didacum Almagrum sequuntur et singulos milites et uniuersos et unum quemque uestrum scire uolumus: optime enim 3 uos omnes quae edico scitis, sed imprimis tu, Didace Almagre, quippe qui, postquam Franciscus Pizarrus

6 Frater] F. SP

72 1 subtexitur S : -tegitur P || 2 Consaluum] *cf. adn. ad 7.61.19* | Bartholomaeum *ante* Sammillanum] Petrum *malim, cf. 5.57.1, 6.19.3, 7.80.5* | Sammillanum S : Sammillum P

praefectus regnorum et prouinciarum Perurae maximus et Caesaris legatus iussu tuo interfectus fuit, magna cum perfidia et nullo ad Caesarem respectu habito milites contraxisti, uexillum proposuisti et signa militaria contra regem tuum extulisti et his regnis tyrannice ac uiolenter occupatis et iurisdictione regia usurpata et retenta te ipsum non solum horum regnorum praefectum fecisti, sed colonos etiam Hispanos et Indos ut te quoque praefectum appellarent et acciperent ui et minis
4 coegisti; post uero eos qui nomine meo primum Limae, Trugilli et Piurae, deinde Cuschi et in Nouo Regno Toleti iura reddebant abire magistratibus quos illi habebant compulisti aliisque gerendos dedisti, cum ego in Peruram cum imperio uenerim et ui et uirtute potestatis et diplomatis quod a Caesare habeo acceptus in illis prouinciis et ciuitatibus fuerim; tum uero, quo melius et firmius rebellionem faceres, equos et arma ab earum ciuitatum colonis qui in regis sui fide manebant abstu-
5 listi; ad haec non uectigalia tantum regia, sed defunctorum bona et alia deposita accepisti; tum denique domos diripuisti, uiatores exceptos spoliasti, homines plane insontes trucidasti et saeua tyrannide atque effrenata uiolentia alia facinora nefaria tamquam perfidiosus et impius patrasti et, quamuis te, Didace Almagre, hortari et monere non destiterim ut prouinciam quam uiolenter inuaseras deponeres et exercitum quem collegeras dimitteres et bellico apparatu absisteres, nec facere nec exsequi uoluisti, sed potius in infidelitate perseuerasti atque permansisti armis haec regna opprimendo et oc-

4 compulisti S : compulsisti P | *post* dedisti *sic distinxi, plene* SP || 5 et *post* patrasti *scripsi* : ut SP

cupando aliaque permulta et maxima in Caesaris offensionem ac in summum reipublicae horum regnorum damnum crimina faciendo. quod ita omne publicum et manifestum per uniuersam Peruram est ut nulla probatio sit iam futuram. itaque ego uerus custos et guberna- 6 tor horum regnorum et prouinciarum Perurae beneficio et Caesaris nomine uisa et perspecta pertinacia tua ueni cum equitibus et clientibus Caesaris et illarum ciuitatum colonis qui in officio permanent, ut remedium rebellionibus quaeram eisque repugnem et obsistam, delicta oppugnem atque coerceam, tyrannidem deleam et incommoda reiciam, diminuam et deuitem et alia mala quae inde nascentur opprimam. nam quandocumque 7 eiusce modi rebelliones in quocumque fiunt regno, prohibitum est ne quis auctorem et caput defectionis sequatur, sed omnes tenentur subito ire acerrimeque resistere et remedium adhibere atque in partes regis sui, etiamsi non uocentur, cum bonis et fortunis suis transire ne exspectato quidem sub proditorum poena regis iussu. sic enim lex illa regia tertia imperat, quae de titu- 8 lo undeuicesimo secundae partis, quam partitam uocant, ne ignorantia praetendi possit, in hoc edictum translata insertaque est. regnum appellatur ea regio, in 9 qua rex dominatur. is etiam nomen regis habet propter facta quae in regno gesturus est, nempe ut iustitia et iure illud alat et sustentet. idcirco uiri sapientes et perantiqui haec perinde ut animam et corpus esse dixerunt, quae licet se iungantur, tamen coniunctio facit ut

permulta *correxi* : per multa SP || 7 defectionis S : defetionis P : defecionis P^2 | expectato S : spectato P *ut solet* || 9 gesturus est S^2P : gestu S

idem sint. nam quamuis populus omnibus in rebus regem defenderet ac custodiret, tamen, nisi regnum a malis quae possunt euenire tueretur, non esset perfecta nec
10 completa ea custodia. prima autem custodia quam agere oportet est, cum aliquis regnum ita occupat ut tumultum faciat et detrimentum inferat. nam tunc omnes quam celerrime poterunt multis de causis ire contra id factum tenentur, primum ut regem dominum suum a damno et dedecore quae ex ea nascuntur rebellione defendant, quoniam de bello quod ab hostibus externis infertur non est mirum, quia nullam cognationem nec naturae nec dominationis cum eo habeant; uerum ex bello quod ex iis qui subiecti sunt consurgit longe maius dedecus suscipitur, quippe isti qui sub dicione illa sunt uolunt se cum domino suo aequare arroganterque et superbe cum eo contendere. huc accedit aliud periculum grauius, quod similis defectio atque ista semper summa cum falsitate concitatur, sed praecipue ut inde
11 doli et alia mala fiant. ideo sapienter a uiris antiquis dictum est nullam pestem in orbe grauiorem esse quam ab eo cui confidas detrimentum accipere nec bellum esse periculosius quam id quod fit ab his inimicis a quibus non caues, tum quia ignoti sunt, tum quia se amicos
12 esse simulant. deinde regno maximum importatur incommodum, cum et bellum ab eisdem ipsis colonis, quos idem regnum tamquam filios ab se educatos habet, cooritur ac regni etiam ipsius ab illis a quibus coniungi

defenderet ac custodiret S : defendere ac custodire P || 10 cognationem SP^2 : cogitationem P || 11 orbe S^{2}P : orbem S || 12 regnum S^2 *(ut uid.)* P : *nescio quid in* S | coniungi *correxi* : coniugi SP

debuit diuisio fit atque euersio ipsorum a quibus illud custodiri oportuit, quippe qui melius modum faciendi in eo mali sciunt quam alii qui indigenae non sunt. itaque est hoc ueluti uenenum, quod, nisi homini cui datum est subito succurritur, recta cor inuadit ipsumque interimit. ideo ueteres et prisci uiri simile bellum atque hoc uocauerunt certamen intra corpus. et praeter haec 13 omnia damnum ingens accedit; neque enim solum summa his qui rebellionem faciunt ignominia inuritur, sed ceteris etiam regni incolis, si simul ac sciunt statim non significant se tantum facinus inique ferre et si propere ad illud crudelissime prohibendum non eunt, ne res tam hostilis quam ista incendatur, ut nec rex potentiae nec honoris iacturam inde accipiat nec regno etiam detrimentum uel calamitas inferatur, denique ne improbi homines et confidentes exemplum ad faciendum tale facinus quale est istud capiant. propterea usque adeo exstingui confestim debet ut ne fumus quidem exeat, qui bonam regni famam inquinet. proinde propter has 14 causas tenentur omnes, ubi scierint, ne regium quidem iussum exspectantes ad regia ire castra. similem enim defectionem atque istam antiqui rem esse tam extraneam duxerunt ut statuerint neque propter generis claritatem nec propter familiaritatem quae cum rege intercederet nec propter priuilegium quod ab eo quis haberet nec ii qui sacris initiati essent se excusare possent, nisi qui claustris continerentur uel qui ad rem diuinam faciendam precesque fundendas remanerent; reliqui uero omnes eo uenirent, ut uel manibus uel clientelis uel bo-

13 se S : sed P | ne *ante* res S^2 : nec SP || 14 ad *ante* regia S : a P

15 nis suis exercitum iuuarent. tantum etiam illis saporem et gustum uetandi huiusce facinoris habuerunt ut iusserint mulieres, si cetera omnia deficerent, eo ad contundendum destruendumque tale factum uenire. nam cum damnum et malum sit commune, nec bonum nec aequum esse existimarunt neminem omnium excusari debere 16 ut ad illud radicitus euellendum non ueniret. unde qui huiusce modi rebellionem faciunt et proditores sunt et morte multari et omnia quaecumque quae possident amittere debent. praeterea qui ad exercitum regis non uenerint aut sine eius iussu inde abierint (non enim uidetur eos pigere facti ipsius) eadem poena ac dicta est afficiendi sunt. iure enim cognitum est auctores mali et 17 consultores aeque atque illos esse puniendos. ceterum non poenam illi subirent qui iustam causam quominus eo uenire potuerint haberent, ut qui minores quattuordecim annis natu uel maiores septuaginta, uel aegroti, uel ita sauciati ut uenire non ualerent, uel qui altissimis niuibus uel maximis fluuiorum inundationibus adeo impediti essent ut nullo modo transire possent; at uero is qui ex castris discederet, nullam excusationem haberet, nisi uel infirmus uel tam grauiter uulneratus esset ut 18 arma capere non posset. uerum quod de senibus supra dictum est, qui excusari debent, haudquaquam de illis intellegendum est qui tam sapientes essent ut exercitum prudentia sua iuuare possent, quippe cum ex rebus mundi una sit res militaris et armorum, in qua illi magis sunt necessarii. hanc ob causam antiqui illi machina-

16 regis S^2P : regium S *ut uid.* | uenerint S^2P : uenirint S *ut uid.* | abierint *correxi* : abi*rent *uel* -rint S : abirent P | (non enim ... ipsius) *sic distinxi* || 17 ut uenire S : ut uenirent P

tiones instruebant et artificia quaedam faciebant, quibus senes qui equitare non possent secum in exercitu portarent, ut eorum iudicio et consilio uterentur. 19 at quamquam secundum hanc legem regiam grauius iudicare et pronuntiare poteram uos et duces et milites commisisse poenas hac eadem ipsa lege constitutas easque a uobis omnibus iure exigi debere, propterea quod isti rebellioni uos adiunxistis nec contradixistis nec contra uenistis nec in comitatu meo, ut illam impediretis, sub uexillo regio fuistis, tamen, quo magis uos conuincam et publice satisfactum sit, hoc edictum meum Lopezio Hidiachaeo legato uestro, ut in omnium notitiam ueniret, perferendum ad uos dedi. neque enim alia propter scelera et flagitia quae frequentissime admittitis et facitis denuntiatio permittitur. 20 hoc autem edictum complicatum et obsignatum legato uestro in responsi loco ad ea postulata quae ipse nomine uestro rettulit ideo dari iussi, ne, cum redditum recitatumque uobis fuerit, culpam inscitia rerum praetexere possitis. 21 quo hortor et moneo et nomine Caesaris ut summus eius praefectus et legatus uobis omnibus et uni cuique uestrum edico ut exercitum quem collectum habetis sine mora dimittatis et arma cum omni apparatu bellico deponatis atque ex Noui Toleti praefectura decedatis, ac tibi, Didace Almagre, impero ne amplius gubernator appellari possis neu te eo nomine deinceps appelles. 22 ad haec sex dies insequentes a quarto Idus Septembris ad XVII kalendas

18 iudicio et consilio SP^2 : consilio et iuditio P || 19 constitutas *correxi, cf. e.g. 7.77.2* : constitu*as S : consti*s^{as} P : constituas *leg. To.* | comitatu SP^2 : comitu P || 20 inscitia *correxi, cf. 7.95.2* : inscitiae SP

Octobris uobis omnibus et singulis quibusque uestrum constituo, quod spatium temporis iustum est, quia non longe, cum in Bilcis sitis, a castris regiis abestis. duo uero dies ante IIII Idus Septembris legato uestro extra ordinem dantur, ut litteras et edicta regia uobis afferre
23 possit. eos uero sex dies pro tribus edictis, ut uocant, peremptoriis constituo, ut sine exercitu, sine armis, sine ullo belli instrumento ad me ueniatis et coram praesto adsitis uosque sub uexillo regio sistatis, sub cuius praesidium ego ut summus praefectus et legatus eo, ut et regi uestro operam secundum illam legem regiam atque ea praestetis quae ex eiusdem ipsius legis ui praestare
24 tenemini. quod si ita feceritis et impleueritis, (hoc enim praedico et ante denuntio) facietis quidem optime et quod debetis; quod si contra feceritis et praesentiam uestri facere contempseritis nec obtemperaueritis nec ad castra regia ad constitutum et condictum diem ueneritis, non patiar uos amplius tergiuersari nec uocabo nec audiam nec exspectabo, sed et crimina uestra plane nota et manifesta esse declarabo et uos grauissimas illius legis et aliarum legum regiarum poenas commisisse pronuntiabo acerbissimeque a uobis omnibus eas petam. sic enim grauitas rerum exposcit et Caesaris commodo et publico bono et pacificationi horum Perurae regno-
25 rum conducit. hoc etiam edicto quantum opus necesseque est cito et ad extremum uoco uos ad ea omnia quae in praedictarum rerum exsecutione erunt facienda. ac tum demum procuratorem fisci, qui hoc edictum in uos petituit, de his omnibus audiam, quae contra uos

23 ea S²P : eam S || 24 (hoc ... denuntio) *sic distinxi* | condictum S : conditum P || 25 procuratorem S²P : procutorem S

dicere deferreque apud me uoluerit, sed potissimum his de rebus id faciam et decernam quod iustum aequumque esse comperero nec amplius, ut dictum est, uos citabo nec uocabo. ideo hoc edictum meo nomine sub- 26 scriptum et signis Petri Lopezii et Francisci Paccii scribarum regiorum consignatum dedi Goamangae VI Idus Septembris anno MDXLII.'

Has autem litteras et edicta Vacca Castrus praefectus, **73** antequam obsignarentur et occluderentur, Francisco Lopezio Hidiachaeo et Didaco Nunezio Mercado ostendi et singulos deinde earum litterarum fasciculos ipsis tradi mandauit. quibus a praefecto acceptis ambo, ut supra dictum est, promiserunt se eas litteras Didaco Almagro et ducibus eius reddituros edictaque regia ipsis et militibus recitaturos atque explicaturos et, ut ab armis discederent et ad castra regia uenirent, denuntiaturos. ade- 2 rant, cum illi singulos litterarum fasciculos a praefecto acciperent, praeter utrumque scribam regium, qui ea de re fidem fecerunt, Sebastianus Sanchius Merlus et Michael Ludouicus aliique uiri honestissimi. Hidiachaeus autem et Mercadus acceptis litterarum fasciculis in Bilcas ire contenderunt. quibus Ioannes Balsa Didaci Al- 3 magri legatus de eorum aduentu certior factus obuiam milia passuum a Bilcis quattuor processit ibique eos subsistere nec longius progredi iussit et fasciculo litterarum quem praefectus ad duces Almagri mittebat accepto in castra rediit et litteras quae in eo erant fasciculo, cum Ioannes Cardenas Didaci Almagri scriba lectis inscriptionibus obtulisset se eas ducibus daturum, in

73 1 et Didaco S[2]P : *om.* S | se S : sed P || 2 illi S : illis P | Sanchius Merlus *correxi coll. 7.119.4* : Sanzius Merulus SP

ignem coniecit neminique illas dari passus est dicens 4 'indignae sunt hae litterae quae uideantur. scelus est.' et cum edictum regium in manibus haberet et Ioannes Olea centurio rogaret ut illud ostenderet, 'quid tu' inquit, 'uis uidere, daemon?' et subito edictum discerpsit et combussit nec illud Ioanni Cardenae nec Ioanni Oleae legendum dare uoluit.

74 Insequenti uero die Didacus Almagrus et duodecim eius duces ad eum locum, ubi Hidiachaeus et Mercadus substiterant, uenerunt, quibus illi alterum litterarum fasciculum Didaco Almagro reddidere. qui cum eas litteras et edicta eius fasciculi legisset et ducibus recitauisset, tum isti ira perciti inquiunt: 'laqueo uobis, nisi amici essetis, ut Alfonso Garsiae Zamarrillae fecimus, gulam fregissemus. quod si deinceps similes attuleritis 2 litteras, poenas nobis morte dependetis.' tum illi, 'atqui certe nos legati sumus et quod a Vacca Castro nobis mandatum est exsequi debemus, quippe qui nomine Caesaris et summus Perurae praefectus et legatus est et uirtute diplomatis quod ipse signo regio munitum habet non modo Quiti, Piurae et Trugilli uerum Limae etiam et Cuschi et in aliis ciuitatibus et oppidis Perurae acceptus appellatusque est instructissimasque copias tam equestres quam pedestres sub uexillo regio ad 3 Goamangam habet. at quamquam Alfonsum Garsiam Zamarrillam, qui cum litteris a Vacca Castro uobis fuit missus, de arbore iure gentium uiolato et indicta causa suspendistis grauissimeque eum offendistis, tamen ipse praefectus nec ab honesto officio discessit nec litteris

74 1 reddidere S : reddirere P | dependetis S : -ditis P || 2 Perurae praefectus SP[2] : praefectus Perurae P

omnis suauitatis, amoris et clementiae plenis monere uos desiit, ut perniciem, quam uidebat magna cum reipublicae calamitate esse coniunctam, a uobis depelleret uosque a perpetua infamia auerteret. qui ita nunc est 4 animo ad salutem omnium uestrum propenso et parato ad agendum de aequissimis et commodissimis pacis uobiscum condicionibus ut nihil magis optet. in id enim omnes neruos intendit, ut Hispanos quorundam improborum perfidia distractos in concordiam atque cum Caesare etiam in gratiam reducat, quippe bello ciuili absistere maxime cupit, ut periculosam et grauem illam dimicationem, in qua plurimae Hispanorum fient caedes, euitet. et quo benignitatem eius in uos propensi- 5 orem certo sciatis, omnium scelerum et flagitiorum, quae nefaria certe commisistis, ueniam, his tantum exceptis qui Franciscum Pizarrum praefectum trucidauerunt, uobis concedit. quin etiam ille suo et Caesaris nomine, si in fidem eius redieritis, pollicetur se maximis uos praemiis muneribusque ornaturum et amplissimis beneficiis affecturum. ideo animos inducite ut a rebellione 6 ista, quae uos in exitium adducet, desistatis et Ioannem Balsam aut alium quem uolueritis cum iusta et legitima potestate in castra regia ad diem mittite, qui de pacis condicionibus cum praefecto agat. quin, si nemini ex 7 uestris negotium committere uultis, nos procurationem negotii uestri, ut Deo regique nostro inseruiamus, potestate a uobis data suspiciemus omnique studio, fide et integritate illud agemus. itaque statuite et deliberate utrum per procuratores an per uos ipsos negotium agere uelitis. nam procuratores uestri, quicumque illi fuerint, qui prius fide publica accepta de pace et concordia cum praefecto agent, tuto in castra regia ire et illic manere et ad uos redire poterunt. et ut ita fore hoc 8 uobis persuadeatis, en papyrus alba quae fidem publi-

cam continet manu et nomine Christophori Vaccae Castri praefecti subscripta, in qua nomina procuratorum quibus rem de pace et concordia mandaueritis scribere potestis. quod si hoc parum firmum certumque uobis uidetur, quo tutiores sitis nihil iniuriae, nihil detrimenti uestris procuratoribus illatum iri, praefectus duos equites obsides dabit. tanta est eius uoluntas reducendi uos in gratiam cum Caesare et sub imperium eius redigendi.'

75 Ad haec Almagrus et duces responderunt se ad eas litteras quas a Vacca Castro attulissent rescripturos et adducentes Hidiachaeum et Mercadum secum in castra reuerterunt. et Almagrus quidem legatos bene inuitauit 2 apparatisque epulis accepit. finito autem prandio remotisque mensis, Didacus Mercadus Almagrum, quem summo ipse amore prosequebatur, amicissime admonuit ut caueret ne quid imprudens contra edictum regium faceret, neu nomen proditoris et tyranni sibi ascisceret, neu salutem et honorem suum militibus quos ducebat et qui ad supplicium ipsum trahebant committeret, neu illustribus et gloriosis factis Didaci Almagri patris sui fortissimi uiri et de rege suo deque republica 3 quam optime meriti tenebras offunderet: 'sed ab ista rebellione, quae tibi, Didace Almagre, exitium afferet, uelim subito desistas, nec istos audias, qui propter priuata commoda pacem dissuadent et disturbant. non enim sunt amici tui, sed inimici et regis hostes et patriae proditores atque desertores nihilque aliud quam de tuo interitu atque adeo de totius Perurae excidio 4 cogitant. a quibus praecauere salutique tuae, dum tempus finit, consulere et, ut libere dicam, armis positis e uestigio ad Vaccam Castrum praefectum regium ire debes, qui animo est ad ignoscendum omnibus propenso, qui summam in te conferet benignitatem, qui rebus

prospiciet tuis et maximis te ornabit beneficiis. sic enim Caesar ei ut faceret mandauit. an non ob oculos tot res 5 praeclare fortiterque a patre tuo, qui eximia pietate et fide Caesarem coluit, gestae uersantur? quid ille diceret, si uideret a te filio suo et fidem laesam et Peruram, quam ille sub imperium regum Hispaniae sua uirtute redegit, militibus occupari, armis opprimi et signa infesta in uexillum regium legatumque regium atque in eos qui sub eo uexillo militant illudque defendunt inferri et famam suam tua perfidia et rebellione inquinari ac prope oblitterari? an aequo animo, si uiueret, ista ferre posset? an non potius te omnibus suppliciis mactandum traderet? haec iam animo redeant et te circumspice 6 et considera quid facias consilioque prouide ut procellam quam excitasti et quae iam impendet deuites. quod si feceris, et cum Caesare in gratiam redibis et in amplissimo dignitatis gradu collocaberis; sin minus, acerbissimas legis regiae quam legisti aliarumque legum poenas quae in proditores sunt constitutae subibis et equis distractus tamquam proditor dilaceraberis perpetuamque genti Almagranae maculam inures. nam de Vacca Castro praefecto non est quod dubites quin id quod promisit cumulatissime sit impleturus et quod Caesar praecepit facturus.'

Aderat Ioannes Balsa, qui haec tacitus et inter spem **76** metumque animi suspensus audiebat, ad quem Mercadus conuersus 'hoc te,' inquit, 'Ioannes Balsa, pro nostra amicitia admonitum uolo ut edicto regio quod le-

75 4 prospiciet S : prosciet P | ei ut *scripsi* : ei,m S[2]P : eim S : enim *scr. To.* || 5 *interrogationis signum post* uersantur *scr. To.* || 6 praecepit S[2]P : praecipit S

gisti et quod impie combussisti pareas et confestim mecum in castra regia cum Didaci Almagri et ducum eius legitima potestate uenias et de pace atque concordia cum praefecto agas ac demum ut praecaueas ne defectione ista et coniuratione, quam cum aliis ducibus et miltibus contra praefectum regium atque contra eos qui partes regias fouent ac tuentur fecisti, te ipsum et ceteros omnes sed imprimis hunc Didacum Almagrum, cuius tu legatus et consiliarius es, perditum eas. nam nisi uiribus eniteris et animo prouides ut ab re tam nefaria prorsus desistas, actum de te atque de illo adulescente

2 misero et de ceteris omnibus esse uideo.' ad haec Balsa respondit: 'recte tu quidem, Mercade, et praeclare admones, sed longe aliter atque praedicis de nobis omnibus futurum spero. nec ipse culpam inscitia praetexam: eas Vaccae Castri litteras aperui, legi, rupi, quia erant simillimae edicti minimaeque dignae quae ab Almagri ducibus acciperentur; edictum uero cum legis regiae poenis conscriptum in ignem conieci, ut pote immite, minax et inimicum atque adeo indignum cuius notionem duces et milites haberent: iam enim omnes primum apud animos nostros quid agendum sit plane statuimus, deinde uoluntatem nostram declarabimus, cum litteras tibi et Lopezio Hidiachaeo ad Vaccam Castrum perferendas dabimus.'

77 Haec cum Mercadus audiret et neutri quod uellet persuadere posset (tanta erat utriusque peruicacia tamque inflexibilis obstinatio), ad Hidiachaeum se contulit.

76 2 inscitia *correxi, cf. 7.95.2* : inscitiae SP | praetexam S^2P : praetereeam S

77 1 (tanta ... obstinatio) *sic distinxi*

is militibus in castris referebat eas Vaccae Castri litteras, 2 quarum alteras Didaco Almagro, alteras ducibus eius una cum singulis edictis reddidisset, omnis modestiae, beneuolentiae, officii esse plenas; ipsum uero Vaccam Castrum ex decretis edictisque regiis summum totius Perurae praefectum et Caesaris esse legatum eumque omnibus et singulis quibusque ducibus et militibus edicere arma ponerent, in castra regia uenirent et ad XVII kalendas Octobris iudicio adessent; alioquin, si non obtemperarent, eos secundum legis regiae uim, quae in singulis edictis inserta esset, proditores pronuntiari et poenas ea lege constitutas ipsis irrogari; hoc se illis omnibus denuntiare; itaque se grauissima et turpissima li- 3 berarent infamia et cauerent ne quid contra legem regiam committerent, neue in Caesaris et praefecti eius offensionem caderent, sed intra praescriptum tempus sese ipsi sisterent; praefectum animo esse in omnes benigno eumque nihil antiquius habere quam omnium ipsorum salutem et reipublicae libertatem atque in id maxime incumbere; ipsum etiam flagitiorum ueniam daturum, multis magnisque praemiis eos qui in fidem regis sui redirent donaturum et Didaco Almagro loco patris futurum; sic Caesar iniunxisse et commisisse ut de indignissima Didaci Almagri Noui Toleti praefecti morte cognosceret; cur Almagrus filius non obsequi- 4 tur? cum oboedire praefecto regio debeat, imperio eius pareat, exercitum dimittat, priuatus ad praefectum eat et nomina interfectorum Almagri patris deferat et ad iudicium uocet ac reos peragat et praefectus capitali poena in eos animaduertet, quippe qui in Peruram a Caesare

2 reddidisset S²P : redisset S

ideo missus fuit, ut rempublicam harum prouinciarum constitueret, discordias inter Hispanos componeret, controuersias tolleret et suum cuique ius redderet, ut
5 certe reddit; quid Almagrus haesitat? quid cunctatur? quid edicto proposito tergiuersatur? cur Ioannem Balsam aut alium ducem quem uoluerit fide publica, quam praefecti regii manu et nomine subscriptam accepit, in castra regia ad Vaccam Castrum non mittit, ut de pacis
6 condicionibus cum ipso praefecto agat? non enim se in dubium reuocare, si Ioannes Balsa cum libera integraque Didaci Almagri et ducum potestate ea de re agendi ad praestitutam diem in castra regia mitteretur, quin ipse conspectis copiis regiis ad pactiones quas praefec-
7 tus aequissimas faceret uenturus sit; tum denique se id palam denuntiare atque praedicare, si legati non adierint praefectum regium nec ad condiciones pactionesque accesserint, sed in perfidia et rebellione, sicuti faciunt, perstiterint, omnes et duces et milites ad unum esse perituros.

78 Haec atque alia quae Vaccae Castri litteris et edictis continerentur Hidiachaeo exponenti atque milites hortanti et suadenti ut in gratiam regis sui et fidem, qua decesserant, sine mora redirent Ioannes Balsa de improuiso interuenit et nimis atrociter minitans eum tam aperte de ea re apud milites loqui prohibuit. qui deinde minitabundus Mercadum et Hidiachaeum obseruabat nec ab eis discedebat nimirum ueritus ne quae tacue-

4 cuique ius S : ius cuique P || 5 conditionibus SP[2] : condition* P | *post* agat *interrogationis signum scr. To.* : *plene distinguunt* SP

78 1 qua SP[2] : quam P | nimis S : minis P

rant in milites effunderent eosque in suam sententiam traducerent. at nihilo tamen setius illi et duces et milites 2 ad pacem pacisque condiciones cohortabantur. quae certe res utrumque in summum uitae discrimen adduxit. at quamquam parum afuit quin ambo interficerentur, tamen munus suum praeclare fortiterque exsecuti fuere; neque enim ipsi umquam desiere nunc hos, nunc illos hortari et monere ut sibi prospicerent atque prouiderent.

Iam uero Didacus Almagrus, cum ad Bilcae amnis **79** ripam, qui nomen ei regioni dedit, una cum ducibus consedisset, Hidiachaeum ad se arcessiri iussit. cui uenienti litteras Vaccae Castri legendas dedit. quibus lectis, 'quid' inquit ille, 'his Vaccae Castri litteris suauius, quid benignius esse potest? quid, Almagre, dubitas? quid, duces, cogitatis? cur famae salutique uestrae non consulitis? in atrocissima quidem crimina incurristis, re- 2 gem uestrum grauissime offendistis et fidem quam ei debetis impie nefarieque fregistis; uerum praefectus regius misericordia commotus haec omnia, si edictis quae cum litteris uobis misit audientes fueritis, condonabit et animaduersionem et supplicium quo usurus erat uobis remittet et plurimis amplissimisque praemiis et honoribus uos decorabit et filiorum loco habebit, quippe qui plane intellegit, sicuti ex edictis quae uel suppressistis uel combussistis uidere potestis, istam ducum et militum Hispanorum seditionem esse quandam contra Carolum maximum Augustum et regem uestrum rebellio-

2 afuit] abfuit S : adfuit P | praeclare S : plecarè P
79 2 *post* incurristis *sic distinxi* : *interrogationis signum scribunt* SP

nem, in qua, si permanseritis, et maiestatem regiam laedetis et iis legibus condemnabimini quae in proditores 3 patriaeque euersores sunt stabilitae. quod ne accidat uobis maxime praecauendum existimo. nam lex illa regia quae ad uerbum in edictum translata est proditores eos uocat qui a rege desciuerint rebellionemque fecerint grauissimaque in istos supplicia constituit. hoc Caesaris et praefecti eius nomine uobis denuntiatum esse uolo, quamquam quid honestum dictu praetendere seditioni 4 possitis non uideo. proinde mutatis animis mutatisque consiliis iam nunc resipiscite et Carolum Caesarem regem uestrum agnoscite atque e uestigio in castra regia ite. sex enim tantum dierum spatium, quo imperiis legibusque pareatis, uobis datur. ideo cauete ne ista pertinacia et iracundia, ne dicam infidelitate, et turpissimam sempiternamque ignominiam nomini gentique uestra 5 inuratis. quod si offirmatis animis in uestro errore et sententia perseueraueritis, sicuti hactenus fecistis, eas praefectus equitum turmas easque peditum cohortes habet, quibus nullo negotio uincet, fundet uosque in potestatem suam rediget meritasque de omnibus poenas sumet.'

80 Verum enimuero duces ea quae Hidiachaeus dicebat parum aequis accipiebant auribus uehementerque dolebant et acerbe ferebant crimen proditionis sibi ex lege regia inferri seque proditores appellari, atque eo magis quod nulli aut certe pauci ex illis cognitionem eius legis habebant et hi quidem se eam propter Ioannem Bal- 2 sam, quem timebant, habere dissimulabant. nam Balsa, ut supra demonstratum est, legatis ad Almagrum uenientibus obuiam longe procedens litteras et edictum cum lege regia ab eis extorsit nec Ioanni Oleae nec aliis quos suspectos habebat, propterea quod paci concordiaeque consulebant, sed Francisci Pizarri tantum inter-

fectoribus ostendit atque exussit. alteras uero litteras 3
Didacus Almagrus a legatis accepit easque ab Hidiachaeo recitari coram ducibus iussit, sed edictum ipse suppressit et occuluit, ne ea quae litteris et edictis continerentur milites scirent; ea enim mendaciis tegi et multis simulationum inuolucris uelari, non edi, non peruulgari uoluit, scilicet ut milites nimia eripiendi quae uellent licentia data et infinita prope largitione iam obstrictos magis sibi obstringeret, ut in perfidia et impudentia et rebellione persisterent eamque armis defenderent. quoniam si ea quae utilia et cunctis salutaria Vacca praefectus scripsit milites cognouissent, haud dubia res est quin multi ex iis qui uel imprudentia uel largitionibus corrupti uel minis compulsi in perniciosum inciderant errorem subito in castra regia transfugissent. quin etiam duces improbissimum dissipauerunt 4
in castris rumorem caedem Francisci Pizarri praefecti gratam acceptamque Caesari fuisse maximamque ea ex re uoluptatem cepisse eumque pulcherrima munera ac plane regia interfectoribus largiturum; ideo Didaci Almagri legatum benigno accepisse uultu; ea uero munera una cum Caesaris litteris ad Didacum Almagrum per Didacum Munozium et Didacum Rodericum Rium perferri eosque iam ex Hispania Limam uenisse et in singulas horas exspectari. his fraudibus, praestigiis et 5
fallaciis excogitatis et compositis litterisque signo adulterino obsignatis milites allectabant ac uelut inescabant et in turbulentum errorem et insaniam suam inducebant eosque in officio sic continebant. quorum plerique

80 3 milites *ante* si ea, *quod scripserat* S, *expunxit* S^2 || 4 horas *om.* P

usque adeo caeco ducebantur errore ut quae uulgo circumferebantur uera prorsus esse crederent persuasumque haberent se regi suo non tyrannis operam militarem nauare signaque infesta aduersus Caesaris et reipublicae hostes inferre, quo Vaccam Castrum praefectum regium factione Petri Aluari Holguini et Gomezii Tordoiae oppressum in libertatem uindicarent, ut libere Peruram gubernare, ius dicere et quae e Caesaris commodo eque republica essent facere gerereque posset.
6 haec medius fidius Ioannes Balsa et Petrus Sammillanus omnium scelerum inuentores partim adhortationibus partim praemiis et pollicitationibus militibus persuadebant eaque ipsis ingerere insinuareque quam maxime poterant contendebant, cum ea omnia longissime a uero abessent; non enim solum Holguinus et Tordoia et milites qui in castris erant regiis sub Vaccae Castri praefecti potestate et imperio erant, sed mirifice ipsum colebant, obseruabant et diligebant.

81 Ceterum Didacus Almagrus, cum de litteris quas legati attulissent cum ducibus communicauisset, Hidiachaeum rogauit quot milites Vacca Castrus haberet. cui ille 'mille habet equites' respondit, 'et hos quidem armis, equis, uestimentis aliisque rebus ad bellicum usum necessariis instructissimos manibusque promptissimos et ad quodcumque pro rege proque praefecto eius peri-
2 culum mortis subeundum paratissimos.' et sane Hidiachaeus, cum exercitum regium Goamangae recenseri a praefecto uidisset, tantum esse militum numerum pu-

5 eque] èq; SP : aeque *To.*
81 1 *post* haberet *sic distinxi* : *interrogationis signum scribunt* SP

tauit. quin ille ad duces conuersus, 'si Hidiachaeo fidem, duces, habetis, ne cum praefecto regio confligatis: neque enim pares esse uiribus nec potentiae eius nec exercitui regio resistere potestis, sed nomine regio audito et animis cadetis et uiribus deficietis atque hoc unum ex eo proelio reportabitis, ut fusi superatique et dilaniati nomen proditorum et tyrannorum liberis posterisque uestris relinquatis.' et cum ille Ioannem Balsam et Rodericum Sauzedum intueretur, quos non solum eximie diligebat sed amabat etiam, 'quantum' inquit, 'animo propter uos angar uerbis explicare non possem. iam enim uideor uidere uos humi prosterni, uncum uobis impingi et corpora omnium uestrum admotis quadrigis alligari equisque in contrarium iter concitatis discerpi.' tum Balsa, 'quid maerore, Hidiachaee, urgeris? quid animo coniteris et labore contendis nos in tuam sententiam traducere? an sepulturam nobis in Perura iam efficere uis? at hoc tibi persuadeas uelim: nos nec Didacum Almagrum deserturos nec Vaccae Castri milites aut comites futuros, sed, si necessitas presserit, si periculum urserit, cum Caesare, si hic adesset, nedum cum praefecto eius acie dimicaturos. quid imperator in Perura habet? haec prouincia nostra est; nos eam summis laboribus, maximis sumptibus et plurimo sanguine fuso lustrauimus et subegimus. nullas pacis condiciones quae offerri possunt accipiemus; neque enim haec contentio inter Didacum Almagrum et Vaccam Castrum de Noui Toleti praefectura nuntiis neque litteris neque legationibus, sed manibus et armis est decernenda.'

3 intueretur S^2P^2 : tueretur P : *om.* S || 4 sententiam *om.* P || 5 *post* nostra est *sic distinxi* : *signum interrogationis apponunt* SP

82 Milites etiam legatos admonebant ne de concordia amplius agerent neue cum litteris in castra ad Almagrum reuerterentur: malle se cum praefecto regio armis confligere quam in ullas concordiae pactiones uenire; ac deinde sibi cauerent; periculum enim esse, si cum Vaccae Castri mandatis redirent, ne tormentis aut hastis
2 traicerentur. tum Hidiachaeus, 'at cauete, duces et milites, ne quid inconsulte ac temere faciatis: maxime enim honori uitaeque uestrae conuenit ut aliqua pactio saltem honesta fiat, qua tanta mala quanta iam adesse et capitibus uestris uideo impendere uitetis. iam iam quam celerrime poteritis uobis consulite et Didaci Almagri saluti seruite. scio enim praefectum regium pro sua clementia omnium scelerum quae commisistis ueniam nomine Caesaris daturum benigneque uos accepturum, sicuti aperte ex litteris eius cognouistis apertiusque ex edictis cognouissetis, si suppressa aut exusta non fuis-
3 sent. in quibus atrocissima quae fecistis crimina erant conscripta et lex regia, quam Alfonsus rex, cui cognomen sapienti fuit, in eos tulit qui rebellionem contra regem suum facerent aliosque ad eam incitarent, et denuntiatio secundum iuris et legum normam et formulam, ut intra sex dierum spatium ad iudicium adsitis, continebatur. hoc ideo repetendum duxi, quoniam si contra feceritis nec ad praescriptum tempus adfueritis, non proditores tantum pronuntiabimini, uerum etiam eas dabitis poenas quae legibus et sanctionibus regiis in illos qui in proditionis crimen incurrunt maiestatemque
4 regiam laedunt constitutae sunt. itaque cauete ne non ante uobis praedictum dicatis. nam quod ad praefectum

82 3 etiam eas S : eas etiam P

regium attinet, non est quod ambigatis quin ipse omnia multo cumulatius quam promisit impleturus sit. quod ita fore Mercadus, si mihi non creditis, pro Vacca Castro spondet.' qui cum id audisset, rogauit duces ut se spon- 5 sorem pro Vacca Castro acciperent, eosque deinde non aperte modo, sed acriter etiam monuit ut consilia mutarent erroremque in quo uersabantur iam deponerent ac sese Hispanos esse fidemque regi suo, quam uiolauissent, debere meminissent tempusque eis praefiniri, intra quod, si obsequerentur, ipsos pro poenis amplissima praemia laturos; sin minus, crudelissima supplicia esse passuros.

Verum Mercadus, cum nec auctoritate sua nec consi- **83** lio nec adhortationibus nec pollicitationibus ullis apud illos proficeret nec ad concordiam adducere posset, eos in sua perfidia et iniquitate relinquere statuit. uidebat 2 enim istos furore ac scelere ardere nec aliquid remittere, sed in horas ingrauescere, quippe qui rem uehementissima animorum contentione tractauerant et sermonibus agitauerant, eoque tandem omnium sententiae inclinauerant, ut, dum uires suppeterent, in coniuratione quam contra praefectum regium militesque regios fecerant ad ultimum perseuerarent atque permanerent dignitatemque Didaci Almagri, quam se defensuros iure iurando obstrinxerant, armis defenderent eumque in retinenda Noui Toleti praefectura, quam Didacus Almagrus praefectus ipsi Almagro filio suo ex diplomate regio quod habebat testamento reliquerat, consilio et auxilio iuuarent; atque eo magis quod Vacca Castrus, quem ipsi non 3 ignorabant totius Perurae tam planae quam montanae summum esse praefectum et Caesaris legatum, litteris eos euocaret edictoque per legatos denuntiaret atque

83 3 denuntiaret S : denuntiare P

comminaretur se etiam ipsos absentes, nisi ad diem quam praestituisset adessent, pronuntiaturum et proditores ex quadam lege regia esse et plecti et bona eorum in publicum committi debere.

84 Itaque Didacus Almagrus et duces et milites inflammati ira se aut uincere aut mori obstinauerunt uoluntatemque suam, Lopezio Hidiachaeo frustra dissuadente ac nequiquam uociferante ne id quod ipsis esset exitio futurum facerent, palam declarauerunt: malle se cum Vacca Castro comminus signa conferre quam cum eo 2 quicquam transigere atque decidere. 'quid,' inquiunt, 'duces, defectiones, proditiones, rebelliones, coniurationes, seditiones, caedes, stupra, sacrilegia, latrocinia aliaque nefaria, ut ipse appellat, crimina quae fecimus in edictis recenset? quid in condonandis peccatis interfectores Francisci Pizarri, qui iure domi suae interfectus fuit, excipit? an ille de actis nostris cognoscet, statuet, iudicabit, pronuntiabit? an poenis in nos capitalibus 3 animaduertet? quin immo arma iam deponat et milites, quos precario collegit, protinus dimittat et sese in Nouae Castellae praefecturam recipiat ibique se contineat, ni malit a nobis ex tota Perura expelli. non enim feremus ut praefecturam Noui Toleti cuiquam Caesar, etiamsi uelit, nisi Didaco Almagro det, quam Didacus Almagrus pater dux fortissimus, cum ex Chilia, quam primus omnium Hispanorum explorauit, cum copiis reuerteretur, uicto fugatoque Mango Hinga in suam po4 testatem redegit. quod si Caesar hoc quod petimus in loco beneficii non detulerit nec ueniam et impunitatem omnium scelerum et flagitiorum quae in Perura uel ali-

84 2 edictis S : edictum P

bi hactenus commisimus ac deinde committemus, ne interfectoribus quidem Francisci Pizarri praefecti exceptis, concesserit, et praemia tantorum periculorum et fructus incredibilium laborum quos terra marique pertulimus plane contemnemus atque cum ipso Caesare, si in Peruram uenerit, uel potius cum praefecto eius (neque enim ipsum uenturum huc esse credimus) ferro decertabimus nec bello prius absistemus quam exercitum regium fundamus et omnino deleamus aut in acie fortissime pugnantes cadamus. has pacis, Hidiachaee, condiciones offerimus. nec certe ad alias pactiones quas Vacca Castrus nobiscum facere uoluerit accedemus. cui hoc responsum a nobis una cum his litteris reddes.' 5

85 Erant binae litterae, unae quidem Didaci Almagri, alterae uero eorum ducum quos supra nominauimus ex Ioannis Balsae sermone scriptae. uerum cum Ioannes Cardenas, Didaci Almagri scriba, Ioanni Oleae centurioni diceret ut eas ducum litteras, sicuti alii duces fecissent, et legeret et subscriberet, tum ille, 'quid legam? quid subscribam? et has litteras et subscriptionem diis infernis deuoueo nec uidere nec legere nec subscribere uolo.' cui Cardenas, 'hoc Balsa iubet, sed de hoc tu uideris.' 'atqui certe' inquit ille, 'te Cardena teste utar me quod Balsa iubet inuitum facere.' 2

86 Postea uero quam Didacus Almagrus eas litteras Hidiachaeo ad Vaccam perferendas dedit, pronuntiari in castris iussit se nullas concordiae pacisque condiciones cum Vacca Castro facere, sed acie cum eo congredi uel-

4 (neque ... credimus) *sic distinxi*
85 1 subscriberet SP[2] : scriberet P | infernis S : inferni P
86 1 concordiae pacisque S : pacis concordieque P

le; tum etiam se quemcumque militem qui de pace publice uel priuatim loqueretur subito correpturum atque 2 ex arbore suspensurum. duces etiam eo insolentiae furorisque processere ut decreta edictaque regia irriderent atque contemnerent et de Caesare contumeliosissime dicerent omnibusque contumeliis Vaccam Castrum in- 3 sectarentur. quod cum Hidiachaeus ferre non posset, 'quid,' inquit, 'duces, tam peruerse, ne dicam impudenter, de rege uestro loquimini? hunc honorem nomini maiestatique eius habetis? quid tam inique ac nefarie praefectum eius traducitis? non uos pudet? satius profecto esset malefacere quam uerbis tam petulantibus uti, quibus summam insaniam et tyrannidem uestram exprimitis. nam Vaccae Castro cum propter aetatem tum etiam propter dignitatem et munus regium quod exsequi- 4 tur omnis reuerentia debetur.' tum Balsa 'frustra,' inquit, 'Hidiachaee, laborem suscipis et tempus conteris. quin Vaccae Castro referas uelim me quoscumque milites ex castris regiis comprehendero in arboribus suspensurum et ut tantundem ipse de Almagri militibus 5 agat gratissimum mihi futurum.' ad haec Petrus Sammillanus adiecit se quinquaginta milites tormentarios habere, qui tanta arte tormentis manualibus glandes plumbeas dirigerent ut, etiamsi ducentis passibus a Vacca Castro abessent, non aberrarent, sed eum ipsum una cum paludamento et Diui Iacobi insigni traicerent, totidemque etiam hastatos inter ipsos coniurauisse, ut eum uulneribus confoderent; quibus omnibus duplex stipendium daretur, ut Vaccam praefectum in proelio quaere-

3 insaniam S : infamiam P | *post* exprimitis *sic distinxi* : *interrogationis signum scribunt* SP || 5 sed eum S : se eum P

rent atque trucidarent. quin etiam Sammillanus quasi 6 mortem Hidiachaeo et Mercado minitans 'mille' inquit, 'telis alii, si litteras similes attulissent atque uos attulistis, transfossi a nobis fuissent. nam Alfonsum Garsiam Zamarrillam ideo ex arbore suspendimus, quod primus litteras Vaccae Castri cum edictis ausus fuerit in castra deferre. proinde praefecto uestro renuntiate, nisi tales legatos quales uos estis misisset, etiamsi nuntii militiae, qui reges armorum uocantur, ipsi fuissetis, uos per pectus gladiis transfixissemus, atque eo magis quod litteras et edicta ab eo attulistis et quod tam libere omnia quae uoluistis militibus, ut a Didaco Almagro auerterentur, palam dixistis.'

Erat is Petrus Sammillanus unus ex interfectoribus **87** Francisci Pizarri praefecti, cuius consiliis Balsa utebatur, nec quisquam in Almagri castris erat qui istum scelere, perfidia, crudelitate antecelleret: plurimas et indignissimas caedes fecerat; in omni furandi praedandique genere uersatus erat; acerbe et contumeliose in Caesarem inuehebatur; omnia maledicta in Vaccam praefectum conferebat. multa indigna quidem auditu sceleratis- 2 simus homo partim fingebat aperte, partim effuttiebat temere: Ioannem Cardenam et Petrum Candiam Cretensem et Ioannem Oleam anaconas, id est, Vaccae Castri famulos per iniuriam et contumeliam appellabat et libertate uocis perstringebat eosque in suspicionem adducere curabat, quod in partes regias inclinarent occasionemque ad Vaccam praefectum transfugiendi quaererent. qui ut erat insignis aleator, quantum alea quaere- 3

6 tam S : iam P
87 1 antecelleret S : antececelleret P || 2 eosque S : eoque P

bat tantum militibus diuidebat eaque largitione profusa quinquaginta milites fortissimos et ad patrandum omne facinus promptissimos habebat, quos in templum Cuschi adduxerat et iure iurando adegerat ut Vaccam Castrum quoquo modo possent in proelio interficerent.

88 Iam uero cum duces nec in Caesarem nec in Vaccam praefectum uehementer inuehi umquam desisterent idque Hidiachaeus et Mercadus grauiter increparent impieque eos facere edictaque regia contemnere et proditiones proditionibus accumulare dicerent, parum afuit quin occiderentur. 2 certe ambo in extremo prope uitae fuere discrimine. ut uero occiderentur unus maxime inter omnes insistebat Franciscus Cardenas centurio, quippe qui, ubi uidit Almagrum et duces quosdam adhortationibus et pollicitationibus Hidiachaei persuaderi aliosque inter ipsos dissidere atque in uarias sententias trahi, uociferans 3 inquit: 'Almagre, nisi Vaccam Castrum cum exercitu regio fundis, nihil eris; si uincis eumque omnino deles, princeps gubernatorque Perurae eris. quin istos legatos, qui milites in castris auertere abs te conantur tumultumque et seditiones concitant, hastis transfigamus.'

89 Hoc cum Hidiachaeus audiret, orationem et uocem continuit seque clam de deuersorio subduxit et equum Roderici Nunezii forte nactus eum conscendit fugaque mortem uitauit. nam equo ea porta et uia quae Guamangam ducit concitato e manibus hostium insequentium et clamitantium 'occidite, occidite proditorem et se- 2 ditionem in castris concitantem!' euasit. qui cum ad Bilcae amnis ripam uenisset, Alfonsum Perezium Schi-

88 1 idque S : ibique P
89 1 Nunezii S : Nunensii P

bellum, quem Vacca Castrus cum uiginti equitibus eo miserat, ut quid hostes agerent, quid temptarent diligenter cognosceret et ad se quam ocissime referret, obuiam habuit. cui Hidiachaeus inquit: 'etiamsi, Schibelle, 3 Caesar et Vacca praefectus quicquid est auri et argenti in Perura mihi darent, non reuerterer cum litteris atque edictis ad Almagrum et duces eius.' Schibellus autem, ubi omnia ab eo cognouit, e uestigio in castra regia est reuersus et quae ab Hidiachaeo accepisset praefecto rettulit. ille uero cum neminem hominem se persequentem 4 uideret, ad Bilcae ripam substitit nec multo post Didacum Mercadum cum Ioanne Balsa et Alfonso Salzedo, qui idcirco eum comitabantur, ne quid detrimenti ab aliis Didaci Almagri ducibus acciperet, uenientem ad se prospexit. at uero Mercadus dimissis et admonitis amicis ut consilia mutarentur sese ad Hidiachaeum recepit.

Inde ambo quam celerrime potuere eo die ac nocte, 90 ne ab Almagranis interciperentur, iter continuarunt albenteque caelo Guamangam incolumes peruenerunt et omnia quae in Almagri castris egissent et quae ille et duces dixissent et quo in Caesarem atque in praefectum essent animo libere aperteque explicarunt. ceterum, quo 2 magis fides ipsis haberetur, ambo iure iurando coram ducibus et militibus qui aderant pro certo Vaccae Castro affirmarunt primum se litteras cum edictis Didaco Almagro et ducibus eius reddidisse ipsosque litteras atque edicta accepisse et publice legisse et quae in illis continerentur probe intellexisse atque percepisse; deinde 3 se Almagro et ducibus dixisse Vaccam Castrum praefectum regium instructissimas equitum et peditum copias

90 1 celerrime S : celeberrime P

ad Guamangam habere eique Caesarem utramque praefecturam Nouae Castellae et Noui Toleti dedisse; ipsum uero praefectum in hoc potissimum incumbere, ut, si fieri posset, proelio absisteret, propensoque et parato esse animo ut pactiones de pace aequissimae fierent, quibus tot tantaque mala quot quantaque iam impendebant uitarentur resque tandem Peruranae in antiquum 4 tranquillumque statum redigerentur; quod si imperata ipsi facerent, sicuti facere deberent, et eos quidem ipsos maximam apud Carolum Caesarem Augustum Hispaniarum regem gratiam inituros et Vaccam Castrum eos, sicuti scripsisset, filiorum loco habiturum et quae promisisset impleturum et fidem suam sanctissime liberatu- 5 rum; postremo quoniam litteras fidei publicae ab ipso praefecto regio nomine Caesaris subscriptas haberent, aliquem ducem uel equitem uel quemcumque alium uellent, antequam dies cognitionis adesset, in castra regia mitterent, qui cum ipso praefecto de honestissimis concordiae pacisque condicionibus ageret eaque firma pacta fierent, quibus ipsi in regis sui fidem redirent operamque, sicuti legibus tenebantur, ei praestarent proelioque abstinerent, quod contra uexillum regium contra summum Perurae praefectum contra Caesaris amicos et clientes facere uolebant; hoc ipsis potissimum expedire, hoc commodissimum esse; quod si aliter facerent atque eis suaderent, haud dubium esse quin ipsi 6 sese perditum irent; ad haec illos furore quodam inferno percitos respondisse se neque facere neque accipere ullas pacis condiciones uelle, sed iam in animis secum statuisse rem fortunae committere et controuersiam

4 imperata S : imperati P

cum Vacca Castro non uerbis sed armis transigere atque decidere et cum rege, si in Peruram ueniret, confligere, quoniam ipsi prouincias Peruranas Cuschanasque suis non Caesaris sumptibus lustrauissent, armis subegissent atque in suam potestatem redegissent, nec se illas alicui tradituros, nisi Caesar quod ipsi uellent continuo faceret; tum denique se quoscumque Vacca Castrus legatos mitteret occisuros.

'Atqui certe' Hidiachaeus inquit, 'parum afuit quin **91** duces et me et Mercadum gladiis transfixerint, quod impudentiae, proditionis, infidelitatis eos argueremus, quod moneremus atque obiurgaremus ne tam aspere aperteque in Caesarem inueherentur. atque adeo in tanto uitae periculo fuimus ut, nisi effugissemus, nos illi trucidassent. qui quod custodes nobis adhibuerunt, ne 2 cum militibus colloqueremur? nam cum miles quaedam a me rogaret, subito Dominicus Rodericus Duranus, antequam responsum darem, reppulit dicens nec tempus esse rogandi nec respondendi, nec modestiae nec comitatis.' tum etiam Mercadus rettulit se a Martino 3 Bilbao secreto intellexisse Didacum Almagrum eo die, quo ipse atque Hidiachaeus se fuga e castris subtraxissent, secunda noctis uigilia copias ex Bilcis educturum magnaque in itinere celeritate usurum, ut aut Guamangam subito caperet aut Vaccam Castrum incautum imparatumque opprimeret, et Ioannem Balsam discedenti sibi dixisse: 'heia, Mercade, arte uehementerque com-

6 illas alicui S : alicui *illas P

91 2 *post* colloqueremur *interrogationis signum apposui* : *plene distinguunt* SP || 3 educturum S : edec- P *ut uid.* | eia *scr. To.* : ea SP

primite pugnos: nam qui artius uehementiusque pugnos compresserit, is procul dubio insequenti die princeps
4 gubernatorque Perurae erit.' 'nec sane dubitandum est quin ex Bilcis Didacus Almagrus et duces quam primum cum signis infestis sint egressuri, ut exercitum regium una cum praefecto fundant, deleant, occidant. et quae nos rettulimus omnibus erant in castris notissima nec ullam illi litterarum nec edictorum praetendere ignoratiam possunt, quippe qui et litteras publice recitari iusserunt et, antequam a Balsa comburerentur, eas nobis ostenderunt et pro responso binas ad te litteras nobis dederunt, quarum alterae a Didaco Almagro, alterae sunt a duodecim ducibus subscriptae.'

92 Praefectus litteras accipit, aperit, legit. Almagri autem litterae ex Ioannis Balsae sermone sic erant scriptae: 'accepi litteras quas a te Hidiachaeus et Mercadus attulere et mandata quae illi nomine tuo exposuere plane intellexi. petis ut Ioannem Balsam mittam, qui his de rebus quae ad Dei laudem et ad Caesaris commodum spectant tecum agat. ego uero Rodericum Salzedum cum legitima potestate his ipsis de rebus tecum agendi et cum his postulatis mittam, ut ea quae tibi probabun-
2 tur statim concludat et definiat. at uereor ut pax, si in eas conuenerit condiciones quae erunt propositae, seruetur. hoc ideo dico, quia, cum legati tui cum litteris et edictis in castra ad me peruenirent, speculator quidam a te missus, ut incommodum ac detrimentum quodcumque posset castris inferret, tunc ex arbore sus-

post erit *sic distinxi, scilicet enim insequentia a Mercado dicta sunt* || 4 signis S^{2}P : insignis S *ut uid.*
92 1 accepi S : accepit P

pendebatur. litteras uero quas iste perferebat uidi et his quibus erant scriptae reddi iussi. 3 et quamquam confido te eam fidem seruaturum quam dedisti, ut eques, qualis tu es, et uir ampliss<imus> ex illa terra fortunatissima, ex qua nuper in has Perurae prouincias uenisti, tamen timeo, cum tot sint apud te equites animo in me periniquo, ne circumueniar, neue rem ipse eo usque protrahas, quoad uires augeas, neue equites qui te sequuntur se reparent atque reficiant, unde uiribus auctis et tu potentior factus nec quae Caesar iusserit exspectabis nec pacta quae inter nos fient seruabis. 4 et sane hoc damnum nouissimum esset longe peius priore, quippe pater meus tot Francisci Pizarri et fratrum eius et quorundam equitum qui te comitantur promissis, quae non impleuerunt, et fidei publicae fiducia fretus, quam ei dederunt atque fregerunt, interfectus fuit. 5 itaque ut is quem ad te mittam eundo et redundo et in castris tuis manendo tutus ab omni periculo sit, uelim ut Alfonsum Aluaradum et Petrum Aluarum Holguinum, qui in castris sint meis, dum negotium conficitur, obsides mittas. et ne longius procedam, reliqua quae hac de re scribere possem Hidiachaeus tibi explicabit. ex Bilcis XVI kalendas Octobris.'

93 Litterae uero duodecim ducum huius modi erant: 'accepimus epistulam tuam quam Lopezius Hidiachaeus nobis reddidit et certe, si, ut scribis, existimas nos Didacum Almagrum praefectum, in cuius comitatu operam Caesari praestamus, ut te sequamur, relicturos, omnino falleris et pulchre tu quidem, si tibi persuaseris nos ioco

3 amplissimus] ampliss. SP | reparent S : raperent P || 4 damnum *corr. To.* : damnom SP | et *ante* quorundam *om.* P

non serio ea scripsisse, scilicet ut alicui placeremus, non
2 quae scripsimus efficeremus. uerum, ut fidem nobis habeas, iuramus per Deum et per Caesaris uitam nos ita ut ad te scripsimus, nisi ea pacta cum Almagro praefecto fiant, quae ad Dei gloriam, ad Caesaris honorem et ad uniuersae Perurae utilitatem, tranquillitatem et pacem pertineant, esse facturos. quod si ita, ut speramus, feceris, et omnes tibi inseruiemus et tui erimus clientes. ex Bilcis XVI kalendas Octobris.'

94 Praefectus his litteris lectis genua in conspectu ducum et militum flexit et ad caelum manus tendens 'precor' inquit, 'te, magne pater caeli et terrae marisque gubernator, ut, quoniam isti regis hostes nullas concordiae pacisque condiciones accipiunt, sed post templa tua spoliata et sacra profanata, post tot caedes et latrocinia, post tantam in regem suum perfidiam et rebellionem atrocissimum inferunt bellum, diuina iustitia tua eos punias, perdas, euertas, ut sacrosancta religio tua per omnes terras incognitas proferatur atque extollatur.'
2 haec precatus castra ad Chuparum deuersoria milia passuum ab oppido Guamanga octo trastulit. haec autem deuersoria in quadam planitie ad uiam regiam sunt posita et iugis et quibusdam tumulis montanis subiecta, unde maximum detrimentum castris regiis inferri poterat. per ea uero iuga Almagrus exercitum Guamangam
3 erat ducturus. quod oppidum ideo praefectus reliquit, quod parum tutum uidebatur ibi hostes exspectare et quod ea regio aspera et montosa equitatuique, quo ipse plurimum ualebat, iniqua minusque apta esset. nec ad existimationem nec dignitatem eius nec ad uirtutis opinionem pertinebat ut ipse cum exercitu regio se illic contineret, sed ut hostibus obuiam uenientibus occurre-
4 ret. at quamquam praefectus Guamangae, ubi septem dies milites in armis habuerat et ut in fide et officio

manerent operamque regi suo aduersus Didacum Almagrum praestarent diligenter curauerat largitioneque sua eos paratos promptosque in omnem euentum fecerat (aliis enim uestimenta, aliis arma, aliis pecunias dederat), tamen in Chupis multo paratiores promptioresque eos reddidit. nunc ad arma conclamari, nunc hostes ad- 5 esse dicere, nunc tubarum sono ut in armis essent excitare, nunc ut in ordines se reciperent admonere, nunc se aciem instruere fingere, iam speculatores in tumulis poni et exploratores mitti iubere ac demum milites comiter salutare, benigne alloqui et excipere seque ea prudentia et consilio gerere ut ab omnibus eximie coleretur atque suspiceretur. itaque praefectus eos omnes promptissi- 6 mos ad proelium et pugnae auidissimos sua industria, opera et studio fecit maximeque sibi eo die, quo in Didacum Almagrum pugnatum est, et duces et milites obstrinxit, cum praedam hostilem eis concessit. in hoc 7 animum intendebat omnique studio contendebat, ut hostium consilia per exploratores cognosceret, omnia ad proelium necessaria prouideret nihilque intemptatum relinqueret, quo Caesaris hostes et Perurae euersores acerbissimis ultimisque suppliciis puniret.

Iam triduum intercesserat, cum ab exploratoribus **95** quos miserat cognitum est Didacum Almagrum ex Bilcis cum instructissimis copiis egressum et per iuga quae Chupis impendent esse uenturum. tunc Garsias Leo procurator fisci sic uerba apud praefectum fecit: 'iam te cer- 2 to scire et omnibus qui in his castris regiis adsunt satis

94 4 (aliis enim ... dederat) *sic distinxi* || 5 in *ante* armis *om.* P | nunc ut ... admonere SP² *(in marg.)* : *om.* P || 7 omnique studio contendebat SP² *(in marg.)* : *om.* P | omnia S : omnium P

superque constare arbitror Franciscum Lopezium Hidiachaeum et Didacum Nunezium Mercadum Caesaris procuratorem litteras tuas una cum decretis atque edictis Didaco Almagro et ducibus eius dedisse. qui cum eas acceperint ac legerint, nullam excusationem habere nec culpam inscitia praetexere nec aliquid dictu honestum
3 praetendere perfidiae rebellionique possunt. et quamuis saepe per litteras eis ignoueris et legati quos misisti monuerint atque denuntiarint ut in fidem regis sui redirent, at nihilo tamen minus in defectione, rebellione, perfidia, proditione et tyrannide perseuerant: non arma ponunt, non a belli apparatu desistunt, non operam regi suo praestant, non ad aliquas concordiae pactiones uenire uolunt, ut ex suis ipsorum litteris atque ex legatorum testimoniis plane constat perspicuumque est, sed armis, equis tormentisque tam campestribus quam manualibus instructi contra uexillum regium ueniunt, ut proelio rem decernant, ut praefectum simul cum exercitu regio uincant, fundant, deleant, ut haec Perurae regna cum magno Caesaris incommodo et colonorum pernicie ac detrimento
4 armis opprimant. sed quid pluribus in re tam manifesta moror? iam regis hostes milia passuum tantum quattuor ab his castris regiis absunt. iam sex dies, quos eis praescripsisti, ut ad iudicium adessent, exacti sunt. uerum neque exercitum dimittunt neque edictis obtemperant neque positis armis, sicuti imperatum fuit, ad te in castra
5 regia ueniunt. proinde istos contumaciae et proditionis ac rebellionis iterum atque iterum accuso et abs te peto atque contendo ut confestim et sine mora (necessitas enim urget et magnitudo et atrocitas rei postulant) eos

95 5 (necessitas ... postulant) *sic distinxi*

proditores esse pronunties et poena mortis aliisque etiam poenis quae legibus sanctionibusque regiis in proditores sunt constitutae condemnes. tum etiam peto et te rogo ut 6 alia crimina quae in istos regis hostes duabus actionibus, quarum una in Xauxa ualle, alteram ad Guamangam habui, ad te detuli quam citissime coniungi accumularique iubeas. quae cum certa, manifesta notaque sint omnibus, non est quod his criminibus recensendis immorer. non locus, non tempus hoc patitur: iam enim hostes appropinquant. itaque et oro atque obtestor ut extemplo sen- 7 tentiam feras et quod pronuntiabis fortiter potenterque exsequaris. quod si aliter atque ego postulo fieret, haud dubia res est quin haec Perurae regna cum incredibili Caesaris iactura et damno, cum Indorum interitu exitioque et sociorum expilatione atque direptione non ab istis solum occuparentur, sed omnino etiam euerterentur. sic uniuersae Perurae, quam isti ad uastitatem uitamque 8 omnium nostrum ad excidium uocant, maxime expedit, sic communi omnium saluti conducit, sic Caesaris refert, sic denique uestra omnium qui castra regia sequimini plurimum interest. quorum fidem et auxilium sed imprimis, quantum iure possum et debeo, tuum, Vacca Castre, qui nomine Caroli maximi Caesaris Augusti Hispaniarum regis summum in Perura magistratus geris, officium imploro.'

Praefectus simul atque haec audiuit, statim Francisco **96** Paccio scribae regio mandauit ut crimina quae Garsias

pronunties et poena S : pronunies et poenas P || 7 postulo S : postulor P | incredibili S : incribili P | iactura SP^2 : iacturam P

Leo procurator fisci in Didacum Almagrum, in duces, in milites eius et in quoscumque alios qui ab Almagri partibus stabant intendisset, etiamsi manifesta notaque omnibus essent, simul in unum congereret aliaque aliis accumularet. et Paccius quidem sicuti mandatum erat
2 continuo fecit. post uero praefectus, cum ea omnia iudicio certo expendisset et re non uerbis ponderauisset, dixit se petitioni procuratoris fisci concessurum et quod iuris esset conclusurum atque definiturum et periculum quod intendebatur in omnes fortissime propulsaturum.

97 Itaque rebus diligenter prudenterque animaduersis et accusationibus et probationibus quae in litteras publicas erant relatae perspectis, plane aperteque praefectus intellexit ea crimina quae procurator fisci de Didaco Almagro, de ducibus deque militibus eius ad se detulisset uera, certa manifestaque et nota omnibus esse, subitoque ducibus et militibus ad contionem conuocatis sic
2 est locutus: 'non dubito, duces et milites, quin omnes qui in his castris regiis adestis compertum habeatis Didacum Almagrum, Didaci Almagri Noui Toleti praefecti defuncti filium, et praeter Ioannem Radam Montanum et Garsiam Aluaradum et Christophorum Sotellum et Petrum Porram, qui mortem obiere, Ioannem Rodericum Barraganum, Petrum Sammillanum, Franciscum Nunezium, Bartholomaeum Arbolancham, Ioannem Guzmanum, Ioannem Balsam et Martinum Bilbaum ac demum reliquos omnes praefectos, equites, centuriones, pedites et quoscumque alios factionis Chi-

96 1 Paccius S : Patius P
97 1 literas S^2P : literis S *ut uid.*

liensis, qui pro Didaco Almagro arma contra regem suum ferunt eumque auxilio et consilio iuuant, quorum nomina procurator fisci in indicem relata ad me una itemque altera actione detulit, consilium Limae de interficiendo Francisco Pizarro maximo Perurae praefecto et Caesaris legato iniisse postque ipsum domi suae crudelissima morte mactauisse; deinde Didacum Alma- 3 grum sese inuito senatu Limensi summum Perurae praefectum fecisse, signa militaria in regem suum extulisse, exercitum collegisse, ut haec Perurae regna armis opprimeret, sicuti certe oppressit, quippe qui Limam, Trugillum, Piuram, Guamangam, Arequippam, Cuschum et Platam Charcarum oppidum militibus occupauit, colonos auro argento gemmis uestimentis et armis spoliauit equosque ab illis coloniis et municipiis abegit. quid scelerum et flagitiorum iurisdictione regia 4 usurpata non commisit? nam cum Caesar praefecturam Noui Toleti, sicut Didacus Almagrus pater eius habuit, mihi dedisset, nec decretis edictisque regiis obsequi nec me Caesaris nomine accipere uoluit. eos uero qui Cuschi erant uicarii mei iusque ciuibus reddebant iustitiamque exercebant magistratu abire ui et minis coegit. quid 5 dicam istos Almagri duces et milites uectigalia regia rapuisse, defunctorum bona et priuatorum hominum deposita, quae in illis coloniis et municipiis asseruabantur, abstulisse? quid referam Almagrum et duces eius necato atque trucidato Francisco Pizarro domum eius diripuisse, equos et arma ciuibus qui in fide sui regis manebant eripuisse? quid infandas caedes Francisci Martini Al- 6

3 Trugillum *correxi* : Truxi- SP || 4 *post* coegit *sic distinxi* : *signum interrogationis scr.* SP

cantarensis et Francisci Chauii et aliorum equitum, qui simul cum Francisco Pizarro ab istis obtruncati fuere, memorem? quid latrocinia in publicis militaribusque uiis facta? quid sacrilegia in fanis, in delubris et in templis commissa enumerem? quid Antonium Picadum, Antonium Orihuelam Salmanticensem, Alfonsum Cabreram, Bernardinum Voxmedianum, Iulianum Villegam et Franciscum Montenigrum Hispanosque alios uiros fortissimos et regi suo fidelissimos et eos quidem plane insontes incognita causa magna praeconis uoce praetextu iustitiae in foro iugulatos proferam? quid denique alia istorum delicta, flagitia, scelera, facinora et 7 crimina paene infinita atque inaudita recenseam? non Almagrus, non duces, non milites eius imperio meo obtemperant, non decretis edictisque regiis parent, sed in perfidia, impudentia, proditione et tyrannide persistunt, infestisque signis isti in me, in uexillum regium, in duces et milites qui partes regias tutantur operamque in recipienda Perura atque in antiquum tranquillumque statum redigenda militarem regi suo nauant sese inferunt, ut nos omnes debellent, fundant et occidione occidant, ut nullo negotio Peruranas Cuschanasque prouincias in potestatem suam redigant, quo melius et liberius, nemine quidem eis resistente atque repugnante, insatiabilem crudelitatem, scelus, libidinem, auaritiam, populationem in Indos, in colonos, in regis socios ex- 8 erceant. tum etiam eo ducum ira processit ut cum Didaco Almagro statuerint et deliberauerint non Peruram

6 Voxmedianum *correxi, cf. 6.14.1, 7.25.13 et adn. ad 6.13.4* : Bozme- SP | Iulianum S : Iual- P | praetextu S : prextu P

solum sed prouinciam etiam illam quam Terram Firmam uocant inuadere et Panamam et Nomen Dei tenere et perseueranter tueri et conseruare omnique incommodo et detrimento Caesarem afficere atque haec Perurae regna ei adimere, tum denique efficere ne hae prouinciae imperio eius pareant, ne in fide maneant, sed summa cum reipublicae calamitate deficiant et rebellent. quid quod isti praeconia acerba per colonias, 9 per municipia fecerunt atque inter se coniurauerunt sese uitam fortunasque suas Didacique Almagri dignitatem animis et uiribus contra Caesarem esse defensuros? quid quod impudentissime contumeliosissimeque Caesari in maximum ipsius contemptum maledicunt? at ni- 10 hilo tamen minus, cum sint isti sub Caesaris imperio eiusque beneficiarii, per legatos litteras misi, quibus eos monui ut ab re tam nefaria et impia desisterent exercitumque dimitterent et ad me uenirent, ut mihi, qui nomine Caesaris summum in Perura magistratum gero, et praefectis et equitibus et centurionibus et peditibus et ceteris omnibus qui armis ac uirtute uexillum regium ab hostibus defendunt ac tuentur opem et auxilium contra defectionem et rebellionem ferrent. ad haec illi 11 prompte parateque responderunt se ad ultimum in proposito perseueraturos et proelio cum Vacca Castro exercituque regio dimicaturos, sicuti ex suis ipsorum litteris atque ex legatorum quos ad eos misi testimoniis

8 hae S : haec P || 9 quid *ante* quod isti *scripsi* : qui SP | *interrogationis signum post* defensuros *apposui, post* coniurauerunt *To.* : *plene distinguunt* SP | Caesari P : Caesari *uel* Caesaris S | *signum interrogationis post* maledicunt *scr. To.* : *plene distinguunt* SP

plane constat. iam a Bilcis, ubi litteras cum edictis meis accepere, ueniunt et in armis inceptoque permanent nec 12 longe iam ab his castris regiis absunt. quod adeo notum et apud omnes peruulgatum est ut nulla inquisitione, nulla denuntiatione, nulla adhortatione, nulla denique alia probatione opus sit, atque eo minus quod isti sunt in facinoribus capitalibus deprehensi et patentibus ma- 13 nifestisque criminibus conuicti. quare, cum ego semper omnibus neruis contenderim atque elaborauerim ut istos a foedissimis, crudelissimis tyrannicisque factis auocarem et ad salutem et cum rege in gratiam reducerem totumque temptarim nec id consequi potuerim, criminibus quae de illis Garsias Leo detulit magnitudine ipsarum rerum ponderatis et mentibus Didaci Almagri, Ioannis Balsae, Didaci Mendezii ceterorumque perspectis rebusque publicis, in quo statu consistant, optime consideratis, sententiam fero et uoce praeconis declaro Didacum Almagrum et duces et milites eius et singulos et uniuersos qui Almagrum sequuntur et partibus eius fauent in crimen maiestatis et proditionis contra regem suum et perduellionis contra rempublicam horum Perurae regnorum et prouinciarum incurrisse eosque omnes esse proditores, quos legibus sanctionibusque regiis deque maiestate deque aliis criminibus damno, ut poenas regi et reipublicae sic praesenti morte dependant, ut ubicumque terrarum capti fuerint, quadrigis alligentur et per uias et uicos praecone nomina proditorum magna uoce pronuntiante usque ad patibulum trahantur et corpora ipsorum dilacerentur atque

12 patentibus *corr.* P : patententibus S || 13 dependant S : dependeant P

dilanientur membraque discerpta in publicis regiisque uiis palis affingantur, bona publicentur et pecuniae in aerarium referantur. iubeo etiam domos quas isti regis 14 et reipublicae hostes in Perura habent demoliri atque in singulis istorum domibus dirutis columnas marmoreas poni et in his ipsis columnis nomina proditorum in sempiternum criminum capitalium monumentum, quae contra regem suum fecere, incidi. tum uero pronuntio ip- 15 sos et filios eorum post defectionem rebellionemque natos esse infames atque in perpetuum ita fore ut nec ordini equestri ascribi, nec dignitatem aliquam acquirere, nec munus suscipere, nec officium publicum obire, nec hereditatem cognatorum quae eis obuenerit cernere, nec extraneorum heredes, a quibus instituerentur, esse, nec denique legata ex testamento relicta petere possint, sed tamquam filii hostium regis et proditorum et patriae euersorum omnibus bonis et honoribus in perpetuum priuentur muneribusque habendis sint plane inhabiles. iam uero, duces et milites, ut finem dicendi faciam, no- 16 mine Caesaris uobis impero ut equos et tela expediatis, ut periculum quod reipublicae, quod ab istis uni cuique nostrum infertur acerrime propulsetis, et quod pronuntiaui impigre armis non abiectis animis in istos proditores exsequamini eosque, si se manibus ac telis defenderint, crudelissime obtruncetis. sic tempus flagitat, sic necessitas constringit, cui sane, si uos rempublicam saluam esse uelitis, parendum est. sed quoniam praemio 17 et poena respublica continetur, ut illi et regi et reipublicae et nomini Hispano poenas hodie morte dabunt, sic uos praeter amplissima praemia quibus a Carolo maxi-

16 pronuntiaui S : -uit P

mo Caesare Augusto Hispaniarum rege donabimini gloriam ob Peruranas Cuschanasque prouincias summa fide, constantia et uirtute uestra reciperatas capietis et praedam, quam uobis largior, ex debellatis hostibus habebitis.'

98 Haec cum praefectus dixisset proelio in eundem ipsum diem pronuntiato contionem dimisit. is dies erat ad decimum sextum kalendas Octobris eius anni qui erat a Christo nato millesimus quingentesimus quadra- 2 gesimus secundus. hanc sententiam Vacca Castrus summus Perurae praefectus armis nitentibus et paludamento aureo cum insigni Diui Iacobi purpureo indutus dictauit Francisco Paccio scribae regio humi iuxta uexillum regium sedenti atque excipienti et, priusquam aciem institueret, de equo, quem conscenderat, perinde 3 ac de tribunali pronuntiauit. et necesse quidem erat ut sententia Didacum Almagrum et duces et milites eius capite damnaret, bona eorum proscriberet, domos solo aequaret liberosque eorum post defectionem factam natos sempiternam subire infamiam iuberet, propterea quod plerique milites qui in castris erant regiis timebant cum Didaco Almagro pugnare, quod accepissent id Caesarem periniquo animo laturum, sicuti certe tulisset pugnam a Ferdinando Pizarro cum Didaco Almagro Noui Toleti praefecto huius Didaci Almagri patre 4 ad Salinas factam. sed enim praefectus, quo magis militum animos erigeret atque ad uoluntatem suam et pro-

98 1 ipsum diem S : diem ipsum P || 2 scribae SP : scriba *corr. To.* | sedenti atque excipienti *correxi* : sedente atque excipiente SP || 3 propterea S : praeterea P | factam *post* Salinas *correxi* : factum SP

elii dimicationem, quae subeunda erat, confirmaret, ut praedam hostium haberent eis concessit et, quo id in omnium notitiam ueniret, Nicolaus praeco magno tympanorum et tubarum sonitu ter ad uexillum regium, ubi duces et maxima pars militum aderat, pronuntiauit atque etiam praedicauit ut uni cuique militum liceret spolia de hostibus trahere.

99 At uero duces et milites sententia accepta et spe praedae adducti arma sumpto cibo pro communi salute summa cum alacritate et proelii faciendi cupiditate contra regis hostes atque proditores capiunt seseque festinanter ad signa recipiunt, ut praefecti imperia exsequantur. 2 qui cum per exploratores cognouisset Didacum Almagrum copias per iuga ducere iterque Guamangam dirigere, praecepit Francisco Paccio et Petro Lopezio scribis regiis ut proelio, quod eo die futurum erat, ambo interessent oculisque intentis huc atque illuc intuerentur et respicerent animisque ea omnia quae in proelii fierent dimicatione ita complecterentur ut aspectus ipse fidem eius proelii uel secundi uel aduersi faceret. 3 quod illi sicuti ipsis praeceptum erat bene accurateque exsecuti fuere firmumque ea de re testimonium postea dedere.

100 Iam uero Ferdinandus Bacchicaus, qui cum exploratoribus praemissus fuerat, praefecto renuntiauit se exploratoribus Didaci Almagri obuium dedisse hortatumque eos fuisse ut errorem deponerent atque in reipublicae gratiam redirent; quod si facerent, Vaccam Castrum nomine Caesaris ueniam et impunitatem eis esse daturum; eos uero petulantissimis uerbis Caesarem

4 ut praedam ... ueniret SP[2] *(in marg.)* : *om.* P

2 laesisse turpissimeque praefecto regio maledixisse; et cum alii alios in partes suas trahere conarentur et exploratores regii clamarent iniquam Didaci Almagri esse causam, quam ipsi armis defenderent, et bellum impium quod inferrent; ideo si famae, si saluti suae consultum uellent, ad praefectum regium, qui ea omnia quae tam nefarie atque impie fecissent condonaret, e uestigio transirent, 'quid statis? huc transite. en adest Vacca Castrus praefectus regius', eos uero minitantes dixisse 'hic consistit rex Almagrus, qui uirtute sua et Vaccam et

3 exercitum regium iam iam delebit'; ad haec regios respondisse 'resipiscite iam; Almagrum relinquite et in regis uestri fidem redite et praefectus delictis quae commisistis ignoscet benigneque uos excipiet'; tum Almagranos uociferasse 'uos estis proditores; nos regem Didacum Almagrum constituimus et habemus nec alium agnoscimus. quid estis uos, nisi Vaccae Castri famuli et anacones?'

101 Haec cum praefectus audisset, ne quis miles abditus in tabernaculis maneret pugnaque abstinere uellet, equitando ea deiecit et, cum ad tentorium Alfonsi Aluaradi uenisset, 'heia,' inquit, 'Aluarade, non fiet hodie istud?'

2 'etiam' respondit ille. hoc ideo refertur, quod Lopezius et Zarataeus tradunt Vaccam Castrum, cum dies inclinaret, uoluisse proelium in posterum differre, sed ab Alfonso Aluarado ut eo die cum hostibus confligeret in-

100 2 *post* transite *et* regius *sic interpunxi* : *signa interrogationis post eadem scribunt* SP || 3 ad S : at P | resipiscite S : respicite P

101 1 heia *scripsi* : ea SP || 2 Lopezius et Zarataeus tradunt] *cf. Gómara 248a et Zárate 504b*

ductum fuisse, ut qui diceret, si praefectus pugnam differret, periculum esse ne calor ille pugnandi mora refrigesceret, neu plerique milites ad Almagrum transfugerent, neu uires et animi hostibus adiicerentur. itaque illi honorem laudemque Vaccae Castro detrahentes asserunt Alfonso Aluarado insistente pugnatum cum hostibus eo die ad Chupas fuisse. an Vacca Castrus, si proelio cum 3 hostibus decertare noluisset, ab oppido Guamanga mouisset? an galeam et loricam induisset et crura ocreis texisset et equum conscendisset, nisi eo die acie et collatis signis cum hostibus dimicare uoluisset? an militibus ut arma sumerent edixisset? an aciem instruxisset? an circumequitauisset tentoria et, ne quis se occultaret, ea deturbauisset? an denique Aluaradi animum perspexisset atque confirmauisset, nisi controuersias finire et cum Didaco Almagro armis decernere in animo habuisset? intellegebat plane Vacca Castrus idque in animo mente- 4 que eius insidebat, si eo die pugna absisteret, omnia perditum iri. uidebat enim iam hiemem esse, pluuias in ea potissimum regione metuendas, milites in hiberna mittendos, magnam esse in castris frugum, commeatus et argenti inopiam, numeranda militibus stipendia, nihil sibi ad largiendum, nihil ad remunerandum iam suppetere. ad haec praefectus satis exploratum habebat, si Dida- 5 cus Almagrus Guamangam caperet, se commeatibus intercludi et oppidum illud difficulter aegreque recipi posse; quod si ille in plana descenderet, non dubium esse quin et Limam et Trugillum et Piuram esset direp-

3 *post* induisset *non interpunxi* : *interrogationis signum scribunt* SP | *post* instruxisset *interrogationis signum apposuit To.* : *plene distinguunt* SP

turus et portus oramque totius Perurae maritimam praesidiis firmaturus mareque illud austrinum classe instructa infestum habiturus ac, sicuti iam ante constituerat, et Panamam et Nomen Dei funditus euersurus et totam prouinciam illam quam Terram Firmam uocant militi-
6 bus occupaturus; tum uero ille exercitu ex crudelissimis et perditissimis quibusque militibus suppleto et uiribus opibusque ex coloniarum municipiorumque direptionibus, ex sociorum expilationibus agrorumque uastationibus et templorum spoliationibus maxime auctis signa infesta eo illaturus erat, ubicumque Vacca Castrus cum copiis regiis esset, ut eas uno proelio funderet atque superaret fusasque ita persequeretur ut armis praesidiisque
7 totam ipse Peruram teneret. praeterea, si praefectus cum omnibus suis copiis hostes in Peruram planam descendentes sequeretur, ut eos rapinis et populationibus prohiberet, atque si idem isti se fortuna et uiribus inferiores et Vaccam Castrum superiorem esse uiderent, subito certe itinere signisque conuersis aut Cuschum repetiissent aut in Perura montana aliquem locum egregie natu-
8 ra opereque munitum cepissent (sunt enim permulti in ea prouincia loci usque adeo asperi adituque difficiles ut paene inaccessi uideantur), unde finitimas regiones excursionibus latrociniisque frequentioribus infestas red-
9 derent; quod si inde expulsi eiectique essent atque in Chiliam sese ipsi reciperent, necessitate praefectus cogebatur fines prouinciae Cuschanae ab hostium excursionibus tueri ibique praesidia disponere atque in his alendis sustentandisque ingentes cum summa uectigali-
10 um regiorum iactura sumptus facere; quod si Almagrus

6 spoliationibus S : expo- P || 8 (sunt ... uideantur) *sic distinxi*

copias ex Chilia educeret, ut terras incognitas lustraret armisque subigeret idque ex sententia non succederet, haud dubia res erat quin ipse eas copias, sicuti Didacus Almagrus pater eius fecisset, in Peruram reduceret seseque infestum contra omnes inferret et, antequam praefectus milites ex omni prouincia in unum locum contraheret, omnia diuexaret atque diriperet improuisoque ciuitates et oppida armis opprimeret. at uero, cum imbres iam effluerent, qui in illis montanis regionibus magni assiduique usque ad mensem Aprilem esse solent, necesse erat milites in hibernis collocare; neque enim praefectus eos in castris continere potuisset; nam alius alium ad hiemandum hortatus fuisset ac in suas quisque sedes ire contendisset. contra uero hostes, utpote damnati, ut sibi suisque rebus prospicerent, se coniunxissent unumque in locum conuenissent omniaque inde infesta fecissent itineraque intercepissent. qui cum exercitum regium diuersis in locis longinquisque hiemare nec tam cito ex hibernis educi nec cogi posse pro certo haberent, colonias et municipia uexassent atque perdidissent agrosque praeda et populationibus deuastassent. tum denique accedebat maximum Vaccae Castro incommodum, quod Indi Perurani, qui pro consuetudine sua eum ducem qui cum exercitu suo pedem refert nec impetum in hostes facit fugere existimant belloque persequuntur, simul atque praefectus copias reducere ex Chupis uoluisset, statim castra regia deseruissent et ad Almagrum transfugissent et omni commeatu exercitum regium prohibuissent. itaque transfugientibus Indis sarcinariis nec castra inde moueri nec exercitus propter ciba- 11 12 13 14

11 suas quisque S : quisque suas P

riorum inopiam ali nec sarcinae militares portari nec tormenta trahi nec alia instrumenta bellica deuehi potuissent.

102 Quibus rebus praefectus adductus, quem etiam non fugiebat, etiamsi ipse acie cum hostibus confligere noluisset, eos ipsum adorturos fuisse, ducibus et militibus, sicuti supra demonstratum est, edixit ut parati promptique ad pugnam essent: uelle se, sicuti eodem die statuerat, hostibus obuiam procedere, signa conferre manumque cum eis conserere, quippe cum satius esse duceret inuadere prius hostes et inimicos, ut Indi facere solent, 2 quam ab eis inuadi. neque uero illud praefectum deterruit nec a proposito auocauit, quod ipse certo sciret quinquaginta milites tormentarios et totidem hastatos magnis promissis pretioque a ducibus Almagri inductos fuisse, ut Vaccam Castrum praefectum regium in acie quaererent cognitumque ex paludamento glandibus emissis traicerent equoque deturbatum hastis confode- 3 rent. qui ut erat armatus equoque acri coloris atri quam maxime poterat exornato insidens, quo conspectior esset, paludamentum auro textili cum insigni Diui Iacobi militari ex purpura super umeros induit.

103 Et ab exploratoribus certior factus Didacum Almagrum cum copiis suis per planitiem inter summa excurrentem iuga, quae castra regia non longius milibus passuum duobus ab hostibus dirimebant, uenire iterque accelerare et iam iam adesse, ut copias regias a tergo adoriretur, Nunium Castrum cum militibus tormenta-

102 3 paludamentum SP² : -mento P
103 1 Nunium *correxi* : Nunni- SP *et sic postea semper, quod posthac silentio praetermittam*

riis quos ducebat et Petrum Anzurium cum turmis equitum quibus praeerat, ut eis subsidio esset, praemisit. his mandauit ut propere iugum, quod erat quam 2 proxime castra, tenerent, ne hostes illud occuparent, neue tormenta bellica illic collocarent, tum etiam ut proelio illi cum eis contenderent, quo ipsos ab itinere quod Guamangam intendebant plane auerterent. ipse uero 3 aliis ducibus et militibus iussit ut sarcinis atque impedimentis in castris relictis armati se uexillumque regium sequerentur et quod ipse in regis reipublicaeque hostes statuisset fortiter impigreque secum exsequerentur. at 4 uero Castrus et Anzurius, cum iam hostes ultra progrederentur, conatu destiterunt nec illos ad pugnam, quamquam Augustinus Zarataeus aliud tradit, lacessiuerunt, sed ad praefectum reuerterunt. qui copias per alterum iugi latus, ut impiis hostium conatibus obuiam iret, ducebat.

Iam multum ipse iugi cum omnibus copiis ascenderat, cum ceruus repente prosiluit fugiensque per mediam aciem ad summum iugum euasit. hunc ubi inter media agmina currentem integrumque et intactum fuga superasse iugum praefectus aspexit, 'en,' inquit, 'milites, principium simulque omen euentus prosperi uictoriaeque laetae, quam Deus uobis tribuet. nam iam olim usu cognitum est ceruum in proeliis uictoriam portendere atque ita reges Gallorum in bellis quae gesserunt obseruauisse memoriae proditum est. quin etiam traditum 2 **104**

quibus praeerat S^2 *(in marg.)* P : *om.* S || 4 Zarataeus] *cf. Zárate 504*

104 1 omen SP^2 : omnem P *ut uid.* | tribuet P : tribuit *uel* tribuet S

est per ceruum (est enim huic pugna cum serpentibus) eum regem aut principem aut ducem effingi exprimique, qui se acerrimum in uiperas, id est, in sceleratissimos quosque homines uindicem exhibuerit, quales uos me duce in istos proditores et regis hostes fore spero
3 atque confido. iam enim isti in sua perfidia et rebellione perseuerantes furoreque et auaritia ardentes infesti in nos feruntur, sed sane isti, simul atque nomen regis audierint, statim animis frangentur, uiribus deficient, armis signisque proiectis in fugam conuertentur. neque uero dubito quin pulchram uictoriam cum opima praeda, quae ex tantis hostium spoliis uobis parata est, reporte-
4 tis. ego certe in aduenientes hostes cum hoc primo agmine, quod duco, cum ferro inuadam primusque omnium in eos impetum faciam. sequimini me, duces et milites, nam uictoriam non dubiam prope in manibus habetis.'

105 At praefecti et centuriones cum haec auribus accepissent, caelum caelitesque contestantes praefectum orabant atque obtestabantur ne id faceret, neue se tam magno mortis periculo committeret, sed nouissimum
2 agmen ducendum susciperet. hoc etiam Nunius Castrus et signiferi et alii qui minores ordines ducebant iam tum hortati obtestatique fuerant, cum ille e Xauxa ualle acie instructa eo Guamangam ire contenderet, quod denuntiatum esset Didacum Almagrum ex Bilcis mouisse, ut oppidum illud caperet aut Vaccam Castrum una cum copiis regiis incautum repentino aduentu opprimeret.
3 ceterum duces et milites uno animo unaque uoce cense-

2 (est enim ... serpentibus) *sic distinxi. de sensu cf. Covarrubias s.u. 'ciervo'*

bant neque decere neque e Caesaris commodo neque e republica esse Vaccam Castrum summum Perurae praefectum et regis legatum, ex quo salus uitaque omnium et respublica penderet simulque consisteret, primum in hostes prorumpere, praesertim cum in eo concursu maximum esset uitae periculum, quoniam, si ipse in acie caderet, quod Deus auerteret, futurum erat ut ipsi tempore tam iniquo et rebus prope iam deploratis ac perditis nec praefectum nec legatum haberent, cui summam imperii bellique deferre, quem colere, suspicere obseruareque possent, qui Peruram regeret atque gubernaret, qui denique pro suis cuique meritis praemia laborum rependeret; quo fieret ut, cum alii aliis imperare 4 uellent, mutuo inter se odio flagrarent, mutuis inter se proeliis pugnarent et mutuis sese uulneribus conciderent caedesque Hispanorum usque adeo indignae et acerbae inter se fierent ut Perura cum maximo Caesaris incommodo summaque cum colonorum pernicie atque exitio in hostium potestatem ueniret atque de integro in antiqua mala et in seruitutem redigeretur. itaque om- 5 nes praefectum orabant et obsecrabant ut se quam primum in nouissimum reciperet agmen indeque quid agendum esset curaret atque prouideret; si id faceret, se fortissime operam regi suo daturos; si id quod ab eo uehementer contendebant non impetrarent, se cum Didaco Almagro eo die non esse pugnaturos.

Ceterum praefectus rem dissimulans cum primo ag- **106** mine usque eo processit, donec ad summum montem peruentum est hostesque acie instructa per planitiem

105 3 Deus SP² : Duces P | obseruareque S : et obseruareque P | qui Peruram ... denique SP² *(in marg.)* : *om.* P

quae inter iuga excurrit euntes prospexit. aberant milia passuum ab ipsius exercitu circiter tria. qui ubi exercitum regium infestis contra se signis uenientem conspexere, sub tumulo consedere tormentaque campestria in
2 edito natura loco atque munito disposuere. haec autem tormenta erant uiginti tria in suis quaeque carris posita, quorum axes erant ex ferro, rotae uero laminis et circulis, ut firmiores essent, ferreis munitae. ex singulis tormentorum capitibus bini pendebant sacculi, uni quidem cum papyraceis cucullis pulueris sulpurei plenis, alteri
3 uero glandibus ferreis referti. erat unum inter haec tormenta bellica magnitudine et forma ceteris praestans. in hoc ideo insigne Diui Iacobi incisum insculptumque erat, ut eo potissimum tormento glandes ferreae in purpureum Diui Iacobi insigne quod Vacca Castrus praefectus in paludamento aureo pro pectore in proelio ge-
4 staret emitterentur. erant alia sex tormenta denum longitudine pedum (medias culebrinas uocant), quibus pilae ferreae ad mali citrei magnitudinem iaciebantur. reliqua tormenta erant paulo minora. quae omnia Petrus Candia Cretensis ex aere Cuschi fuderat. totidem erant magistri tormentarii quot tormenta bellica, qui ab insulis usque Aegaei maris quod Archipelagus dicunt ad Peruram nauigarunt. his autem omnibus et tormentis idem Petrus Candia Cretensis praeerat.

107 Et sane Didacus Almagrus maximam in his tormentis bellicis spem ponebat iamque animo uictoriam per-

106 2 ut firmiores S : infirmiores P *uel* P² || 4 (medias ... uocant) *parenth. dubitanter statui: an potius* quas *ante* medias *supplendum?* | culebrinas S²P : culebras S | citrei *correxi* : citrii SP

cipiebat. is cum exercitum regium appropinquare uideret, aciem sic instruxit. in dextro cornu centum et quinquaginta equites collocauit, quibus Ioannes Balsa legatus, Petrus Onnatius, Ioannes Tellius et Martinus Bilbaus praepositi erant. his adiunxit Paulum Guainacapae Hingae filium cum Indis funditoribus. in media acie amplius quadringentos pedites constituit, quos Franciscus Cardenas, Ioannes Olea, Martinus Cotus, Ioannes Consaluus Malauerus et Ioannes Perezius ducebant. sinistrum cornu ipse tenuit cum centum equitibus, quibus Didacus Mendezius et Didacus Hozius praeerant. in eo loco uexillum eius fuit, quod ille Mendo Quesadae gestandum dederat. huic sinistro cornu adiunxit quinquaginta equites loricatos, quos cataphractos uocant, eosque loricatis Vaccae Castri opposuit. erant omnes tam equites quam pedites Almagri numero quidem pauciores (septingenti enim Hispani tantum fuisse dicuntur), sed armis, equis, tormentis et campestribus et manualibus longe instructiores et animis ut in ultima spe uel ad decertandum ac uincendum uel ad fortissime moriendum obstinatiores quam milites exercitus regii. uerum enimuero Didacus Almagrus, cum non longius mille et quingentis passibus ab exercitu regio abesset, magnam glandium uim emitti in eum tormentis bellicis iussit. 2 3 4 5

108 At Vacca Castrus, ne exercitum ascensu defessum hostibus obiceret, paulisper substitit et ad hunc modum aciem instruxit. in cornu sinistro ducentos et triginta equites collocauit, quibus Petrum Aluarum Holguinum tribunum militum, Garsiam Lassum Vegam, Gomezium

107 1 Guainacapae *correxi* : -cauae SP || 2 Consaluus] *cf. adn. ad 7.61.19* || 4 (septingenti ... dicuntur) *sic distinxi*

2 Aluaradum et Petrum Anzurium praeposuit. in media acie trecentos pedites hastatos et centum et quinquaginta tormentarios constituit; hos Nunius Castrus, illos Petrus Vergara et Ioannes Velleius Gueuara ducebant. 3 in dextro cornu, in quo uexillum erat regium, quod Christophorus Barrientus uir fortissimus ferebat, centum et uiginti equites, quibus Alfonsus Aluaradus praeerat, collocati erant. huic cornu quinquaginta loricatos, ut uexillum regium acerrime defenderent cataph- 4 ractisque Almagri resisterent, adiunxit. ipse fortissimum ac nobilissimum quemque ex omni equitatu delegit. hi fuere numero quadraginta equites partim ex amicis ac pernecessariis, partim ex his de quorum fide dubitabat, quod hos Didaco Almagro maxime deditos addictosque sciebat nec committendum putabat ut isti in primo es- 5 sent agmine. ceterum Hispani quos Vacca Castrus in aciem eduxit mille fuisse traduntur, sed nec armis nec equis nec tormentis ita instructi ut Almagrani fuere. illi puniceis insignibus, hi candidis ab umero dextro ad sinistrum oblique ductis erant distincti atque alii ab aliis discreti.

109 At uero praefectus, cum animaduerteret magnum exercitui regio detrimentum, si ex aduerso in hostes procurreretur, ex tormentis hostilibus illatum iri, quod loca essent apertiora et tormenta in edito idoneoque loco ita disposita ut agmina dissiparent atque disperderent, Francisco Caruaiali, summo militiae praefecto, et Ioanni Lopezio Lascano signifero mandauit ut quam celerri-

108 5 ab *ante* aliis *om.* P
109 1 apertiora S : -toria P : -tioria P[2] | atque S[2] *(in marg.)* P : *om.* S

me locum cognoscerent, quo sine tanto militum discri-
mine aduersarios aggredi possent. subito renuntiatum 2
est ad laeuam descensum in uallem esse nihilque pericu-
li eunti per eam exercitui ex hostium tormentis inferri
posse, sed tutum facilemque ad inuadendos eos ascen-
sum esse. praefectus confestim signa ex eo loco in ual-
lem inferri iussit simulque exercitum more militari sic
est ad pugnam cohortatus: 'possem ego sane, duces et 3
milites, uobis testibus uti quanto studio pacem petie-
rim, quantum per litteras publicas et priuatas, quantum
per legatos fide etiam publica data et uenia et impunita-
te scelerum ac flagitiorum nomine Caesaris concessa
contenderim atque elaborarim ut Didacum Almagrum
et duces et milites eius in gratiam cum rege suo reduce-
rem. sed quoniam nec id assequi potuerim nec illi in
regis fidem redire nec imperio parere uoluerint, senten-
tiam in istos pronuntiaui, hostes iudicaui, capite dam-
naui. en isti in perfidia et impudentia persistentes ferreas 4
glandes super capita uestra fulmineo cum fragore per
auras stridentes tormentis, in quibus maiorem quam in
uirtute sua spem ponunt, effundunt. quis istos reipubli-
cae euersores et patriae proditores ferre amplius poterit?
quis istos regis et communes omnium hostes atque ini-
micos non adorietur? quis non publicas modo sed
priuatas etiam iniurias non ulciscetur? iam iam istos 5
inuadite, prosternite, fundite, occidite. uictoria iam parta
est. atque eo magis si alius alium uirtute in proelio su-
perare contenderit, si ita strenue et fortiter in acie ferro
depugnauerit ut effusis profligatisque aduersariis prae-
dae praemiorumque particeps esse possit. testor Deum 6

3 testibus SP^2 : texti- P || 5 particeps S : participes P

atque omnes diuos me nomine Caesaris, si ita ut spero hostes proelio uiceritis atque fuderitis, gratiam uobis relaturum et fidem et operam quam in re militari regi uestro praestitistis et labores et pericula quae in recipienda defendendaque armis Perura subiistis et iacturam bonorum quam fecistis, denique sumptus quos in hoc bello impendistis summis honoris commodis compensaturum maximisque et amplissimis praemiis remuneraturum.'

110 Haec cum dixisset animosque militum uerbis confirmauisset, per decliue concitato equo sese intulit. idque iam semel atque iterum fecerat et Martinum Florentiam, quem tormentis regiis (erant enim haec tormenta decem et octo) praefecerat, monuit ut quam citissime ea 2 tormenta ad summum iugum perducenda curaret. sed ea nulli usui, quamquam ille maximam in hoc adhibuit diligentiam, exercitui regio fuere; neque enim Indi et serui qui trahendis erant tormentis destinati quibusque praefectus se daturum libertatem promiserat, etiamsi uno animo cuncti per ascensum conixi fuerint, ea per- 3 trahere ulla ui ad planitiem potuere. at praefectus celeriter ad aciem reuersus nunc equites, nunc pedites alacri promptoque animo alloqui, nunc hos, nunc illos monere ut acriter in hostes pugnarent ordinesque seruarent, iam primum agmen adire, iam in nouissimum, quod ducendum susceperat, ut ducibus et militibus eo praesertim tempore gratissimum faceret, se recipere nulloque in loco consistere, sed rursus aciem perequitare, duces ac milites officii commonere ac demum omnia,

110 1 animosque ... confirmauisset SP[2] *(in marg.)* : *om.* P | (erant ... octo) *sic distinxi* || 3 susceperat S[2]P : *om.* S | commonere SP[2] : -mouere P

ne quid deesset quod uictoriam remorari posset, prouidere. milites uultum Vaccae Castri hilarem non turbatum oculis contuentes ingentem inde laetitiam et uires animumque capiebant aliique alios hortabantur seseque mutuo ipsi ad proelium incitabant. erat inter utramque aciem tumulus quidam. eo cum accessum esset, praefectus equo per agmina discurrens milites sceleris et crudelitatis hostium commonefacere, ut, antequam sol occideret, meritas debitasque de illis poenas sumerent, nominis Caesaris et maiestatis, quam isti tam nefarie laesissent, admonere: Caesarem, quamquam absentem, proelio praeesse et fortia cuiusque facta inspicere, ut praemia pro suis cuique meritis rependeret; eum esse diem, quo, si pristinae uirtutis memores, si famae, si gloriae, si laudis aeternae auidi, si diuitiarum cupidi essent, Peruram recipere eamque Caesari restituere et libertatem una cum Indis et fortunis reciperare possent. milites cum uultum Vaccae Castri cum oratione consentire intuerentur, studio pugnae ardebant eamque ita exposcebant ut aegre a ducibus continerentur quin in hostes concurrerent. 4 5 6

111 Praefectus Petro Aluaro Holguino tribuno militum et praefectis et centurionibus imperauit ut se ex aduerso in hostes procurrere simularent repenteque e uestigio e uia deflecterent atque a latere in aduersarios impetum facerent. quod non parum militibus profuit. nam si ipsi aliter atque imperatum erat concurrissent, magnum certe ex hostium tormentis detrimentum accepissent. erat Gomezius Tordoia in exercitu regio pater Ioannis Vargae, qui cum Francisco Pizarro praefecto interfectus fuit. is Tordoia Vaccam Castrum respiciens ‘faciam’ inquit, ‘hodie, praefecte, ut oculis uideas qui uir et quantus sit Gomezius Tordoia in Didacum Almagrum et qui qualesque sint milites Cuschani.’ tum Vacca Cas- 2 3

trus, 'et uos omnes uidebitis qualem praefectum habeatis. iam quantum possumus in Didacum Almagrum et duces et milites eius, qui tam sceleste atque impie maiestatem Caesaris per uim minuerunt, inuadamus. sed in memoria habete illos proditores et regis hostes, uos amicos et clientes fideles esse; illos fugere solere, uos 4 uincere scire. iam Caesar hodie per uos imperium Perurae debellatis hostibus reciperabit. quam prouinciam ideo ipse reciperari uult, ut tales equites quales uos estis eam teneatis et cum aeterna nominis uestri laude atque memoria, quam posteris relinquatis, uos ibi alatis atque sustentetis.'

112 Haec cum dixisset et quid fieri uellet ducibus ostendisset, primum quadraginta equites quos delegerat, ut tuti a tormentis bellicis essent, in ualle post tumulum subsistere iussit, ut quo res postularet occurrere extemplo possent. deinde ipse signo tuba dato tumulum conscendit, ut inde proelium conspiceret et quid agendum esset prouideret et subsidium laborantibus suis ferret. fuit eo in loco praefectus summo cum uitae discrimine. 2 nam glandes quae tormentis emittebantur horrendo cum stridore super caput eius inuolabant. quarum una militem quendam fracta rupe sub qua se occultauerat non procul a Vacca Castro obtruncauit. erat is Petri Anzurii miles, qui nullis precibus, nullis minis, nullis promissis induci umquam potuit ut pro rege contra Didacum Almagrum pugnaret, ut qui iniquum impiumque esse diceret Christianos cum Christianis acie confli- 3 gere. uerum enimuero Gomezius Roias, qui unus erat ex quadraginta equitibus delectis, cum animaduertisset

112 2 horrendo S : horrendum P

exitium Vaccae Castro adesse atque impendere neque id ferre potuisset, 'quid,' inquit, 'equites, profuit uehementer a praefecto contendisse ne primus omnium in hostes procurreret, si nunc eum in longe maiore mortis esse periculo quam tunc fuisset uidetis? tutior certe ipse in acie quam in specula erit, ad quam tamquam ad scopum pilae densissimae tormentis bellicis diriguntur.' haec audientibus equitibus uisum est ut Roias praefecto 4 diceret tempus esse in hostes irrumpendi. hoc Roias equo celeriter per tumulum admisso ad eum detulit. cui praefectus uultu perinde sereno ac si Pintiae esset 'renuntia,' inquit, 'Gomezi, ipsis equitibus gratissimum mihi fore, si in eo loco se contineant, quia nondum est tempus.' et Gomezius quidem Vaccam Castrum tam robusto excelsoque animo tamque hilari interritoque uultu esse admiratus propere ad equites descendit et quid ille respondisset eis rettulit. at praefectus, quamquam se 5 mortis periculo commissum uidebat, tamen euentum rei acriter speculabatur atque in occasionem Didaci Almagri exercitusque eius opprimendi imminebat eamque commodam et idoneam irruendi ex tumulo in hostes exspectabat.

Ceterum Didacus Almagrus, ubi Vaccam Castrum de **113** uia ad sinistram cum copiis declinare infestisque signis ex ualle per ascensum eas sese inferre prospexit, subito tormenta bellica contra Petri Xuaraei maximi militiae praefecti uoluntatem eo transferri iussit. sed is fuit im- 2

3 uehementer S : uehenter P | *signum interrogationis post* uidetis *transposui, quod To. post* contendisse *scripsit* | scopum] *cf. Suet. Dom. 19* || 4 ille S : illi P

113 1 Xuaraei *correxi (et tacite in 7.11.3)* : Xuarei SP

petus eaque celeritas Nunii Castri centurionis una cum sexaginta militibus tormentariis, quos extra ordinem ducebat, in lacessendis proelio hostibus ut sex tantum tormenta ex his quae mediae culebrinae uocantur mutari potuerint. ex reliquis uero parum deinde detrimenti
3 acceptum est. et profecto Didacus Almagrus, si Petro Xuaraeo uiro rei militaris peritissimo credidisset, si in eo loco munito in quo prius tormenta bellica ante instructam aciem habebat constitisset, uel aduersarios facile ascensu prohibuisset uel potius certe fudisset.

114 Iam uero omnis equitatus peditatusque regius non minore animo et fiducia quam alacritate atque celeritate in planitiem ascenderat paulumque propter tormenta, quibus ingens glandium numerus iaciebatur, substiterat, quamquam non multum, nisi peditibus, qui in editiore
2 erant loco quam equites, nocere poterant. interim a dextro Almagri cornu Indi funditores, quibus Paulus Mangi Iupanguis Hingae frater praeerat, sese profundunt sublatisque more suo clamoribus maximam saxorum et fustium uim in sinistrum Vaccae Castri cornu coniciunt agmenque perturbant. hoc ubi Nunius Castrus conspexit, tanta ui in funditores impetum fecit ut multi tormentis manualibus traiecti, multi uulnerati fuerint, reliqui uero in fugam conuersi montes petierint.
3 eundem impetum Nunius Castrus in Martinum Cotum et tormentarios quos etiam iste extra ordinem ducebat subsidioque Indis ueniebat dedit certamenque cum illis

2 detrimenti S : detrimentum P || 3 tormenta ... habebat S^2 *(in marg.)* P : *om.* S | constitisset S : -tisse P

114 1 glandium SP^2 : gladium P | editiore SP^2 : ediore P || 3 Cotum *correxi* : Cottum SP

commisit. et res quidem inter tormentarios densissimis glandibus ultro citroque emissis strenue gerebatur. hoc 4 postquam Didacus Almagrus prospexit fugientesque Indos uidit, 'quid amplius quiescimus' inquit, 'et cunctamur, duces? uix duae diei horae supersunt, intra quas aut uincendum nobis aut moriendum est. uictoria uel mors in manibus est nostris. irruamus ita in mediam inimicorum aciem ut nemo uiuus, nisi uictor, sicuti cum animis statuimus, ea excedat, si fidei et iuris iurandi quo nos obtrinximus recordationem habere, si dignitatem ab inimicis defendere atque obtinere, si Peruram, quam uos et Didacus Almagrus pater meus subegistis, tueri ac retinere, si indignissimam eius caedem ulcisci, si tum denique praeda spoliisque hostium uolumus potiri.'

Haec cum dixisset, tuba signum dedit. et quamquam **115** iam exiguum inter duas acies intercedebat spatium, tamen turmae regiae propter continuam pilarum emissionem se loco tenebant. sed centurionibus clamantibus maximum ex tormentis hostilibus detrimentum peditibus inferri atque equitatum in pugnam concitantibus Petrus Anzurius praefectus equitum primus e sinistro Vaccae Castri cornu procurrit. quem Petrus Aluarus 2 Holguinus tribunus militum et Garsias Lassus Vega et Gomezius Aluaradus praefecti atque electissimi et nobilissimi genere et factis equites Nicolaus Ribera Hispalensis, Gomezius Tordoia, Benedictus Caruaialis, Petrus Alfonsus Hinoiosa, Laurentius Aldana et Gomezius Luna et alii complures eiusdem agminis sunt prosecuti. quibus Ioannes Balsa legatus, Petrus Onnatius, Ioannes 3

115 2 Aluaradus *ante* praefecti S : Aluaradi P | Hispalensis] *cf. 1.37.3 et adn.*

Tellius et Martinus Bilbaus cum equitatu cui praeerant occurrere. multi utrimque caesi, multi equis deturbati fuere, partim hastis transfixi, partim glandibus plumbeis traiecti. in his fuere Petrus Aluarus Holguinus tribunus militum et Gomezius Tordoia eques singulari uirtute. 4 ceterum equites regii hastis fractis celeriter gladios strinxerunt. neque uero Almagrani huic rei defuerunt; nam et illos irruentes exceperunt et clauis et bipennibus, quibus pugnabant, eos reppulerunt. atque adeo res aequis uiribus gerebatur ut utra pars inclinaret haud- 5 quaquam dinosci poterat. infestissimis animis pugnabatur: hos ira aduersus regis hostes et Francisci Pizarri interfectores, cuius crudelissima caedes ante oculos adhuc uersabatur, incitabat atque stimulabat; illos furor inflammabat atque incendebat, ut perinde atque obstinati mori in ultima spe dimicarent grauiterque primis 6 ictibus inimicorum capita gladiis percuterent. quod eo acrius isti faciebant, quod globus tormentariorum suorum, qui post scopulos quosdam consistebat, multos ex equitibus regiis tormentis manualibus traiciebat atque equis deiciebat. hoc Petrus Anzurius cum ferre non posset, ita semel atque iterum per scopulos in tormentarios irrupit ut quosdam interfecerit, alios protriuerit, reli- 7 quos inde eiecerit. post uero ipse in pugnam rediit et impressionem in Ioannem Balsam et Petrum Onnatium dedit, qui Garsiam Lassum Vegam et Gomezium Aluaradum premebant, sed facile illi impetum sustinuerunt atque adeo fortiter restiterunt ut atrocissimo certamine 8 increscente complures uulnerarint atque obtruncarint. et sane praeter plurima uulnera caedes etiam prope utrim-

7 restiterunt SP[2] : sustinuerunt P *ut uid.*

que par erat. nam quamquam plures de equitibus regiis quam de Almagranis cadebant, tamen res in discrimine adhuc erat utrum illi an hi uictoriam essent habituri.

Multi cum uires deficerent aegreque anhelantem prae **116** lassitudine spiritum ducerent, paulum e proelio excedebant et anhelitu et uiribus receptis ad gladios, ad bipennes, ad clauas subito redibant. quin etiam Vacca Cas- 2 trus milites qui uel animo perterriti uel lassitudine confecti in tumulum refugerent (non enim ille procul aberat), ubi paulisper animum uiresque recepissent, in pugnam concitabat atque ad eam redire cogebat. milites 3 uero, cum intellegerent praefectum aciem acrem in omnes partes intendere singulorumque facta inspicere, fortissime manus cum hostibus conserebant seque turmatim colligebant atque confirmabant uirtutemque praefectorum fortissimorumque equitum adaequare adnitebantur. eodem tempore acies regia, quae in loco edito, ut ante 4 dictum est, consistebat, ictu tormenti, quo circiter duo primi peditum ordines conciderunt, aperta perturbataque fuit, sed cum centuriones obstarent mortem militibus destrictis gladiis minitantes eosque in ordines redire cogentes, subito clausa fuit animumque recepit et ingenti ui conflixit. nam pedites ira indignationeque propter 5 socios emissione pilarum interfectos exardentes ita procurrere ut aciem Didaci Almagri pedestrem loco mouerent et omnia tormenta bellica caperent et custodes et magistros tormentorum Graecos occiderent et in his Ioannem Gutterium Malauerum centurionem et Chris-

116 1 paulum S : paululum P || 2 refugerent SP : refugerant | (non ... aberat) *sic distinxi* || 3 conserebant S : confe- P || 4 conflixit S : conflexit P

tophorum Carrillum et Petrum Candiam Cretensem, qui tam graue in fronte uulnus accepit ut cerebro dua-
6 busque membranis eius ruptis ceciderit. neque enim a Didaco Almagro, ut Zarataeus scribit, occisus ideo fuit, quod tormenta bellica ita disposuisset ut nihil mali nihilue periculi copiis Vaccae Castri importare possent.

117 Ceterum, quamquam tormenta bellica erant capta, tamen anceps adhuc certamen erat; neutra enim acies inclinabat. et Franciscus Caruaialis, qui eo in proelio egregiam nauauerat operam, peditibus immixtus animos eorum in pugnam accendebat clamabatque ut secum impressionem in hostes facerent; duplicem illorum fore
2 gloriam, si ab acie peditum regia uictoria inciperet. tum uero pedites fortiter impigreque Almagranos aggrediuntur nec minus acriter illi impetum sustinent eisque resistunt. alii in alios irruebant simulque glandium coniectione, simul lanceis et gladiis utrimque pugnabant seseque mutuis uulneribus concidebant.

118 Verum haudquaquam similis pugna erat in dextro Vaccae Castri cornu atque in laeuo et acie pedestri. nam Didacus Almagrus et aetate et uigore animi ferox (secundum enim et uicesimum agebat annum) quanta maxima potuit ui una cum quinquaginta equitibus cataphractis in dextrum Vaccae Castri cornu ruit atque eum Didacus Mendezius et Didacus Hozius cum suis quisque turmis sunt secuti. nec minore profecto ui ab Alfonso Aluarado praefecto et ab equitibus loricatis, quos ipse Almagri cataphractis obiecit, concursum est.

6 Zarataeus] *cf. Zárate 504b*
117 1 immixtus *corr. To.* : immistus SP
118 1 (secundum ... annum) *sic distinxi*

atrox dubiaque parumper pugna fuit, sed mox Almagrani, ut qui equis, armis, uiribus praestarent, paulum equites regios loco mouent compluresque hastis transfigunt. tum uero Almagrus hoc acrius instare simulque eos a fronte urgere et quantumcumque uirium habuit primo concursu effundere; contra Aluaradus et Barrientus atque equites fortiter resistere atque repugnare. hos spes et certaminis ardor ad maiestatis regiae uindictam rapit, illos ira et desperatio uitae propter scelerum conscientiam, quod se damnatos scirent, impellit. multa utrimque uulnera, multa passim fit caedes, sed is sane impetus eaque uis Didaci Almagri fuit eamque impressionem Mendezius et Hozius in agmen regium dedere ut uix ea sustineri aegreque uexillum regium a Barriento efferri et difficulter illud a loricatis defendi potuerit. uerum tamen uniuersi quam maxime sibi rebusque suis diffidentes atque desperantes paulatim pedem referre, ne circumuenti occiderentur, coeperunt. tum demum Almagrani agmen regium impellunt atque persequuntur et ab latere aperto illud circumire adnituntur iamque eo res erat perducta ut nonnulli ex equitibus regiis, quibus nec satis animi nec uirium ad resistendum erat, magis iam de fuga quam de uexilli regii defensione cogitarent, alii uero lassitudine et uulneribus paene confecti, cum rem adeo inclinatam crederent ut diutius sustineri non posset, se hostibus dederent. ceterum Aluaradus et fortissimi quique eius cornu equites gradum sistunt et ad uexillum regium sese in unum conglobant. tum Barrientus 'hoc loco' inquit, 'nobis standum aut cadendum est et uexillum regium defendendum aut stratis hosti-

5 stratis S : stractis P

6 bus per corpora eorum euadendum.' at uero Didacus Almagrus, quasi iam uictoriam adeptus esset (duo enim signa candida adhuc quieta et integra habebat), nec equitibus regiis spatium consistendi nec se colligendi nec confirmandi dat, sed existimans nec uirium quicquam nec sanguinis eis superesse in globum fortissimo-
7 rum equitum cum suis cataphractis irruit. illi impetum repellunt et spe uictoriae nitentes se sustinent collatoque pede collatisque etiam uexillis cum hostibus proeliantur acerrimeque se et uexillum regium tutantur. instat ferociter Almagrus, instant equites cataphracti et plus caedis et uulnerum inferunt quam accipiunt.

119 Quod ubi Vacca Castrus ex superiore loco animaduertit cernitque summo in discrimine uexillum regium esse nec a suis resisti posse, repente, cum iam sol occideret, ex tumulo descendit et clamitans signo dato 'eamus,' inquit, 'equites, iam tempus est.' prouolant equites infestis cuspidibus et quam maxime possunt libero
2 cursu equos concitant. sed primus Didacus Aguerus praecurrens et alii quattuordecim equites eum secuti in hostium agmen inuehuntur et uoce clara, ut exaudiretur, conclamant 'uictoriam, uictoriam. imperium, imperium!'. quae uox 'imperium' et subitum hostibus pauorem offundit animosque et uires eorum frangit. inde uictoriam, ut Vacca Castrus in cohortandis militibus
3 praedixerat, incepit. parte altera praefectus quanto maximo potuit impetu cum reliquis equitibus conclamantibus 'Vaccam, Vaccam. iam intrat gubernator!' in trans-

6 (duo ... habebat) *sic distinxi*
119 2 Aguerus SP^2 : Almagrus P *ut uid.* || 3 Castrum, *quod post* Vaccam *perperam add.* P, *expunxit* P^2

uersos hostes incurrit et quacumque impetum dat ordines perrumpit. multi ex Almagranis prosternuntur at- 4 que proteruntur et ex quadraginta equitibus Garsias Montalbus, Francisci Vaccae praefecti arcis Methymnae Campensis filius, et Ioannes Ximenius tormentis manualibus traiecti equis cadunt. uulnerantur etiam Franciscus Godoius et Franciscus Bezerra et alii non pauci et in his Sebastianus Sanchius Merlus nouem uulnera accepit.

120 Praefectus in illo quidem excursu tam repentem hostibus terrorem incussit ut Petrus Xuaraeus, cui Almagrus maxime confidebat, clare, ut ipse Almagrus exaudiret, dixerit: 'et hi, Almagre, nunc ingrediuntur, qui integris uiribus nos prope exsangues atque confectos adoriuntur. uale.' et haec dicens ex acie refugit. neque 2 enim principio pugnae, ut Zarataeus scriptum reliquit, ad Vaccam Castrum, quod Almagrus tormenta bellica contra uoluntatem eius promouisset, transfugit, sed pro Almagro ad usque Vaccae Castri excursum pugnans euentumque rei exspectans permansit.

121 Hinc initium fugae factum est. nam alii animo perterriti, cum aestimari non posset quantus esset numerus equitum qui tam repentinum impetum fecissent, 'quid hoc rei est?' exclamant, 'pluit gentem?' et subito fugam capessunt. alii uero fessi et saucii per conuallem terga uertunt. at uero Didacus Almagrus et duces et plerique 2 milites ira et furore incitati non animis consternati fortiter resistunt, armis repugnant et a fuga consistunt.

4 Francisci] *suspectum, cf. 4.49.4, 5.47.2*

120 2 Zarataeus] *cf. Zárate 505a*

121 1 *interrogationis signum post* rei est *scripsi* || 2 armis ... consistunt SP² *(in marg.)* : *om.* P

3 praefectus nullum territis hostibus dari spatium existimans eos premit, caedit et persequitur et, ubi praesenti res ope egebant, nec animo nec consilio deficit nec quinquaginta milites tormentarios nec totidem hastatos qui ipsum quaesituri occisurique in acie erant timet, sed prudenter impigreque et ducis et militis munia exsequi-
4 tur. postquam uero resisti uidit, equites qui ipsum sequebantur in hostes concitauit. hinc irrunt ex quadraginta delectis Ioannes Alfonsus Palominus, Gomezius Roias, Ferdinandus Mexia, Didacus Roias, Consaluus Obregonius et Rodericus Ocampus praefectus militum praetorianorum, illinc se ex sinistro cornu ferociter inferunt Nicolaus Ribera Hispalensis, Didacus Centenus, Petrus Alfonsus Hinoiosa et Petrus Portucarrerius alique complures et hi quidem aduersarios a fronte ur-
5 gent, illi uero ab tergo adoriri eos conituntur. tum pugna recruduit. iam non telis missilibus sed gladiis, non eminus sed comminus pugnabatur. iam uero praefectus et equites sinistri cornu et centuriones et pedites, qui cum ducibus et militibus dextri cornu Almagri uario certe euentu ambiguaque uictoria dimicabant, ex Vaccae Castri incursu tantum animi tantumque uirium ceperunt ut non solum hostes propellerent, sed adeo etiam caederent ut et cornu eorum dextrum et acies pedestris
6 plane inclinarent. tum uero Alfonsus Aluaradus et Christophorus Barrientus et equites, qui fortiter et industrie uexillum regium defenderant, etsi uulneribus paene confecti erant, tamen, cum data esset requies et praefectus et quadraginta equites integri pugnam acce-

6 Alfonsus *om.* P | industriè SP *(cf. Caes. Ciu. 3.95.3)* : industriae *corr. To.*

pissent atque restituissent, uires colligunt et qui antea pedem referebant iam inferunt et qui in fugam inclinabant iam consistunt, denique qui se hostibus tradebant animos recipiunt aliique alios urgent hortanturque ut poenas de atrocissimis hostibus sumant. tunc enimuero 7 uniuersi et ab utroque cornu et a media acie in hostes trepidos inuadunt et, quamquam pugna paululum est irritata, sed tamen ea ipsa nec longa aut anceps fuit.

Iam nox appetebat et segnius ab Almagranis repugnabatur: tantus terror eos inuaserat! iam nemo fere **122** consistebat omniaque timoris et fugae erant plena. neque uero praefectus nec milites ullam interponunt moram nec hostibus metu perterritis respirandi spatium nec animos ex tanto pauore recipiendi dant, sed eos pellunt, cedentes urgent, effusos insequuntur totamque Almagri aciem auertunt. id cum Martinus Bilbaus et 2 Christophorus Sosa furore inflammati ferre non possent, sese in medios hostes (tantum ultima temeritatis desperatio facit) immittunt magnaque uoce nomina sua pronuntiantes et se Franciscum Pizarrum praefectum trucidauisse clamantes et fortissime ambo pugnantes equis lanceis et gladiis perfossi conciduntur. iam ad ul- 3 tima uentum erat. etsi Didacus Almagrus summae rei diffidens maiore ui quam alii resistebat et turmis hostium obequitabat, si pudore, si periculo suo fugam sisteret pugnamque restitueret, tamen ut conspexit duces et

aliique SP^2 : alii P

122 1 nec milites ... moram SP^2 *(in marg.)* : *om.* P | cedentes S^2 *(cf. Liu. 10.19.20)* : caedentes S *(ut uid.)* P || 2 (tantum ... facit) *sic distinxi coll. Liu. 10.32.5* | sua S^2P : *om.* S | perfossi *correxi* : perfossis SP || 3 iam ... erat SP^2 *(in marg.)* : *om.* P

milites pariter iuratos et iniuratos effuso cursu ferri nec a fuga iam retineri posse, celeriter ex hostium conspectu discessit et cum Didaco Mendezio et Ioanne Gothomano et Henrico signifero eo consilio se Cuschum contulit, ut inde rebus suis quam maxime diffisus ad Mangum Iupanguem Hingam, qui in armis erat, confugeret bellum-
4 que repararet. tum etiam duae equitum turmae, quae adhuc erant integrae et se ad id tempus loco tenuerant, cum impetum praefecti et militum regiorum sustinere
5 non possent, eum reliquerunt. centum etiam et quinquaginta equites Guamangam profugerunt, qui a colonis et a militibus qui erant in praesidio capti et armis exuti fuerunt. alii alia parte armis signisque militaribus missis se in fugam coniecerunt, alii etiam insignibus purpureis iacentium arreptis et suis candidis dimissis euaserunt.

123 Ceterum duces et milites regii fugientes insequuntur, fundunt atque interficiunt; castra diripiunt. multum ibi auri, multum argenti magnaque etiam commeatuum copia est inuenta et praeter uiginti tria tormenta bellica decem signa militaria cum Didaci Almagri uexillo sunt relata. et, ni nox proelio interuenisset, omnes Almagra-
2 ni ad unum poenas rebellionis dedissent. praefectus equo per aciem aduectus destricto cruentoque gladio Petrum Sammillanum et Franciscum Cardenam centurionem aliosque ex Almagranis permultos a militibus ob-
3 truncari prohibuit. et cum a Consaluo Obregonio intellexisset duo signa integra acie excessisse, ueritus ne

Gothomano] *sed* Guzmanus *in 7.97.2, cf. Gómara 248b et Vacc. 63a* || 5 etiam S[2] *(in marg.)* P : *om.* S | exuti ... armis SP[2] *(in marg.)* : *om.* P
123 3 et *ante* ueritus *perperam add.* P

hostes se colligerent et milites incompositos et in spoliandis hostibus et diripiendis castris impeditos inuaderent atque occiderent, quamquam ingens erat ducum militumque ardor ad persequendum hostem, receptui cani iussit. et milites quidem signo receptui dato protinus se ad signa receperunt. pugnatum est utrimque tam 4 efferuescenti iracundia et tam uehementi animorum et uirium, ut inter Hispanos fieri solet, contentione duas circiter horas eius diei qui fuit ad XVI kalendas Octobris anni millesimi et supra quingentesimum quadragesimi secundi.

Desiderati sunt longe plures atque sauciati ex Vaccae **124** Castri quam ex Didaci Almagri exercitu. multorum enim ducum et militum ueteranorum caede et uulneribus ea Vaccae Castro uictoria stetit. nam praeter Petrum Aluarum Holguinum tribunum militum et Garsiam Montalbum et Ioannem Ximenium et Gomezium Tordoiam, qui ea nocte animam efflauit, trecenti fere Hispani caesi et amplius quadringenti ex Vaccae Castri parte uulnerati referuntur. quorum nonnulli ex uulneri- 2 bus perierunt, nonnulli etiam ea nocte, quae admodum frigida et perinde serena ut dies clara non obscura, ut Zarataeus scribit, fuit, frigore obriguerunt. nec uero 3 praefectus, ut idem Zarataeus tradit, post solis occasum luce obscura est in hostes inuectus, sed ipse, cum iam praeceps in occasum sol esset, laborantibus in dextro cornu suis et a Didaco Almagro et ab equitibus eius cataphractis paene circumuentis auxilio aduenit hostesque necdum usu lucis erepto uicit, fudit atque fugauit.

124 2 Zarataeus] *cf. Zárate 505b* || 3 Zarataeus] *cf. Zárate 505b*

4 omnia militum oculis inter se congredientium adeo erant subiecta ut alii alios uiderent et tum clamore tum insignibus noscerent seque certa luce duabus ferme horis ante primas tenebras mutuis utrimque uulneribus conciderent, nec tamen Vaccae Castri milites proelium usque eo intermitterent, dum Almagrani inclinatis iam 5 certamine uiribus loco cederent atque diffugerent. iam uero Indi, qui euentum pugnae exspectabant, quosdam ea nocte nec amicis nec inimicis parcentes uulneribus confectos armis et uestimentis exuerunt, quosdam interfecerunt. multos etiam ex iis qui se fugae per conuallem mandarunt clauis quibus utuntur obtruncarunt et in his Ioannem Balsam Didaci Almagri legatum et Iacobum Monteium equitem Rhodium.

125 Ceterum Vacca Castrus, quamquam hostium castra, quae milites ceperant diripuerantque, non longe aberant, ubi cum exercitu conquiescere potuisset, tamen, cum illi se iam recepissent, acie ne armis quidem positis instructa in eo ipso loco, ubi proelio dimicatum fuit, et quidem sine tentoriis ea nocte mansit. quae certe omnia periculosa et suspecta etiam ipsi uictori faciebat credenti hostes collectis ex pauore animis exercitum regium inuasuros improuisoque, ut de magnis exercitibus tradi- 2 tum est, oppressuros. nec uero Vaccam Castrum fefellit quin isti inuasuri fuerint. nam, ut postea ex iis qui capti fuerunt cognitum est, iam ducenti ferme et quinquaginta Almagrani se eo animo unum in locum congregauerant, ut tertia uigilia praefectum et duces et milites re-

4 adeo *perperam iterat* P
125 1 positis S[2]P : *om.* S | ipsi SP[2] : si P | ut de ... est S[2] *(in marg.)* P : *om.* S

gios et a fronte et a tergo adorirentur eosque circumuentos funderent atque delerent. sed cum conclamatum ad arma esset, extemplo se in fugam dederunt et, cum quendam ex Vaccae Castri equitibus, qui insequendo illos longius cum aliis progressus erat, equo deturbarent eumque armis, ut occiderent, nudarent, repente ipsum reliquerunt. itaque, ne quid accideret aduersi, tota nocte 3 inter uulnera et gemitus morientium uigilatum est. aegri autem ex uulneribus passim sub armis strati inquietam sollicitamque noctem exspectando lucem egere.

At uero Vacca Castrus primum cum gratulatione du- **126** cum et militum mutua et sua uictoriam concelebrauit eosque omnes pro cuiusque merito laudauit, sed potissimum honore omni laudeque illustri celebrauit Petrum Anzurium, qui primus omnium magno impetu in dextrum hostium cornu se intulerat tormentariosque milites semel atque iterum ex scopulis eiecerat, Franciscum Caruaialem et tres centuriones propter nauatam cum peditatu egregie in proelio operam et tormenta hostilia capta, Alfonsum Aluaradum et Christophorum Barrientum, quoniam acri animo manuque se et uexillum regium defenderant, praefectos et omnes equites ob insignem fortemque multis in locis operam ac tum demum quadraginta equites delectos, quia se duce agmina hostium perrumperant pugnamque uirtute sua restituerant. quin se eos omnes amplissimis praemiis, sicuti no- 2 mine Caesaris promiserat, donaturum et aliis Indos, aliis agros assignaturum confirmauit. deinde ipse litteras 3

2 eumque ... nudarent SP[2] *(in marg.)* : *om.* P || 3 strati S : stracti P *ut solet*

126 1 tum demum SP[2] *(ordine per signa emendato)* : demum tum P

per expeditos nuntios ad ciuitates et oppida totius Perurae de re ab se feliciter in Chupis gesta misit. litterae Vaccae Castri et Cuschi et Platae et Limae et Trugilli atque in aliis coloniis et municipiis ingenti laetitia et in senatu et in contione auditae sunt et supplicationes, quibus publicum gaudium celebraretur, decretae.

127 Illud nequaquam silentio praetereundum existimaui non alium ferme ducem ex iis qui in Indias traiecerunt et collatis signis cum hoste conflixerunt laetiorem in acie quam Vaccam Castrum uisum fuisse seu suopte ingenio 2 seu fiducia bene gerendae rei. hoc certe eximium et consilii et animi specimen fuit et neutiquam uulgatae laudis, quod ultro, ut ducum et militum uoluntatem magis sibi conciliaret, etiamsi longe aliud facere contendisset, se in nouissimum agmen recepit, cum, priusquam tumulum ipse conscenderet, omnia quae alius dux prudens et impiger in proelio praeciperet ageretque 3 praecepisset ordine atque egisset. nec ab eodem animi robore a tumulo, ubi in tanto discrimine fuit, reuocari potuit, sed inde, cum tempus aggrediendi fuit, quanto maximo potuit impetu cum quadraginta equitibus suis delectis in transuersos hostes incurrit eorumque aciem ui incursuque suo profligauit et iustam gloriosamque uictoriam reportauit.

128 Iam uero ubi illuxit, praefectus primum gratias Deo optimo maximo egit, quod tam praeclaram sibi uictoriam dedisset, quod diuinam iustitiam suam in eos exercuisset, qui templa sancta et religiosa uiolarunt atque

127 1 ferme *correxi coll. Liu. 10.42.6. de toto capite cf. et Liu. 4.27.9–10 et 10.42.7* : fere SP | bene S²P : benae S

128 1 quod *ante* tam S : quo P | et religiosa SP² *(in marg.)* : *om.* P

spoliarunt, qui maiestatem Caroli maximi Caesaris Augusti Hispaniarum regis diminuerunt, qui Peruranas Cuschanasque prouincias diripuerunt. deinde Didacum 2 Roiam cum quinquaginta equitibus misit ad persequendos capiendosque Almagranos qui Guamangam perfugerunt. postea Petrum Anzurium praefectum equitum et Petrum Vergaram centurionem et complures alios qui uulneribus erant paene confecti (magnam enim sauciorum et aegrorum rationem habuit) diligenter curari praecepit. nam medicos, chirurgos, tonsores et pharmacopolas cum ingenti medicamentorum copia ipse ex Ciuitate Regum secum adduxerat. praeterea corpora eo- 3 rum militum qui pro Caesare in proelio procubuerant humari in eo ipso loco quo debellati hostes fuere mandauit. corpora uero Petri Aluari Holguini militum tribuni et Gomezii Tordoiae et Garsiae Montalbi et Ioannis Ximenii et quorundam equitum nobilium Guamangam illata et sepulta in eius oppidi templo fuerunt.

Et sane Petrus Aluarus Holguinus emissa temere glan- **129** de, sic permittente, ut creditur, Deo, cum iam concurreretur, ictus ante prima signa cecidit. erat enim ipse Holguinus eques factiosus et ad facinus audax et qui frequenter seditiones militum concire solebat animoque periniquo ferebat uexillum regium quod Cuscho extulerat et perinde ipse ac si dux summus esset proponebat a Vacca Castro in Guarazia ademptum fuisse; ideoque occasionem eius 2 iniuriae, quam sibi illatam ab ipso Vacca praefecto putabat, ulciscendae quaerebat eamque sceleris exsequendi

2 (magnam ... habuit) *sic distinxi* || 3 eo SP[2] : *om.* P

129 2 exsequendi] exequendum *uel* exequendi S : exequendam S[2]P

oblatam arripuit. nam, cum alii duces et milites fere omnes uehementer a Vacca Castro eo die quo feliciter cum Didaco Almagro pugnatum est contenderent ne in primis ordinibus iret, quod in eo concursu maximum uitae periculum subeundum esset, ipse Holguinus cum iis qui suae erant factionis, ne aperte dissentire uideretur, rem praetextu dignitatis sustinendae atque tuendae adumbrabat, quasi Vaccae Castro persuadere conaretur ut primum agmen duceret eumque locum teneret, qui
3 tantum ad summum ducem pertineret. sed longe aliud atque ipse apud animum suum deliberatum habebat accidit, quippe cum a Didaci Almagri tormentariis interfectus fuerit et Vacca Castrus ne ullo quidem in proelio uulnere accepto uictor euaserit.

130 Ceterum ipse praefectus Petrum Sammillanum, Martinum Carrillum, Melchiorem Velaschium, Franciscum Coronatum procerum, Ioannem Nauarrum, cui cognomen a lapidis ictu fuit, et Franciscum Cardenam centurionem, qui capti erant, coram produci ad necem et equis religari et una cum Martini Bilbai et Christophori Sosae cadaueribus cruentis per planitiem in diuersa distrahi eorumque corpora feris dilanianda relinqui
2 iussit. eodem ipso die Didacus Roias itinere octo milium celeriter confecto, simul ac Guamangam intrauit, Ioannem Tellium equitem Hispalensem, qui se in aede sacra eorum patrum qui Christianos a Mauris uel a Turcis captos redimunt incluserat, quorum etiam habitum, ne ob facinus ad supplicium raperetur, induerat, ui
3 extraxit caputque ceruicibus in foro abscidit. tum etiam

eo *ante* concursu S²P : *om.* S
130 2 etiam S²P : *om.* S

ipse ex Almagranis qui comprehensi in uinculaque a colonis erant coniecti primo Petrum Onnatium maximum Didaci Almagri statorem et Didacum Hozium equitum praefectum et Martinum Cotum centurionem, qui simul cum aliis ex duodecim eius ducibus eas litteras minaces et acerbas, ut supra dixeramus, subscripserant quas a Didaco Almagro et ab eisdem duodecim ducibus Hidiachaeus et Mercadus Vaccae Castro attulerant, ex custodia iussit educi, deinde Franciscum Peccium, Bartholomaeum Arbolancham, Rodericum Barraganum, Franciscum Saldiuarem, Mendum Quesadam, Basilium Graecum et Antonium Noguerolum et Martellum et quendam Iacobum a cicatrice in ceruice cognominatum eosque omnes ad supplicium trahi atque discerpi, post ipsorum corpora dilaceranda feris alitibusque dari.

131 Verum enimuero Franciscus Caruaialis, qui rei militaris peritissimus habebatur, cum postridie quam pugnatum est excurreret in campum et castra hostium tormentaque campestria et equos et arma totiusque belli instrumentum et apparatum animaduerteret, firmissime asseuerauit Deum optimum maximum pro pietate sua uictoriam Vaccae Castro ideo tribuisse, ut diuina iustitia in proditores, perfidos, sicarios et sacrilegos, sicuti Vacca Castrus fuerat precatus, exerceretur. 2 nam cum ille naturam loci in quo erant castra posita cognouisset, non dubitabat, si Almagrani in eo se tenuissent loco, si inde tormenta bellica alio non transtulissent, quin ad-

3 ipse *om.* P | Cotum *correxi* : Cottum SP | Graecum] *suspectum, cf. e.g. Cieza*[2] | in ceruice S[2] : in ciruice P : *om.* S
131 1 pro pietate S[2] : proprietate P : *nescio quid* S

uersarios non solum ascensu prohibuissent, sed eos etiam omnino deleuissent, quod ea haberent tormenta, quibus et arcem Burgensem demoliri possent, quibus etiam tormentis non modo non in Fonte Rabido, quem Olearsonem fuisse olim dictum putant, sed ne Mediolani quidem meliora aut fortiora inuenirentur. 3 et profecto Caruaialis praeter diuinam iustitiam, qua Almagranos iure punitos, ac praeter Caesaris felicitatem, qua eos deuictos esse credebat, summis laudibus prudentiam, industriam et animi magnitudinem Vaccae Castri extollebat, quippe qui nihil praetermisit quod ad reciperandam Peruram opus esset; 4 nihil etiam intactum reliquit, quo Didacum Almagrum et duces et milites eius in gratiam cum Caesare et republica reduceret, sed omnia quae ad bellum et ad pacem erant necessaria diligenter curauit atque prouidit ab eo quidem die quo ipse ex Hispania ad Nomen Dei et Panamam appulit, unde nauem soluens descensionem in portum Bonae Venturae fecit. 5 inde uero grauissime aegrotans primo Calim, mox Popaianam, postea Quitum peruenit. hinc morbo iam depulso discedens cum copiis quas ibi comparauerat et receptis in itinere Piura et Trugillo in Guaraziam ascendit atque ab ea exercitu ex militibus quos Petrus Aluarus Holguinus secum Cuscho adduxerat suppleto et in Xauxam uallem ire iusso Limam descendit, ubi incredibili celeritate usus pecunias coegit, milites conscripsit, equos coemit, arma fieri et tormenta fundi iussit. 6 inde in Xauxam conscendens exercitum lustrauit et Guamangam aduolauit. ac tum denique ad Chupas col-

2 Fonte S[2] (*Hispane* Fuenterrabía) : fonte SP || 4 ad bellum SP[2] : bellum P || 5 suppleto S[2]P : *om.* S

latis signis acie cum hostibus dimicauit eosque superauit et fugauit. qui si non se tam prudenter et constanter gessisset, si non ea omnia tanto animo et consilio prouidisset tamque fortiter et industrie fecisset, numquam profecto qui tunc in uiuis erant Peruram in Caesaris potestatem dicionemque redactam uidissent. sed enim Caruaialis, qui sub Consaluo Ferdinando Corduba Magno Duce in Italia meruerat, qui multis proeliis interfuerat, qui denique Peruranas res egregie callebat, fortissime affirmabat Caesarem non precibus, non commendatione alicuius uiri principis et familiaris adductum sed quasi diuino quodam spiritu afflatum Peruranas Cuschanasque prouincias Christophoro Vaccae Castro decreuisse; tum etiam ipsum Vaccam Castrum praefectum caelesti quoque instinctu atque afflatu concitatum praedam hostilem militibus, quae post uictoriam a ducibus dari solet, ultro ante proelium concessisse ideoque illos ipsos milites magno uincendi ardore cum hostibus depugnauisse, eos profligauisse atque fugauisse. neque uero ille se ambigere dicebat quin praeda hostium a praefecto militibus concessa, quae ingens certe parta fuit, et oratio eius grauis et dulcis ac militum sensibus et mentibus accommodata animos eorum confirmarit, ad uirtutem incitarit, ad seruandam fidem exstimularit atque ita demum ad praestandam in proelio operam militarem inflammarit ut idem ipsi milites prudentiam, fortitudinem et rei militaris peritiam Vaccae Castri admirati ipsum eximie colerent atque amarent et,

7 ea omnia SP^2 *(ordine per signa emendato)* : omnia ea P || 9 atque afflatu S^2P : afflatu S || 10 inflammarit SP^2 : inflarit P *ut uid.*

quo opinioni uotoque eius responderent fidelemque regi suo operam, ut par erat, nauarent, acerrime cum hostibus proelio contenderent omnesque neruos eo intenderent, ut eos, sicuti fecerunt, prosternerent, caederent
11 atque in fugam uerterent. nam cum alii milites Hispani tum praesertim Perurani strenue pro eo duce qui maxima ipsos sibi largitione obstringit arma capiunt animoseque manus cum hostibus conserunt acriterque eos uel interficiunt uel fortiter pugnando in acie procumbunt.
12 itaque milites, ut Caruaialis existimabat, etiam ipso praefecto inuito, si praedam non concessisset, spolia deuictis caesisque hostibus detraxissent et castra eorum diripuissent; quod si forte illi se ex fuga subito collegissent eosque in spoliandis cadaueribus impeditos de improuiso adorti fuissent, non dubium quin ipsos, ut de
13 magnis exercitibus traditum est, omnino deleuissent. ad haec affirmabat plerosque ex regiis militibus aut praefectum, si praedam ante pugnam initam non dedisset, deserturos aut ad Didacum Almagrum transituros fuisse; quod si fecissent, facile Almagrus uictoriam, quam Vacca Castrus diuina potius quam humana ope habuit, consecutus fuisset, ut qui copias tam equitum quam peditum in aciem multo instructiores quam ille eduxerit. nam ex colonis Hispanis quos regia castra secuturos putabat arma abstulerat et equos ex uniuersa ferme Pe-
14 rura abduxerat. huc accedebat quod Mangus Iupangues Hinga, qui societatem cum Didaco Almagro inierat, maximam armorum copiam eorum Hispanorum quos interfecerat ad eum miserat, quorum magna uis in cas-

acerrime ... contenderent S² *(in marg.)* P : *om.* S | ut eos ... prosternerent SP² : *om.* P

tris hostium postea captis atque direptis inuenta fuit. et [15] quamquam praefectus, ut supra demonstratum est, summam ab urbe Quito ad Chupas usque in militibus armandis diligentiam adhibuit, tamen cum omnia ab Almagranis ex coloniis et municipiis rapta abductaque fuissent, multi equites fortes atque illustres, quod equi armaque equestria eis deessent, inter milites hastatos tormentariosque sese immiscuerunt et cum singulis tantum gladiis uel lanceis pro rege suo contra Almagranos omni armorum genere instructos atque ornatos pugnauerunt.

132 Quo factum est ut omnes sibi persuasum haberent eam uictoriam quam Vacca Castrus sed non incruentam adeptus est miraculo fuisse, atque eo magis quod aeque pauci de uictoribus atque de uictis, ni nox proelio interuenisset, ut patrum memoria in pugna Rauennate contigit, superfuissent, tum etiam quod praefectus integer et intactus eo ex proelio uictor euasisset, quod etiam hostes regis fusi et caesi pacem et quietem, quam propter rebelliones proditionesque suas Perurae eripuerant, reliquissent, quod denique praefectus re tam praeclare prudenterque et fortiter gesta de Carolo maximo Caesare Augusto quam optime meritus fuisset, quippe qui uirtute, industria consilioque suo tyrannidem quae uniuersam occupauerat Peruram destruxit et caedes et latrocinia quae passim per eam fiebant sustulit, qui tot amplissima et ditissima regna crudeli dominatu intolerandi tyranni liberauit et calamitate Indos leuauit ac tum demum concordiam et tranquillitatem in Peruram reduxit omniaque in suum ordinem redegit et colonos Hispanos et Indos misera prorsus seruitute exemit. qui [2] cum propter bella ciuilia milium serere aliasque sementes quibus se alerent facere non possent, iniuria, morbo, uastitate consumebantur. nam qui in Didaci Almagri

castris, quorum maximus erat numerus, onera portabant propter laborem, famem, sitim, frigus et cruciatus quos perferebant subito cottidie peribant. qui uero in castris regiis sarcinis ferendis erant destinati, etsi praefecto procurante clementer tractabantur, tamen non poterant non facere grauissimam salutis et bonorum iacturam.

133 Hoc etiam Caruaialis addebat, Didacum Almagrum sine dubio Guamangam inuasurum fuisse et quam plurimos milites ea ipsa nocte ad eum transfugituros, nisi Vacca Castrus eo die quo spolia hostium in praedam militibus proposuit quam primum cum illo acie conflixisset. unde multum incommodi acceptum fuisset, quia hieme iam ingruente et imbribus cadentibus exercitus regius ali, quod sane in illis regionibus Perurae montosis longe difficillimum est, <non> potuisset. Indi etiam 2 sarcinarii propter cibariorum inopiam absumpti fuissent. nam Almagrus, ut copias suas aleret atque sustentaret, omnia undique itinera intercepisset atque commeatibus exercitum regium interclusisset sceleraque et flagitia quaecumque facere uellent militibus permisisset. quod longe secus in Vacca Castro futurum uidebatur; neque enim Indos molestia ulla afficere nec milites rapto uiuere erat permissurus, sed Peruram potius relinquere quam caedes et latrocinia, quibus se milites alerent, sinere decreuisset. itaque ipse nec Almagrum proelio uincere ac ne repellere quidem ex Guamanga oppido ualuisset.

133 1 non *suppleui, cf. 7.135.5* || 2 Castro futurum *scripsi coll. e.g. 2.12.2, 3.8.1, 5.13.2* : Castrum turum SP : Castrum tutum *scr. To.*

134 Huc etiam accedebat quod Thomas Sammartinius Dominicanus, qui postea pontifex fuit Platensis, Vaccae Castro narrabat se, cum in Xauxa ualle in uinculis teneretur parumque afuisset quin suspenderetur, quoniam grauiter et propalam Chiliensium perfidiam et arrogantiam increpabat, audisse a Ioanne Rada et ab aliis Didaci Almagri ducibus ne rex Hispaniae sibi persuaderet se Peruram ei tradituros, sed ipsos potius eas prouincias tam Peruranas quam Cuschanas, quas suis sumptibus et armis subegissent, inter se diuisuros atque ipsum Didacum Almagrum ea simulatione copias Cuscho eduxisse, cum id prius in milites sparsisset, ut cum Petro Aluaro Holguino pugnaret, qui Vaccam Castrum praefectum regium in uinculis habebat, sed re uera ut exercitum regium una cum praefecto deleret ac, quamuis ipse proelio absistere uellet, eum ubicumque locorum esset inuaderet funderet atque interficeret, ut unus Peruram teneret firmissimisque praesidiis eam muniret. 2 quin etiam Thomas Dominicanus a quibusdam Almagri ducibus intellexit ipsos, simul atque exercitum regium fudissent, statim bello inter se funesto de imperio certaturos; nam ex quibusdam pactionibus quas inter se fecerant ita facturos aperte apparebat. 3 quod si euenisset, Indi, illis bello consumptis, nullo negotio amissas prouincias reciperassent usuque pugnandi iam cognito strenue illas armis usque adeo defendissent ut Hispani aut numquam aut summa certe cum difficultate et labore maximoque cum periculo et extremo paene discrimine in illas intrassent.

134 1 teneretur S : -rentur P | abfuisset S : abfuisse P | cum Petro SP[2] : Petro P || 2 se *ante* funesto *om.* P

135 Itaque ex Francisci Caruaialis rerum bellicarum peritissimi et Thomae Sammartinii theologi sapientissimi dictis planissime constat Peruram caesis fusisque regis hostibus uirtute et prudentia Vaccae Castri receptam et sumptus quos eo in bello ipse fecit, etiamsi duplo ma- 2 iores fuissent, tamen maxime necessarios fuisse. ad haec Thomas Dominicanus perspicuum esse dicebat Deum optimum maximum et clementia in Caesarem et iustitia sua in Almagrum et Chilienses uti uoluisse, ut hi meritis debitisque poenis afficerentur, ille uero contra inuic- 3 tas hostium uires Peruram reciperet; neque enim praefectus tormentis bellicis, ut supra dixeramus, in hostes uti potuit et, nisi subito exercitus regius celeri excursu a recta uia deflexisset, aut deletus aut dissipatus fuisset. quem de integro in rebus Perurae tam perditis atque omnino deploratis undique conficere sane quam difficile fuisset, etiamsi summae prudentiae animique excelsi fuerit eum quem praefectus habuit exercitum et quo hostes uicit confecisse, quoniam Almagrus et duces eius omni peccandi licentia militibus permissa copias tam pedestres quam equestres et quidem omnibus rebus in- 4 structissimas comparauerant. quos medius fidius multo difficilius fuit superare quam Peruram lustrare eamque in regis Hispaniarum dicionem atque potestatem redigere, atque eo magis quod Almagrani animis inter se erant concordes et propter immanissima facinora quae cottidie patrabant et quod certo sciebant se morte damnatos esse statutum in animis habebant et uectigalia regia rapere et regiones Perurae inter se diuidere et Dida-

135 1 eo in bello *post* ipse fecit *transposuit* P ‖ 3 aut deletus S[2]P : *om.* S | fuisset S : fuisse P | eius S[2]P : *om.* S

cum Almagrum regem constituere. neque ignorabant 5
isti Vaccam Castrum, quod pecuniae deficerent, quod
interclusis itineribus commeatus interciperentur, exercitum alere non posse neque ipsum, si milites in hiberna
dimitteret, tam cito quam uellet atque opus esset ex
diuersis remotisque regionibus, ubi hiemarent, in unum
locum eos collecturum. itaque ad uitanda quam plurima 6
mala, quae inde orta fuissent, si pugnam in posterum
diem praefectus distulisset, necessarium et utile quidem
Caesari et reipublicae Peruranae fuit ut eo ipso die ille
quo hostes uicit proelio decerneret, ne militum animi
mutarentur, neu ardor ille pugnandi consideret ac prorsus exstingueretur, neu tempus instante praesertim iam
frigorum et pluuiarum ui elaberetur, neu denique praefectus illud quod Hispanis hominibus in ueteri est prouerbio in contumeliam suam et in exercitus regii perniciem uerteret: 'qui tempus habet tempusque exspectat,
tempus uenit cuius ipsum paenitet.'

Ceterum Vacca Castrus sumpto de Francisco Cardena centurione et de Petro Sammillano et de aliis, ut iam **136**
dictum est, supplicio tormenta bellica tam regia quam
hostilia Guamangam deuehi iussit et in castra reuersus
sigillum regium, quod Panama secum in Peruram duxerat, in duas frangi partes coram praefectis et centurionibus imperauit, praesente etiam Francisco Paccio scriba
regio, ut fidem faceret, eique illud asseruandum portandumque in Hispaniam tradidit. insequenti autem die 2
praefectus copias Guamangam reduxit eique ciuitati ipse propter uictoriam quam de regis hostibus ad Chupas

6 qui tempus ... paenitet] *cf. DRAE s.u. 'tiempo'*
136 1 frangi S : frangit P

3 habuit nomen Sancti Ioannis Victoriae imposuit. ac primum cum sciret supplicium de ducibus et consiliariis Didaci Almagri et de interfectoribus Francisci Pizarri summi praefecti Perurae sumptum esse, milites qui erant in uinculis produci relegarique ex Perura eosque omnes in duas naues imponi et in Nicaraguam et Guatimalam deuehi praefectisque earum prouinciarum tra-
4 di, ut Caesar quod uellet de illis statueret, imperauit. in alios uero duces et milites, qui et Limae et Trugilli in aliisque ciuitatibus erant capti, ne res Perurae Galliarum regi, sicuti se facturos antea comminati erant, referrent atque aperirent, animaduerti pro cuiusque meritis et quidem ex iuris forma iussit. deinde colonos Hispanos qui pro rege suo arma tulerant in castrisque erant regiis domos dimisit.

137 Iam uero simul atque nuntiatum fuit Didacum Almagrum et Henricum eius signiferum et Didacum Mendezium Cuschum profugisse, statim Garsiam Lassum Vegam eo cum expeditis equitibus ad persequendum comprehendendumque eos misit. ceterum Didacus Almagrus una cum comitibus itinere nocte et die continuato in uallem Xaquixaguanam, quae milia passuum uiginti ab urbe Cuscho abest, peruenit ibique in occul-
2 tissimo loco substitit. Mendezius uero Cuschum inde petit et nocte urbem ingressus Ioannem Rodericum Barraganum, qui Didaci Almagri nomine Cuscho praeerat, adit eique refert copias Didaci Almagri a Christophoro Vacca Castro praefecto regio fusas caesasque ad Chupas fuisse; ipsum uero Almagrum et Henricum signiferum in ualle Xaquixaguana mansisse eoque plane inermes ac seminudos uenisse; maxime opus esse ut sine mora omnibus quae necessaria erant prouideret et antea, quam nuntium de uictoria senatus
3 acciperet, urbem relinqueret. Barraganus re cognita

subito armis et uestimentis quae domi suae habebat sumptis et equo conscenso Mendezium ea nocte est secutus. sciebat enim se propter Francisci Pizarri praefecti caedem damnatum seque et Almagrum et Mendezium et Henricum, si caperentur, grauissimas esse poenas daturos; tutius esse ad Mangum Iupanguem Hingam, qui in armis erat a Caesareque defecerat, confugere quam illic manere. erat is Mangus Guainacapae Hingae 4 filius, qui Cuschum obsederat compluresque Hispanos occiderat et societatem cum Didaco Almagro inierat. et sane Didacus Almagrus eo animo ad Mangum Hingam iter intendebat, ut se cum illo contra Hispanos qui pro rege arma ferebant partesque defendebant regias coniungeret bellumque repararet. sed euentus Mendezii et 5 Barragani ex urbe excessus non tam occultus fuit quin senatus intellexerit, qui extemplo domum Mendezii obsidendam curauit. sed is una cum Barragano, antequam illucesceret, urbe exierat.

Ceterum cum senatus a quodam milite Hispano qui **138** cum Mendezio uenerat cognouisset Didacum Almagrum et Henricum eius signiferum in ualle Xaquixaguana mansisse eoque Mendezium et Barraganum se contulisse, e uestigio Antonium Rodericum Gueuaram rerum capitalium praetorem cum delectis et armatis ciuibus insequi et eos capere iussit. qui concitatis equis ingenti 2 labore sumpto et incredibili celeritate usi Franciscum et Ioannem Berrios fratres et quosdam alios milites ex Almagranis obuiam factos comprehendunt, a quibus locum, ubi Almagrus et Henricus et Mendezius et Barra-

138 1 Rodericum] Ruizium *malim, cf. Calu. Gasca 256a, Gómara 249a, Zárate 505b*

ganus deliterent, cognoscunt, sed iam isti ex illo exces-
3 serant loco. at praetor uestigia fugientium excipiens eosque uiginti quattuor ab urbe milibus consecutus nullo negotio capit uinctosque Cuschum ducit et in carcerem includit. postea uero Garsias Lassus Vega, cum is Cuschum uenisset, ut eam urbem nomine Caesaris teneret, Didacum Almagrum in aedibus Ferdinandi Pizarri custodiis asseruari iussit.

139 Almagrus autem et comites eius ideo proxime Cuschum accesserant, ut equis, armis, uestimentis aliisque rebus (omnia enim in proelio amiserant) se instruerent atque munirent. qui si saluus una cum comitibus ad Hingam peruenisset, grauissima certe colonis Hispanis detrimenta intulisset, quippe omnes qui factionis erant Chiliensis ad eum concurrissent, unde rursus caedes, rapinae, latrocinia et alia mala secuta fuissent et Perura bello iterum ciuili arsisset nec pax nec concordia nec quies inter Hispanos diuersae factionis umquam fuisset;
2 ad haec Caesar maximum incommodum accepisset, immensamque prope uectigalium iacturam fecisset; neque enim illa praesidiis sustinendis erant suffectura, sed mi-
3 litibus stipendia aliunde persoluenda. nam si in hoc bello tanta uis auri et argenti insumpta fuit, quid, si illud susceptum ductumque in aliquot annos cum Mango Hinga et Didaco Almagro fuisset, existimandum est? an pecunia publica ex aerario plane exhausto atque expilato in tantos belli sumptus erogari, an ex uectigalibus conferri, quae uel abrupta uel subrepta potius a militi-

2 deliterent] *i.e.* delitescerent || 3 uinctosque ... includit S²P : *om.* S | ducit *correxi* : duxit SP
139 1 (omnia ... amiserant) *sic distinxi*

bus essent uel a colonis retenta, potuisset? itaque nihil ex aerario, nihil ex uectigalibus commodi ad Caesarem peruenisset. quae certe omnia capto iugulatoque postea 4 in Cuschi foro Almagro cessarunt et breui quidem tempore uniuersa Perura in pristinam pacem, concordiam et quietem rediit tutoque et libere per eam ire et redire licuit.

Iam colonos Hispanos et Indos respirare et uita bo- **140** nisque suis frui, iam aurum et argentum ex terrae uenis erui atque conflari et uectigalia regia exerceri et pendi et commercia fieri ac tum denique nouam lucem remotis fugatisque tenebris apparere et cuncta suo nitori restitui et legatos ex municipiis et coloniis hinc et inde uenire Guamangam uideres, ut Christophoro Vaccae Castro de uictoria quam de regis hostibus deque patriae proditoribus habuit gratularentur. primi autem 2 omnium legati senatus Cuschani cum litteris ad praefectum uenere, quarum exemplum hoc erat: 'postquam Gomezius Roias legatus tuus cum mandatis, quod iam antea per litteras significauimus, in hanc urbem uenit, summa fide omnique studio ea quae litteris edictisque regiis continebantur sumus exsecuti ac te de huius prouinciae statu certiorem fecimus. nec uerbis explicare 3 possemus quanta laetitia haec ciuitas propter felicem aduentum in Peruram tuum fuerit perfusa. gratias certe Deo optimo maximo agimus et Caesari plurimum debemus, qui pro clementia sua tanto beneficio haec amplissima Perurae regna affecit, propterea quod te ad gu-

3 *signum interrogationis post* potuisset *transposui, quod* SP *post* erogari *scribunt* ‖ 4 et *ante* redire *om.* P
140 3 sua S²P : *om.* S | ad *om.* P

4 bernanda redigendaque ea in ordinem miserit. gratissimum etiam huic ciuitati fuit quod Gomezius Roias regis ac tuo etiam nomine iis magistratus dederit, qui non minore aequitate quam prudentia ius ciuibus dicerent iustitiamque exercerent. is autem Gomezius, cum ad te cum litteris senatus reuerteretur et forte obuiam militibus Didaci Almagri occurreret, qui magno numero armati in hanc urbem ueniebant, captus atque in
5 eam fuit reductus. illi uero simul atque Cuschum sunt ingressi, statim hanc rempublicam armis oppresserunt et clamore et minis senatores insecuti eos compulerunt ut Didacum Almagrum praeter omne ius et fas et contra omnium ciuium opinionem et uoluntatem acciperent et praefectum huius prouinciae Cuschanae appellarent imperataque eius facerent. et sane omnes adeo oppressi metu et afflicti bonis direptis atque ita scelerate et acerbe et iniuriose tractati fuimus ut amissa prorsus libertate in seruitutem redacti nec quae hic agerentur ad te scribere nec ea facere quae teneremur
6 potuerimus. neque uero dubitamus quin haec omnia iam renuntiata tibi et cognita penitusque sint perspecta, sed persuasum habere debebis nec culpae nec neglegentiae nec insolentiae imputari posse quod ea ex nuntiis
7 litterisque nostris non cognoueris; neque enim aliud cum animis nostris ne temporis quidem puncto cogitamus, nisi id et quod ad regis nostri gloriam et commodum et quod eius nomine ad honorem et salutem tuam spectarit ad extremum exsequi. nam ubi intelleximus te in has prouincias uenisse, auidissime tuum aduentum

6 ea ex S : ex ea P | non cognoueris *scripsi* : c on cognoueris S *ut uid.* : concognoueri*s P : cognoueris *To.*

exspectauimus, utpote qui per ipsum libertatem personarum et bonorum recipimus, ut deinde ut liberi non ut serui uiuamus. ceterum ad XI kalendas Octobris tres 8 aut quattuor milites Almagrani in urbem reuerterunt et certis signis comprehendimus atque percepimus te cum Didaco Almagro acie ad Chupas conflixisse exercitumque eius fudisse atque intolerandam hostium insolentium ferociam compressisse immanemque eorum ad omne facinus audaciam contudisse atque fregisse. quamobrem laudibus et gratiis Deum uenerati in tem- 9 plo sumus, quod diuinam iustitiam suam in eos exercuisset, qui tot indignissimis caedibus perpetratis et tam nefariis latrociniis factis uniuersam Peruram perdiderunt atque afflixerunt et colonos diuexarunt atque inquietarunt, et quod tibi fauisset ac uictoriam dedisset, qui cum tanta animi moderatione et aequitate et amore iustitiae administrandae in has Peruranas Cuschanasque prouincias uenisti. ingenti nunc fruimur gaudio et uo- 10 luptate, quoniam diuina uoluntate tonitrua repentina quibus hae prouinciae concutiebantur iam prohibita et nubila atra Perurae terris inducta quae perturbabant et impediebant, quominus hoc summum beneficium reipublicae daretur et officium quod regi a suis debetur clientibus praestaretur, iam sunt per te pulsa. et quamuis nihil praemii propter nonnulla merita nostra nisi hoc a Deo acciperemus, tamen hoc uno praemio maxime contenti et remunerati essemus. haec autem ciuitas, 11 ubi optatissimum de uictoria nuntium accepit, continuo in fidem sui regis et quidem in publico rediit et in officio mansit, ut antea semper in secreto manserat. senatus

8 percepimus S : recepimus P | te cum *corr. To.* : tecum SP

uero subito itinera intercipi et custodes per urbem disponi iussit, ut milites Almagri qui in eam uenirent cum equis et armis caperentur in uinculaque conicerentur.
12 multi capti sunt et armis exuti et in carcerem ducti. iam uero, cum nuntiatum esset Didacum Almagrum et Ioannem Rodericum Barraganum et quosdam alios ad Mangum Hingam profugere, e uestigio quam celerrime fieri potuit armati equos conscendimus et Antonium Rodericum Gueuaram praetorem secuti et milia passuum quattuor et uiginti continenti labore progressi eos cepimus uinctosque in urbem duximus et asseruandos in carcere, donec ipse uenias aut aliud de illis statuas,
13 praetori tradidimus. qui egregiam in persequendo capiendoque Didaco Almagro operam nauauit omnibusque neruis contendit atque elaborauit ne ille euaderet, aperteque re ipsa ostendit et declarauit quantum Caesarem amaret et coleret ac te diligeret. talem certe Gueuaram existimare plurimique facere debes qualem se ipse gessit cum aliis in rebus tum in hac praecipue quae e
14 Caesaris erat commodo et reipublicae salute. hoc enim et uirtus eius postulat et opus quod effecit meretur. nam ut Didacum Almagrum capi magno emolumento fuit reipublicae, sic non paruo detrimento fuisset, si iste rebus plane suis diffisus ad Mangum Hingam confugisset, quippe cum inde Hispanos qui suae erant factionis ad se arcessisset atque euocasset exercitumque conscripsisset atque comparasset et una cum Mango Hinga maximam his regnis calamitatem intulisset ac multis nouisque incommodis et difficultatibus ea affecisset.

12 Rodericum Gueuaram] *cf. adn. ad 7.138.1* || 13 ne ille ... declarauit SP² : *om.* P | te S²P : *om.* S | existimare S : -maret P

Rodericum Salazarem ex edicto tua manu subscripto, 15
quod ipse sibi a Gomezio Roia relictum dicit, libenter
accepimus, ut regis nomine ac tuo Cuscho, sicuti iubes,
praesit et magistratum gerat. sed te oramus et obsecramus ut quam primum in hanc uenias urbem, quo ex
tantis laboribus quantos pro republica defendenda sustinuisti requiescere curasque animi remittere aduentuque tuo perditam miseriis ciuitatem leuare possis. ex 16
hac autem urbe, quae princeps et caput est totius Perurae, multo rectius quam ex alia Peruranas Cuschanasque prouincias reges, gubernabis et conseruabis atque
ut in perpetua pace, concordia et traquillitate esse possint prouidebis et commodius quod opus erit administrabis et conuulsum reipublicae statum figes atque fundabis. si quid uero noui acciderit auditumque et 17
allatum fuerit, ex litteris quas crebro ad te mittemus
clarissime intelleges. Cuschi IX kalendas Octobris.'

Sed et praefectus alias postea litteras a senatu populo- **141**
que Cuschano hoc exemplo accepit: 'gratissimae nobis
fuere litterae quas a te Garsias Lassus Vega attulit. gratissimum etiam erit, si de his rebus quae uel ad Caesaris honorem uel ad dignitatem tuam pertinebunt nos
certiores feceris. et quoniam ex unis atque alteris litteris 2
quas ad te dedimus cognoscere potuisti quam maxima
iucunditate propter aduentum tuum perfusi fuerimus,
quam optatissimam etiam gratulationem ad Virginis Matris templum propter rem bene gestam et rempublicam

15 ex tantis S : stantis P || 16 commodius ... administrabis et SP[2] : *om.* P

141 1 a te S : ad te P || 2 optatissimam S[2]P : *om.* S | rempublicam S (Rēpub.) : republicam P

a te conseruatam fecerimus, id tantum referemus, nullum nos adhuc finem agendis Deo gratiis et gratulationibus habendis facere, cuius uoluntate haec res exitum,
3 sicuti optabamus, sane felicem habuit. ideo iustis precibus ab omnipotenti Deo petimus ut quam longissimam tibi uitam cum salute et incolumitate det, quo munus tuum exsequi et tueri et officium Caesari praestare et hanc rempublicam Peruranam ad communem omnium
4 utilitatem augere et amplificare possis. quod uero de militibus Almagri scribis, ita fiet ut imperas atque in his custodiendis, qui capti atque in carcere sunt, donec
5 aliud a te decernatur, summa adhibebitur cura. sed te etiam atque etiam oramus ut tormenta campestria quae sumptibus ciuium Didacus Almagrus fudit atque ex urbe abduxit in eam reduci iubeas; sunt enim ad ipsius urbis defensionem contra Indos maxime necessaria. Ro-
6 dericum Salazarem pro praetore hactenus nomine tuo habuimus, quoad Garsias Lassus Vega edictum regium una cum litteris tuis nobis dedit. ex quo edicto Antonium Gamam iuris consultum in eius locum suffecimus. ille ut se magistratu abdicauit, statim ad te est profec-
7 tus. de reliquo quid agendum sit tu ipse statues. Cuschi IIII Nonas Octobris. sed hoc ascribendum duximus: Rodericum Loram ornatissimum adulescentem ad te ire. is Lora cum Mango Iupangue Hinga de pace et concordia egit eique persuasit ut sese ipse in amicitiam tuam conferret uoluntariaque deditione in fidem et dici-
8 onem regis Hispaniae ueniret. dignus est hic adulescens

adhuc *scripsi* : ad hunc SP | res S : Rex P || 5 urbis *correxi* : urbem SP || 7 conferret S : conferre P || 8 adulescens *corr. To.* : adulelescens SP

cui propter uirtutem quae praeditus est credas et quem in gratiam tuam recipias in numeroque tuorum habeas: quod ut facias a te uehementer contendimus, nam in hac re quam ipse suscepit egregiam praestabit operam.'

142 Senatus etiam Limensis sic ad Vaccam Castrum praefectum scripsit: 'intelleximus ex binis litteris tuis te ab hostibus regis uictoriam reportauisse, nec dubitamus quin propter hanc uictoriam quam tibi Deus tribuit et tranquillitas perpetua in his regnis sit futura, ut Deus pie et sancte colatur et fides regi seruetur maiestatique eius honor, ut par est, habeatur. 2 Deum precamur ut te ab omni periculo conseruet, ut, quod in animo habes et omni studio contendis, commodis regis inseruias munusque tuum ita exsequaris ut ille hanc prouinciam, quam auctoritate eius obtines et administras, liberam a sceleratissimis et perditissimis hominibus teneat. quod te facturum speramus atque confidimus. 3 uerum antequam nuntius de uictoria Limam allatus esset, Sotomaiori mandauimus ut in Chincha ualle maneret et milites qui ex Limae colonis essent atque illuc uenirent colligeret et per speculatores quid in exercitu regio, quid in hostium castris gereretur cognosceret nosque confestim certiores faceret, ut haec Ciuitas Regum in omnem euentum parata esset omnibusque rebus necessariis abundaret. 4 postea uero quam ex Indis, qui huc atque illuc discurrunt, cognitum est te felicissime cum Didaco Almagro proelio decertauisse uictoriamque habuisse, imprimis Deo gratias egimus, deinde Ioannem

142 1 regis *corr. To.* : regii SP | nec dubitamus quin propter hanc uictoriam reportauisse, *quod iterauerat post* reportauisse S, *expunxit* S[2]

Cacerem una cum aliquot militibus in Chincham uallem misimus, ut Almagranos qui ex pugna in eam se
5 reciperent uallem, sicuti imperas, comprehenderet. Caceres uero, cum in Sangallum uenisset, Nicolaum Riberam, qui Hispanos quosdam in Chupis armis captos et uinculis constrictos in hanc ciuitatem ducebat, obuiam forte habuit. ceterum de his militibus ac de aliis qui capientur quid nobis faciendum sit tu ipse statues atque
6 decernes. sed inique a Sotomaiore factum est, qui septem equos captiuis abstulit. itaque te uehementer rogamus atque oramus Sotomaiori praecipias ut quam pri-
7 mum equos restituat. uias autem regias et militares seruari custodiisque et uigiliis circummunire iussimus, ne milites Almagrani clam transeant, sed cum equis et armis et auro et argento quod secum attulerint comprehendantur. Limae VII Idus Octobris.'

143 Senatus quoque Trugillensis legatos cum his litteris ad praefectum misit: 'ad XV kalendas Nouembris litteras tuas Guamangae XII kalendas Octobris scriptas accepimus. quibus sane litteris et multis in hanc rempublicam meritis tuis ita nos obstrinxisti atque obligasti ut te iure patrem liberatorem et defensorem Peruranae rei-
2 publicae et appellemus et habeamus. Deum precamur ut tantum ipse meritum in caelo remuneret atque, ut aequum est, Caesar, dum uixeris, praemium quod pro defensa conseruataque republica amplissimum mereris tibi persoluat. nam si Peruram ipse habet, per te certe habet, qui eam crudeli dominatu, quo a tyrannis tene-
3 batur, uirtute atque opera tua liberasti. quod si Francis-

143 1 obstrinxisti *correxi* : abstrinxisti SP | liberatorem S²P : *om.* S || 2 pro *om.* P | conseruataque S²P : seruataque S

cus Pizarrus has prouincias perdomuit ad imperiumque Hispaniae adiunxit, tu eas a regis hostibus occupatas recepisti atque uno memorando proelio in regis potestatem redegisti. quare tanto amplius praemium tibi debetur quanto maius fuit discrimen inter eos quos tu fudisti et Indos quos ille uicit. et nos quidem et liberi et posteri nostri perpetuo cognoscent perinde beneficium a te accepisse ac Israelitas a Mose, ut qui eos a Pharaone Aegyptiorum rege uindicarit atque liberarit. ceterum cum primum Petrus Heraedia legatus tuus 4 Trugillum uenit optatissimumque de uictoria nuntium pertulit (is dies fuit V Nonas Octobris), supplicationes decretae ludique propter uictoriam, ut iusseras, facti sunt et praetor eos qui erant in carcere emisit. qui diligentissime curat speculatoribus in locis idoneis dispositis, ne quis ex istis regis hostibus et patriae proditoribus transeat et euadat, atque ita ut imperas deinceps fiet. sunt autem in hac urbe negotiatores, qui multa un- 5 dique apportant mercesque conuehunt et non Trugillo solum sed Chaxapoiis etiam rem frumentariam prouident, quos praetor ex hac urbe egredi edicto uetuit, unde magnum incommodum ambae ciuitates capiunt. itaque te etiam atque etiam oramus ut datis uadibus, quos pro istis qui mercaturam faciunt praetor acceperit, liberam eis commeandi contrahendique, ne comercium quod habent cesset, facultatem des. at quoniam haec 6 ciuitas templum non habet, collegimus ex multaticia pecunia octingentos tantum nummos aureos, sed haec

3 tu fudisti S[2]P : fudisti S || 4 Heraedia *correxi* : Here- SP | (is ... Octobris) *sic distinxi* || 5 Chaxapoiis *correxi* : Chacha- SP | ciuitates P : ciuitates *uel* ciuitatis S

summa ad structuram eius non sufficit. quamobrem te obtestamur atque obsecramus ut ex uectigalibus regiis pecunia in opus templi conferatur et praefecto aerarii et quaestori edicas ut ducenti aut trecenti nummi aurei qui annis proximis ex tributis exactis superfuerunt in hoc aedificium impendantur. nam hoc Caesar praecipue tibi iniunxit, ut cultus Deo adhibeatur, religio colatur
7 et templa per Peruram aedificentur. ad haec non te latet miseros Indos qui Peruram planam incolunt infinitos prope labores tulisse et cottidie ferre: nam Hispani, qui uia regia, qua Trugillo itur Limam, iter frequenter faciunt, eos et onera umeris portare et cibaria sibi dare cogunt. quod factum ante, etiamsi memoriam praeteriti temporis repetas, numquam est ac ne auditum quidem. unde Indi adeo sunt uexati et fortunis euersi atque exinaniti ut omnes in seruitutem redacti plane esse uideantur. qui si nobis operam dant, hanc certe sub his
8 condicionibus quas tu ipse statuisti dant. ideo omnibus precibus a te petimus, ut in reliquum tempus tantum malum uitetur, ne permittas deinde sarcinas Indis imponi (neque enim id facere tenentur), nisi sponte sua et mercede conducti. quod si aliter ac omni studio a te contendimus fiat, Indi prope exitium uenient extremamque sibi perniciem cum magna reipublicae calamitate et regis incommodo inuenient, quam, ut certo scimus, depellere ab Indis curasti ac deinceps tamquam optimus Dei cultor et acerrimus nominis regis propugnator communisque salutis et libertatis restitutor es depulsurus. Trugilli XII kalendas Nouembris.'

6 tributis S : tribus P || 7 seruitutem S : seruitute P | sub SP^2 : se P *ut uid.* || 8 (neque ... tenentur) *sic distinxi*

Tum et senatus Platensis sic uictoriam Vaccae Castro gratulatur: 'ex unis tantum litteris quas a te accepimus aperte intelleximus te claram et gloriosam uictoriam cum immortali nominis tui fama consecutum fuisse. ex qua re quanta simus laetitia affecti facilius erit tibi existimare quam nobis scribere. quapropter libentissime in templo Deo supplicauimus ut haec uictoria quam tibi concessit sit maximum ad honoris et dignitatis tuae incrementum et firmissimum praesidium ad securitatem animorum et ad uitae nostrae et bonorum defensionem et custodiam. nam si tyranni eam uictoriam adepti fuissent, Platam coloniam funditus diruissent et uitam nobis eripuissent et nos plane omnibus fortunis euertissent, propterea quod in regis nostri fide permansimus eumque semper coluimus et perofficiose obseruauimus mirificeque dileximus et nos quidem omnes tam Hispani quam Indi qui Charcarum regionem incolimus communem ex hac uictoria utilitatem propter pacem et concordiam, quam perpetuam deinde speramus futuram, capimus, quippe qui pro certo habemus ex tam felici principio quod Deus dedit medium fore felicius et finem felicissimum. faxit Deus ut respublica ex hoc bono statu in quo nunc est in meliorem perueniat eumque concordia retineat. ceterum, ne improuidos et neglegentes prorsus in curandis rebus publicis nos esse putes, Franciscum Almendram cum his ad te litteris mittimus, cui et quibusdam equitibus qui in castris sunt tuis curam et procurationem negotii publici commisimus, ut id

144 1 intelleximus SP[2] : intellemus P || 3 eripuissent S : diripuissent P | Charcarum *correxi* : Charcharum SP | faxit SP : facit *perperam corr. To.*

suscipiant, agant, conficiant quod ad gubernandam con-
5 seruandamque hanc rempublicam pertineat. te multis et supplicibus uerbis oramus ut hoc quod petimus a te impetremus, quoniam Caesar non solum hanc Platam coloniam tueri sed multis etiam et magnis beneficiis augere atque ornare debet. id ipsum etiam tu ipse, qui nomine regio has prouincias Perurae planae et montosae cum imperio obtines, facere teneris. reliqua legato commisimus, qui singulari uirtute et prudentia praeditus est, cui ut fidem habeas te obsecramus. Platae IX kalendas Nouembris.'

145 Praeterea legati a Portu Vetere et a coloniis Quito, Piura et Arequippa gratulatum Vacca Castro de uictoria uenerunt. quibus ipse omnibus respondit ut gratulationes ad omnia Dei templa facerent, qui tam laetam et pulchram uictoriam dedisset, propter quam et pacem et concordiam inter se perpetuam essent habituri: se uero quae ad rempublicam optime dirigendam augendamque pertineret curaturum et de postulatis quae rettulissent cogniturum et quod aequum esset factu-
2 rum. multa ad communem omnium salutem Guamangae constituit et, quo laborem Indorum subleuaret, qui molestia et incommodo a militibus afficiebantur, Petrum Vergaram centurionem, qui fortem et militarem operam regi in proelio ad Chupas facto nauauerat, ad Bracchamoros, qui a Portu Vetere ortum solis spectant amplissimasque regiones sed maximis fluminibus et altissimis montibus impeditas incolunt, ut eos populos armis subigeret coloniasque ibi constitueret, redire iussit.

5 etiam tu SP[2] : tu P
145 2 populos S : pupulos P

Chaxapoias autem et Guancas Indos, qui inter Andes 3 montes et austrinum mare siti sunt, Alfonso Aluarado et Moiobambam, quae ultra Andes posita est, Ioanni Perezio Gueuarae decernit et suos cuique milites attribuit, ut eas regiones, unde euocati ambo ad bellum contra regis hostes fuerant et quas lustrare coeperant, sub imperium dicionemque regis Hispaniarum redigerent coloniisque Hispanorum complerent. quin et prae- 4 mia, quae Caesaris nomine [quae] ante commissum ad Chupas proelium ducibus et militibus promiserat, quo fidem ipse suam liberaret, se Cuschi persoluturum pro certo affirmauit.

His rebus omnibus Guamangae administratis atque **146** prudenter constitutis, praefectus cum turmis equitum uia regia Cuschum, quod Guamanga abest milia passuum ducenta quadraginta, profectus est atque bidui itinere ad regia Bilcarum hospitia peruenit. at uero in ea uia 2 regia, quae inter Guamangam et Bilcas intercedit, Chuparum sunt iuga et plana eo deinde proelio quo Didacus Almagrus cum exercitu uictus fususque fuit insignia perpetuo futura. Indi uiae regiae utrimque contermini par- 3 tim mitimaes partim oreiones fuere, sed longe alii atque Cuschani, qui et genere et factis nobilissimi habebantur. omnes iisdem institutis et moribus quibus ceteri Perurani utuntur, sed quamquam Solem colunt, tamen occulta sacella habent, in quibus diis manibus infernis sacrificia

3 Chaxapoias ... Moiobambam *correxi, cf. e.g. 4.45.4* : Chachapoyas ... Moyobambam SP | Hispaniarum P : Hispaniaerum S || 4 quae *seclusi*

146 3 contermini S : certamimi P | mitimaes *correxi, cf. 7.150.2 et adn. ad 6.56.2* : Mitimaies SP

faciunt et responsa accipiunt. sunt enim auguriis et diuinationibus maxime dediti. ex signis quae obseruant res futuras praedicunt. in quibus praedicendis et se ipsos et
4 alios fallunt. milio et aliis seminibus et radicibus edulibus et pecore tam domestico quam siluestri abundant. et sane Indi indigenae usque adeo strenui et fortes fuere ut Iupangues Hinga numquam illos in potestatem dicionemque suam redigere potuerit, donec altissimam munitissimamque natura rupem, in quam se Indi magno numero receperant, obsedit eosque tandem fame paene absumptos deditionem facere coegit, cum ipse prius Soras Lucanosque feroces bellicososque populos armis perdomuisset, qui etiam ad Guamangam ciuitatem perti-
5 nent. quae nomen ab oppido Indorum Guamanga ad montium Andium radices posito accepit. deinde in loco magis idoneo et plano haud procul a quibusdam montibus qui ad austrum uergunt collocata ideo fuit, quoniam, cum nullae coloniae inter Limam et Cuschum essent positae, Hispani qui ultro citroque iter faciebant a Mango Hinga, qui Cuscho amisso se in Viticorum regionem ultra Andes sitam contulerat, et uita et bonis spoliabantur.

147 At uero Franciscus Pizarrus, ut tantum uitae discrimen et periculum uitaretur et uia regia ab Indis qui erant in armis tuta esset, omnes regiones ab Andibus ad austrinum mare quae inter Xauxam et Andabaylas intersunt Guamangae attribuit. agri autem Limensis Xauxam, Cuschani uero Andabaylas terminum esse ius-

5 ideo S : adeo P | spoliabantur S : expo- P

147 1 Andabaylas *(ter) correxi, cf. 7.150.1 et Cieza 436b* : Andauaylas SP | Cuschani *scripsi* : Cuschum *uel* Cuschuni S : Cuschum P

sit et ciuibus tam Limae quam Cuschi quibus agros Indosque inter Xauxam et Andabaylas diuiserat edixit ut continuo aut eos relinquerent aut in nouam coloniam se conferrent. ceterum Guamangam ipse Pizarrus eo die qui fuit V Idus Ianuarii anni MDXXXIX aedificandam curauit. quae ad solis ortum montes Andes, ad 2 occasum uero mare austrinum habet. et Guamanga ciuitas Sancti Ioannis Victoriae a Christophoro Vacca Castro summo Perurae praefecto appellata natura, situ, salubritate et miti caeli temperie atque aedificiorum descriptione ac pulchritudine est sane quam nobilis. nam domus cum suis quaeque turribus excelsis ex politissimis lapidibus et laterculis coctilibus et tegulis sunt exstructae. iuxta urbem amoenissimus riuus decurrit, 3 qui abunde dulces ad potum aquas ministrat. in uallibus autem Vinachio amni proximis, ubi coloni Hispani suas uillas et ingenti quidem columbarum multitudine refertas habent, magna tritici uis colligitur, quod candore ac pondere Baetico comparari potest. quin et in illis uallibus atque in aliis finitimis uites et arbores frugiferae et legumina et alia semina ab Hispania usque aduecta mire proueniunt. ac demum tota illa regio iucunda, opima et fertilis ad regia usque Bilcarum hospitia est.

Haec autem hospitia, quod in media sunt Perura, In- **148** di umbilicum regni Hingarum fuisse tradunt, quippe quae tanto terrarum spatio ab urbe Quito quanto a Chilia prouincia distant. hic enim et illic fines imperii Perurani fuere. et Bilcae quidem celeberrimum et maxi- 2

ciuibus SP[2] : ciuitatibus P *ut uid.* || 2 descriptione] discriptione *malim, cf. Cic. Agr. 2.40*

me operosum et Hingarum et principum donis ditissimum Solis templum cum magno sacerdotum, artificum, ministrorum et uirginum nobilitate, forma, religione insignium numero habuere. ad cultum autem eius templi quadraginta Indorum milia deputata fuisse traduntur, quorum alii aliis suo ordine suoque tempore inuicem succedebant, prout is qui Hingae nomine ei praeerat 3 prouinciae disponebat. hic pulcherrima Topae Hingae palatia atque amplius septingentae erant domus ad montis radices positae, ubi arma, uestimenta et uectigalia et tributa reponebantur. nam Bilcae, ut Caxamalca et 4 Xauxa, multarum caput regionum fuere. at templum Solis et hospitia regia ab Iupangue condita et alia aedificia usque adeo sunt diruta ut nihil eorum praeter parietes quosdam et politissimos lapides, ex quibus illa fuerunt effecta, exstet; omnia namque Hispani in eruendis effodiendisque thesauris euerterunt. multum auri et argenti in templis Solis et Hingarum et principum et nobilium sepulcris inuentum est.

149 Iam uero Vacca Castrus aliquot dies in Bilcis commoratus primum Ioannem Perezium Didaci Almagri centurionem a fuga retractum in Chupas duci atque in eo loco, ubi proelio hostes regis uicit, equis distrahi discerpique et membra eius feris relinqui mandauit. 2 deinde legatos Quiti, Piurae, Trugilli, Limae et aliarum ciuitatum, qui Guamangam gratulatum ei de uictoria uenerant et postulata detulerant, cum [eorum] aequis honestisque postulationibus eorum concessisset, domos

148 2 artificum S : artificium P || 4 inuentum SP² : uentum P
149 2 eorum *seclusi tamquam ex sequenti* eorum *ortum*

dimisit. Petrum etiam Puellaeum inde in Guanucum ire 3 iussit, ut ibi eam coloniam deduceret, quam primum Gomezius Aluaradus sub Francisco Pizarro praefecto eo posuerat anno qui fuit Christi MDXXXIX, sed eam ipsam propter Indorum rebellionem ille reliquerat. eandem postea Indis iam pacatis Petrus Barrosus, qui cum Alfonso Voxmediano et aliis equitibus Hispanis a Garsia Aluarado Didaci Almagri duce captus in uinculaque Trugilli coniectus fuit, collocauerat deserueratque, ut militarem regi suo operam contra Almagrum nauaret. et sane Castrus in deducenda ea in Guanuco colonia, 4 quae nomen a Legione Gemina, Hispaniae Tarraconensis ciuitate, accepit, et in agris Indisque diuidendis et terminis eius coloniae designandis multum utilitatis illis prouinciis attulit. nam controuersias quas coloni Legionis in Guanuco et ciuitatis Finium, quae Leuantum in Chaxapoiis dicitur, inter se habebant de finibus sedauit et pacem et amicitiam inter ipsos fecit atque confirmauit. Indos etiam, qui duce Illatopa repentinas incur- 5 siones nunc in Chaxapoias, nunc in Guanucum hostiliter faciebant magnisque detrimentis et incommodis colonos utriusque ciuitatis afficiebant, per Petrum Puellaeum coercuit ac repressit. nam tandem Illatopa, Indorum qui in armis erant dux acerrimus, a Ioanne Varga uictus et captus se totum in amicitiam et fidem et uoluntariam Vaccae Castri praefecti societatem contulit

3 deserueratque S[2]P : derueratque S || 4 Finium *correxi coll. e.g. Cieza 427a* : finium SP | Chaxapoiis *correxi* : Chacha- *corr. To.* : Cacha- SP || 5 Illatopa *correxi coll. Cieza 428a* : Illytopa SP *(quod etiam in Calu. Vacc. 65[u] inuenias)* | Chaxapoias *correxi* : Chacha- *corr. To.* : Cacha- SP | Illatopa *correxi* : Illy- SP | Varga *correxi coll. Cieza[2] 262b* : Varaga SP

ac tum demum illae deinceps coloniae et prouinciae tutae ab excursionibus et caedibus et latrociniis Indorum fuere.

150 Praefectus ex Bilcis iter in urbem Cuschum coeptum uia regia intendit. Bilcam fluuium, qui Bilcis nomen dedit, ponte craticio transit. ad fontes huius amnis sunt Sorae et Lucani gentes bellicosae et auri et argenti fertiles et Hingis olim adeo acceptae ut liberi principum et nobilium eius prouinciae in regia Hingarum Cuschi educarentur. ingens pecoris lanigeri et domestici et siluestris in ea regione est numerus. idem mores, eadem lingua est Soris atque Lucanis; laneis induuntur uestibus et capitum insignibus a ceteris Indis montanis distin- 2 guuntur. Castrus eo die in Vramarcam uenit. hanc regionem, quae milia passuum uiginti octo a Bilcis abest, mitimaes incolunt, qui ex Hingarum instituto ex alia regione consumptis bello indigenis in Vramarcam com- 3 migrarunt. ex qua regione praefectus iter per Andabaylas uia regia conficere perrexit et ultra prouinciam progressus ad Abancaium fluuium milia passuum triginta sex ab Andabaylis, deinde ad Apurimam rapidissimum et altissimum flumen milia triginta duo ab Abancaio ad Limatambi deuersoria nullo die itinere intermisso per- 4 uenit. utrumque autem ipse amnem pontibus ex arborum ramis et radicibus in modum rudentum antliarum

150 2 commigrarunt S : commigrauerunt P || 3 Abancaium *correxi, cf. e.g. 4.25.6* : -cayum *scribunt semper posthac* SP, *quod postea silentio praetermittam* | Apurimam *correxi, cf. Cieza 436b* : Apurinam SP *hic et sic semper posthac, quod postea tacite corrigam* | Limatambi *correxi coll. 7.152.1 et Cieza 437a* : Limo- SP

quibus aqua hauritur factis et super singulas pilas lapideas in ripis utrimque positas iniectis turmas equitum traduxit. traditur fama ex Andabaylis Ancoallum du- 5 cem illum clarissimum et fortissimum fuisse, qui, cum tyrannidem Hingarum nec immanitatem legatorum ferre posset, cum ingenti Chancarum numero, qui sunt eum secuti, magnis praeclarisque rebus in Tharama et Bombone gestis Andes transit et coloniam ad cuiusdam lacus ripam qui est ultra Moiobambam flumen posuit.

Haec prouincia Andabaylae locuples ac referta est **151** longeque patet. copia frugum et fructuum abundat. quam plurimae enim arbores fructiferae in locis apricis sunt satae, multae etiam pecudes cum domesticae tum maxime montanae per Andabaylas pascunt. hanc prouinciam Chancae olim feri et indomiti Indi interfectis Quichuis, qui eam possidebant, armis occuparunt. qui postea multis proeliis ab Iupangue Hinga uicti (Cuschum enim obsederant) imperium eius et leges et caerimonias religionesque in deos accepere. et Chancae qui- 2 dem tunicis et stragulis ex lana uestiuntur. capillis sunt promissis, quos torquent et in nodulos minutos colligunt. domos ex lapidibus constructas habitant. dies statos ad ludos et saltationes habent. animas, quas xongones sua lingua appellant, immortales, ut plerique Indi montani, esse credunt. ideo principes suos uita iam functos cum his uxoribus uiuis quae praestanti sunt forma et multo auro argentoque in sepulcris condunt. in Andabaylis etiam et ad ripas Abancaii, ubi Alfonsus 3

5 Moiobambam *correxi* : Moyo- SP
151 1 cum] quum SP | (Cuschum enim obsederant) *sic distinxi*

Aluaradus Francisci Pizarri praefecti legatus uictus captusque a Didaco Almagro Cuschi praefecto fuit, et Apurimae pulcherrima et sumptuosissima Hingarum aedificia fuere.

152 Praefectus ex Limatambi hospitiis, quo etiam nomine alii pagi et ualles ut Pacaritambus et Pomatambus sunt appellatae, montem Bilcacongam transit, ubi Didacus Almagrus pater antea quam Cuschum intraret proelio cum Indis decertauit, et uia ille regia iter faciens Xaquixaguanam uallem est ingressus, quae ab urbe Cuscho 2 milia passuum uiginti abest. haec uallis plana est atque inter montium iuga inclusa nec longe nec late obtenditur. fecunda et culta olim maxime fuit. in hanc uallem solebant Hingae animi relaxandi causa se frequenter conferre, ubi maxima et sumptuosissima habebant hospitia. quae certe omnia et quae in Andabaylis et in Abancaii et Apurimae fluminum ripis atque in Limatambo ita sunt destructa demolitaque ut nihil eorum aedificiorum supersit, nisi tantum quaedam caementa et rudera 3 uetera. hic Franciscus Pizarrus Chalicuchimam Atabalipae principis legatum exuri iussit aliaque etiam in hac ualle memoratu digna contigerunt, quae suis locis per- 4 sequemur. haud procul ab ea ualle amnis nascitur, cuius aquae et riui undique confluentes paludem ingentem et profundam et caeno limoque adeo refertam efficiunt, quae transiri difficulter potuisset, nisi Hingarum iussu uia regia per mediam paludem super pontes lapideos

152 1 anteaquam S : ante quam P || 2 Limatambo *correxi, cf. adn. ad 7.150.2* : Limo- SP || 3 Chalicuchimam *correxi, cf. e.g. 3.1.1* : Callicuchimam SP | quae suis locis persequemur] *i.e. Calu. Gasca, cf. Cieza 437a*

firmissimis utrimque muris cinctos longitudine trium milium ducta strataque fuisset. aqua subter fornices aequis inter se spatiis distantes influit ac refluit. arcus illi pontium saxei Indorum manibus fuere constructi. opus plane admiratione et uisu dignum et in multa saecula duraturum.

Ceterum Vacca Castrus ex ea ualle se in Ferdinandi **153** Bacchicai uillam sex milibus ab urbe Cuscho distantem contulit. eo autem die multi equites et ciues Cuschani Vaccam Castrum officii causa inuisunt felicemque aduentum et uictoriam ei gratulantur. insequenti uero die re diuinia prius facta (erat dies Dominicus ad III Idus Nouembris eius anni Christi qui fuit millesimus quingentesimus quadragesimus secundus) cum magno comitatu iter Cuschum habuit. et cum iam milia passuum 2 tria processisset, ad urbis ingressum equites et pedites suo quosque ordine disposuit: praeibant tympanistae ac tubicines, sequebantur Petrus Anzurius, Garsias Lassus Vega, Gomezius Aluaradus praefecti equitum et Franciscus Roblaeus, signifer Petri Aluari Holguini tribuni militum, cum suis quisque turmis et signis militaribus, deinde cornicines ac tibicines; ipse autem Christopho- 3 rus Vacca Castrus praefectus trabea cruce purpurea insigni indutus equo colore coracino uehebatur, postea decem ministri ocreati et galeris et uestibus sericis ornati ueniebant et ab utroque latere milites praetoriani, quibus praeerat Rodericus Ocampus; ad dextram uero praefecti Christophorus Barrientus uexillum regium ge-

4 strataque S : stractaque P *ut solet*

153 1 Bacchicai *correxi* : Bachi- SP | millibus S : militibus P | (erat dies ... secundus) *sic distinxi* | iter S : inter P

stabat; hoc nobilissimi et fortissimi duces atque equites, qui egregiam in proelio ad Chupas nauarant operam, comitabantur; post uexillum Didaci Almagri aliaque signa eius militaria in eo proelio capta per terram trahebantur;
4 ac demum Ioannes Perezius Gueuara et Nunius Castrus centuriones, qui pedites prope praefectum incedebant, milites tam hastatos quam tormentarios signis quidem suis erectis et extensis, hostilibus plane demissis et humi serpentibus in duos distributos ordines ducebant.

154 Iam uero cum praefectus uia regia paulatim procederet, obuiam ei milia passuum ab urbe duo senatus cum magistratibus et praefecto aerarii et quaestore et procuratore regis est progressus. erant senatores tunicis sericis et togis purpureis amicti. quorum unus sic Vaccam
2 Castrum praefectum est allocutus: 'hic senatus populusque Cuschanus qua laetitia perfruatur, quibus gaudiis exsultet, quanta iucunditate ac uoluptate perfundatur nullis explicari uerbis potest, quod te libertate quam amiserat recepta, sicuti a Deo optauit precibusque omnibus petere contendit, saluum et incolumem et uictorem excipit, quod iucundissimo conspectu iam tuo fruitur tranquillo quidem animo et quieto et a tyrannorum
3 immanitate libero. qui hanc ciuitatem ita armis inuaserunt metuque oppresserunt ut eam quam ipsa uoluit ac debuit, etiamsi uota fecerit, operam regi suo praestare non potuerit. at quamquam imperium tyranni accipere coacta fuit, nihilo tamen setius in amicitia et fide regis sui perpetuo mansit. nam simul ac optatissimi nuntii et

3 nauarant SP[2] : nauauerant P *ut uid.* || 4 erectis S : ereptis P | hostilibus SP[2] : hostibus P
154 2 explicari S : explari P | incolumem S : -men P

litterae tuae de uictoria uenerunt, statim in officio fuit reque ipsa palam et aperte quod antea clam et obscure facere non audebat est exsecuta. nec dubitat hic senatus 4 populusque Cuschanus quin hoc persuasum habeas et fidem, quae in animis omnium ciuium contantius et firmius mansit, probes atque laudes eosque tanti beneficii accepti memores semper fore existimes. per te enim uitam habemus, per te libere et tuto bona possidemus, per te crudelissimo tyrannorum dominatu liberati sumus. haec omnia tibi uni debemus. et sane non haec modo ciuitas sed uniuersa etiam Perura te patriae liberatorem in perpetuum dicet et agnoscet, cuius ceruicibus iugum seruitutis deiecisti. sed uero haec ciuitas 5 multis nominibus se tibi debere ingenue fatetur debebuntque etiam posteri nostri in summique beneficii loco habebunt, quod ipse post tot pericula quot terra marique pertulisti, post tantos labores quantos in reciperanda Perura sustinuisti, denique post debellatos regis hostes et patriae proditores, quos singulari uirtute tua et prudentia uicisti, in hanc urbem ideo uenisti, ut inde haec amplissima et ditissima Perurae regna nomine Caroli maximi Caesaris Hispaniarum regis gubernares atque moderarere et hanc clarissimam optimeque meritam ciuitatem non administrares solum, sed multis magnisque etiam commodis augeres.'

Praefectus constantiam et diligentiam senatus quam **155** in Didaco Almagro aliisque regis hostibus capiendis adhibuisset uerbis extollit: ipsum rem se dignam et Caesari pergratam patriaeque utilem atque salutarem fecisse. fidem ciuium probat et laudat, qui oppressis summa

5 prudentia S : pudentia P | administrares S^2P : administres S

2 animis formidine eam tam constanter conseruassent: neque uero se ambigere quin ui et armis compulsi Didacum Almagrum accepissent imperataque eius fecissent, idque facile inde apparere sibique constare, propterea quod, ubi Gomezius Roias diploma regium senatui populoque Cuschano attulisset, extemplo et quidem omnium hominum consensu Vaccam Castrum Perurae praefectum in publico ac in foro etiam non in secreto nec intra parietes appellassent atque e uestigio, cum hostes regis caesos fusosque ad Chupas audiissent, in fidem, quam numquam occulte deseruissent, aperte rediissent in officioque mansissent; hoc imprimis Caesari gratissimum futurum in eamque ciuitatem studia sua et
3 maxima beneficia collaturum; se idcirco eo uenisse, quo eam rempublicam augeret atque amplificaret imperiumque Peruranum regeret finesque eius defenderet ac longius quam tunc essent regis Hispaniae nomine propagaret omnesque Perurae prouincias atque ciuitates in pace et concordia atque in officio contineret.

156 Haec cum praefectus dixisset, magistratus rudes siue uirgas regias, quas iustitiae uocant, ei tradunt. quas ipse accepit et continuo reddidit eosque ipsos benigne salutauit uerbisque honorificis est prosecutus. reliquos uero omnes qui aderant quique aduentum et uictoriam gratulabantur iucundo laetoque uultu excepit et comiter
2 unum quemque appellauit. senatores inde laetantes gratulantesque ipsum perducunt et, cum proxime Cuschum iam uentum esset, omnis multitudo cum coniugibus ac liberis sese ex urbe uelut ad spectaculum triumphi effudit. ac subito duae equitum turmae habitu

155 3 se S : sed P

Numidico bicolore egressae concitatis equis ante conspectum praefecti utrimque concurrerunt et, cum certamen ludicrum huc atque illuc flectentes ac reflectentes equos celebrassent, sese cursu celeri in urbem receperunt.

157 Erat autem ciuitas ad excipiendum praefectum egregie instructa atque ornata: multi et crebri arcus triumphales per uiam longam et latam quae a porta ciuitatis ad templum maximum ducit erecti atque ex ramis arborum intertextis floribus facti, uia uero iuncis et aliis herbis tecta. pendebant ex domorum fenestris tapetes ex filo aureo et argenteo et serico contexti, unde principes et nobiles feminae tam Hispanae quam Indae ac puellae eximie ornatae praefectum uenientem conspiciebant. 2 fluuius paruus mediam perfluit urbem. hic pontem ad Diuae Mariae aedem, quae Mercedis dicitur, habet, unde aditus in forum patet. super eo ponte lapideo castellum turritum et densis undique cinctum pinnis ex tabulis iaspideo colore depictis ad tempus erat constructum. singulas utrimque habebat ianuas et quidem maximas et uarietate florum, ut oculi tenerentur, picturatas. id ipsum etiam castellum uiolis purpureis et luteis ac rosis albentibus et puniceis erat pictum. denique nihil relinquebatur quod ad portarum, uicorum, uiarum platearumque omnium ornatum, qua praefectus iturus erat, excogitari posset.

158 Iam uero ad ianuam castelli pulcherrimus stabat Cupido arcu intento et sagittis ex umero pendentibus et

156 2 ludicrum *correxi* : ludricum SP | flectentes P : fl*ctentes S | celebrassent *scr. To.* : celelebassent SP
157 1 erecti S : erepti P

ad imaginem usque Cupidinis duo funes ex totidem castelli pinnis religati protendebantur. inter ipsos uero funes puer septennis et formosissimus stola candida, alis et diademate in angeli formam ornatus et manu duas claues argenteas in modum crucis tenens stabat seque attolli in auras uidebatur. ianua castelli erat clausa. ad quam cum praefectus accessisset ac iuxta Cupidinem constitisset, puer subito deuolans ante praefecti equum substitit et bracchium porrigens claues ipsas aureas ciuitatis praefecto dedit, quas ipse accepit, et puer reuo-
2 lauit. repente ianuae patuerunt confestimque uigiles et custodes castelli, ut publicam significarent laetitiam, tormenta tam muralia quam manualia ingenti fulmineoque fragore, qui longissime audiebatur, ingredienti praefecto eo quo ipse uenerat ordine soluerunt. hoc ipsum milites tormentarii quos Nunius Castrus centurio
3 ducebat uicissim fecerunt. praefectus autem ciuium fauore cum plausibus clamoribusque et aliis laetitiae signis fuit exceptus. quin et matronae primores ciuitatis et uirgines nobilissimae praefectum ex fenestris, unde ipsum per uiam incedentem conspiciebant, gaudentes uehementerque laetantes salutabant felicemque et opta-
4 tum in urbem aduentum et uictoriam gratulabantur. et cum ad aditum fori iam accederetur, ordo sacerdotum uestibus aureis ornatus et sceptra aurea manibus tenens maxima cum gratulatione et laetitia praefectum excepit laudesque eius uoce suaui atque canora concinuit, quod se fortiter ipse sagaciterque gessisset, quod eximia uirtute inuictique animi uigore hostes regis et patriae euer-

158 2 patuerunt P : patue|tuerunt S || 3 praefectum ex … incedentem S²P : *om.* S || 4 eximia S : eximie P

sores uicisset atque fudisset eosque meritis debitisque poenis affecisset, quod Perurae prouincias immani tyrannorum seruitute exemisset easque in potestatem dicionemque regis Hispaniae redegisset. atque haec et alia 5 sacerdotes uersiculis Hispanis concinentes praefectum in templum Diuae Mariae uirginis matris, ut mos est, deduxere.

Quo cum peruentum esset, praefectus ex equo des- **159** cendit ac primum sanctissimam ex auro crucem pie augusteque ueneratur atque osculatur. deinde, cum in templum eodem comitatu ingredi inciperet, diuinum illud canticum TE DEVM LAVDAMVS uariis organorum sonis modulatum magna cum tranquillitate atque animi sui iucunditate audiuit. postea summum eius tem- 2 pli sacerdotem, qui crucem auream manibus gestabat, ad sacrosanctam usque aram secutus est supplexque ibi flexis genibus Deo gratias egit, quod ipse post tot labores, post tot pericula in asserenda reipublicae libertate terra marique suscepta cum incolumitate tam pulchra claraque uictoria parta et prouinciis Perurae iam receptis atque pacatis in illud Diuae Mariae uirginis templum sanctum ac religiosum perductus tandem fuisset. post- 3 quam uero praefectus Deum sancte ueneratus precatusque fuit, in sella, quae una cum puluino ex auro textili erat illic posita, sedit et contionem breuissimam quidem sed gratissimam quam Thomas Sammartinius Dominicanus uir pietate diuinarumque rerum scientia insignis habuit libenter attenteque audiuit. ad quam concursus populi Cuschani factus est. dixit enim de Vaccae Castri 4 praefecti in Peruram aduentu deque beneficio quod

159 2 manibus ... sacrosanctam SP[2] : *om.* P

prouinciae tam Peruranae quam Cuschanae ab eo accepissent quantumque commodi consecuta fuissent. haec ipsa beneficia et commoda cum laudibus rebusque eius
5 praeclare gestis coniunxit. aequum iustumque esse clamabat ut cuncti eum diem ad omnia diuorum puluinaria in precibus et gratulationibus propter uictoriam quam Vacca Castrus nomine regis ex reipublicae causa adeptus fuisset agerent nomenque eius et res fortiter gestas publicis aeternisque monumentis inciderent atque insculperent posterisque traderent, ut memoriam Vaccae Castri praefecti quam optime de republica Perurana meriti perpetuis dignisque laudibus celebrarent, quippe qui Peruram duro seruitio exemisset, qui tyrannidem destruxisset, qui ciuitates eius prouinciae et populos miseriis coopertos et a saeuis intolerandisque tyrannis oppressos atque afflictos ita in libertatem uindicauisset ut iam omnes et tuto uiuere et bonis suis libere frui possent.

160 Ceterum, cum Thomas contionandi finem fecisset, praefectus cum senatu et aliis qui ipsum comitabantur templo egressus equum conscendit et magnificentissimo acceptus hospitio epulum (iam enim instructae apparataeque erant epulae) sacerdotibus praecipui nominis ac dignitatis et magistratibus et senatoribus, tribunis aerarii, ducibus et equitibus et honestissimis quibusque ciuibus dedit. milites autem in hospitia diuisi et benigne
2 a ciuibus excepti liberaliterque tractati fuere. quantum uero gaudii, quantum laetitiae eo ipso die ac nocte tota ciuitas ex Vaccae Castri aduentu et uictoria ceperit non

5 fuisset S : fuissent P | celebrarent *correxi* : celebraret SP
160 1 (iam enim ... epulae) *sic dixtinxi*

ludis solum editis et multis pyris per uicos et plateas exstructis et accensis significauit, sed re etiam et factis planissime declarauit.

161 Insequenti die Vacca Castrus pro summo magistratu quem gerebat et pro persona quam sustinebat rem familiarem constituit domumque instruxit. nam praeter ianitores et administros et tubicines, cornicines et tibicines et stipatores corporis, quibus Rodericum Ocampum praefecit, nobilissimos etiam quosdam equites secum habuit. 2 in his fuere Ioannes Luna, Ludouicus Ribera Hispalensis, Ioannes Sandouallius, Alfonsus Perezius Schibellus, Ioannes Caceres, Rodericus Salas Toletanus, Gomezius Roias, Rodericus Perbonus, Didacus Nunezius Vacca, Ferdinandus Mexia Hispalensis, Petrus Cabrera, Alfonsus Montmaior, Ioannes Saauedra et Rodericus Pantoia. 3 quos omnes praefectus et seruos et equos suis opibus sustentabat magnificeque eos tractare iubebat ingentesque sumptus in alendis illis faciebat, propterea quod ipse existimaret deuictis ab se regis hostibus et pace tota prouincia iam constituta ad conseruandam Peruram et ad municipia coloniasque in officio et fide retinendas et ad auctoritatem suam communiendam atque defendendam, ne in contemptum ueniret, ita fieri oportere. 4 sed enim praefectus necesse habuit ita facere; nam gentes Peruranae seditiones et discordias concitare nouisque identidem rebus studere solent nec pluris praefectum faciunt quam quanti se ipse fecerit. 5 sed cum uiderent Vaccam Castrum praefec-

2 re S^2P : *om.* S

161 2 Ferdinandus Mexia Hispalensis, Petrus Cabrera SP^2 : Petrus Cabrera, Ferdinandus Mexia Hispalensis P

tum custodes satellitesque sibi constituere et fortissimos quosque equites et alios qui ordines duxerant domi suae alere praecipuoque in honore habere ac longe aliter quam Franciscus Pizarrus fecisset se gerere, ipsum respiciebant, obseruabant, colebant neque ullum reipublicae motum afferre nec licentia nec scelere nec ea perfidia abuti audebant qua antea ad Francisci Pizarri praefecti caedem et qua postea ad Blaschi Nunezii Velae exitium abusi fuere.

INDEX NOMINVM